


Handwritten text in a stylized, cursive script, possibly representing a name or title. The characters are dark and appear to be ink on a light-colored, textured surface. The text is arranged in a vertical column and is partially obscured by a circular stamp at the bottom.

NO. R.  
3 - 383

18. a 8

Biblioteca Universitaria	
GRANADA	
Sala	A
Colección	3
Tabla	
Número	383

1/a







*Del Colegio de la Camp. de S. Sur de Gran. N.º*  
COMPENDIUM R. 2633

# PHILOSOPHICUM.

PRÆCIPUAS PHILOSOPHIÆ  
PARTES COMPLECTENS.

*Nempè*

RATIONALEM, NATURALEM,  
ET TRANSNATURALEM,

*Sive*

LOGICAM, PHYSICAM,  
ET METAPHYSICAM.

AUCTORE

THOMA VINCENTIO TOSCA, VALENTINO,  
*Sacrae Theologiæ Doctore, ejusdem Archiepiscopatus  
Synodali Examinatore, & Congregationis Oratorii  
S. Philippi Nerii Presbytero.*

AD SERENISSIMUM, AC POTENTISSIMUM  
DOMINUM

DON LUDOVICUM BORBONIUM,  
HISPANIARUM PRINCIPEM.

TOMUS PRIMUS.

VALENTIÆ:

Ex Typographia ANTONII BALLE; ANNO M. DCC. LXXI.  
*Habentur venales apud Joannem Baeza.*



CELSISSIMO,  
AC SERENISSIMO DOMINO  
D. LUDOVICO  
BORBONIO,

HISPANIARUM PRINCIPI.



NON diù hæsitavi (CELSIS-  
SIME PRINCEPS) quin hoc  
Philosophicum Opus,  
quod primam nunc lu-  
cem aspicit, tuis auspi-  
ciis offerrem, magnoque  
tuo nomini sacrarem. Mecœnatem quæ-  
runt Opera, cujus sola nominis inscriptio-  
ne nobilitentur, cujus protectione à Zoi-  
lis reddantur secura. Jam pridem meas  
in Mathesi Lucubrationes Magno Philippo  
Hispaniarum Regi, gloriosissimo tuo Pro-  
genitori dicaveram: Quid superest, nisi ut  
hoc Philosophicum Opus nomine tuo col-  
lustrem? Licet enim aliis dicare Principi-  
bus ingeniosa volumina, arbitrium sit,

meos tamen labores tibi sacrare, necessitas, eò præsertim quòd à communiori in Scholis philosophandi more, in rebus naturalibus exponendis à plerisque recessisse videar. Archimedes nemini sua Opera judicabat inscribenda, nisi ei, qui illarum rerum & versatus esset, & peritus. Certè si ævum Julii Cæsaris nactus fuisset, vel Octaviani Augusti, aut Caroli Magni, eisdem Mæcænatibus hoc Opus nuncuparem; sæcula tamen illa haud invidio; cùm præsens mihi felici sorte obtigerit, quod præsentia tuà exhilaratur, nobilitatur, beatur, clarescit: in te namque Julii sapientiam, Octaviani felicitatem, Magnique Caroli pietatem, ditissimis cum incrementis, in primo juventutis flore jam intueor. Liceat itaque mihi, ita Celsitudini tuæ omni cum reverentia alloqui:

*Gloria summa Libros, & semet, Maxime Princeps,*

*Auctori est, pedibus suppositus tuis.*

*Thomas Vincentius Tosca.*

R. P.

R. P. D. *Josephi Fernandez Marmanilii, Congregationis S. Philippi Neri Presbyteri, Sacræ Theologiæ Doctoris, Sancti Officii à Secretioribus Consiliis, atque in Valentina, Dertusensi, & Segobricensi Diocæsis Synodalis Examinatoris*

## JUDICIUM.



USSU Reverendissimi, ac Perillustri Domini D. Francisci de Yanguas Velandia, Presbyteri, J. U. Doctoris, Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Burgiensis Canonici, hujus Valentiniæ Diocæsis in spiritualibus, & temporalibus Officialis, & Vicarii Generalis, legi magna cum animi jucunditate Opus Scholasticum, quinque Tomulis distinctum, cujus titulus est: *Compendium Philosophicum, præcipuas Philosophiæ partes complectens, nempe Rationalem, Naturalem, & Transnaturalem, &c.* Authore R. P. Thoma Vincentio Tosca, Sacræ Theologiæ Doctore, nostræ Congregationis Oratorii S. Philippi Neri Presbytero: Opus sanè omnibus numeris absolute, in quo duo præsertim non parùm sum demiratus, methodum nempe concinnam, qua Geometricam amussim imitatur, dum concatenata, minimèque interrupta Propositionum serie, ita rerum pertractandarum ordinem servat, ut gradatim à facillioribus ad difficilia, atque à prioribus ad posteriora, absque ullo prorsus fastidio veluti manu ducat. Id rursus novum intueor, exactum scilicet Sententiarum Criterium, atque concordiam illam, qua Democriticas Atomos, au-

su haud infelici, cum præcipuis Aristotelis Theorematis  
nectere studet : quibus totam Philosophiam ita à fun-  
damentis erigit, ut arcem construere videatur, è qua  
faciliùs impium Atheismum debellare, ac prosternere  
possit. Nihil itaque in hoc Opere offendi, quod Or-  
thodoxæ Fidei, ac proborum morum principiis non  
consentiat, sed potiùs plurima quæ illis suffragentur,  
quæque illud prælo, cedroque dignum efficiant in ma-  
jus Orbis litterarum decus, & ornamentum. Sic censeo  
(salvo semper, &c.) Valentia in hac nostra Congrega-  
tionis Oratorii Regali Domo, die 18. Julii, anni 1721.

Doct. D. Josephus Fernandez  
Marmanilius.

Imprimatur.

Doct. Yanguas, Vic. Gen.

JUDICIUM REVERENDI ADMO-  
modum, atque Præclari Domini D. Pascha-  
sii Sala, in Universitate Valentina, Philo-  
sophiæ atque Theologiæ Scholasticæ antè,  
nunc Sacrarum Litterarum Primarii Pro-  
fessoris, Theologiæ, & Philosophiæ Censo-  
ris, atque in Ecclesia Metropolitana Valen-  
tina Præpositi.



UPREMI Hispaniarum Senatùs jussu stu-  
diosè perlegi Philosophiam, quinque to-  
mis distinctam, Reverendi admodum  
Patris D. D. Thomæ Vincentii Tosca,  
Presbyteri Valentinae Congregationis  
Oratorii S. Philippi Nerii ; & legitimum Authoris sui  
partum deprehendi. Ea est illius claritas, brevitatis, metho-  
dis, venustas, nitor, ut Authorem suum, opus ipsum  
abundè testetur, & deprædicet. Luculentissimè operis  
Mathematici, quod nupèr idem Scriptor edidit, ger-  
manum agnoscas istud Philosophicum, quam illud pe-  
perit æmiam laudem, multà accessione cumulaturum.  
Tam elucidam universæ Matheseos tractatione com-  
munis lausur exipit ; neque impari suspicietur Phi-  
losophi ; tam accuratè Geometricis legibus exacta.  
Uberses x ea fructus, omnes colligent, sive probent,  
sive improbent quæ ipsa statuit ; utrique enim paucis,  
& mirà præspicuitate intelligere, atque expendere po-  
terunt, quæ sibi probanda, aut improbanda sint, ut vel  
faciliùs, cæriùsque eadem promoverè discant ; vel cer-  
tè oppositè firmiùs stabilire, & illa convellere nitan-  
tur.



tur. Nihil porrò in hac Philosophia occurrit, Christiane Fidei, probitque moribus adversum, aut Regiis Juribus repugnans: merito proinde praelum subibit, & luce donabitur, rem Litterariam non modicè illustratura. Sic cenfeo Valentia, Idibus Junii, Anno clo.cl.cc.xxi.

D. Paschasius Sala.

### LICENCIA DEL CONSEJO.

**D**ON Joseph de Bordonaba, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Gobierno del Consejo, por lo tocante à los Reynos de la Corona de Aragon. Certifico, que por los Señores de el se ha còcedido licècia al Doctor D. Thomàs Vincente Tolca, Presbytero de la Congregacion de San Felipe Neri de la Ciudad de Valencia, ò à quèn su poder tuviere, para que sin incurrir en pena alguna, y por una vez, pueda imprimir, y vender un Libro que ha compuesto, intitulado: *Compendium Philosophicum*, con que la dicha impresion se haga por el original, que va rubricado, y firmado de mi mano y que antes que se venda se traiga al Consejo el Libro impreso, juntamente con el dicho original, y certificacion del Corrector, de estarlo conforme à el, para que se tasse el precio à que se ha de vender, guardando en la impresion lo dispuesto por las Leyes, y Pragmaticas de dichos Reynos. Y para que conste lo firmè en Madrid à veinte y quatro de Julio de misercordias y veinte.

D. Joseph Bordonaba.

APPROBATIO ADM. R. P. FRAT. LUDOVICI  
de Flandria, Ordinis Minorum Sancti Francisci Capucinorum, Philosophia, ac Theologiae Ex-Lectoris, Ex-Custodis pro Generali Capitulo, Sacrae Fidei Tribunalis Valentini Qualificatoris, semel atque iterum Diffinitoris, &c.



UNIVERSAE Philosophiae Cursus clarissimi Patris, & Doctoris operà, Domini Thomae Vincentii Tolca, in Sacro Davi Philippi Nerii, Urbis, ac Regni Valentiae Oratorio, & Congregatione Presbyteri, magno cum studio elaboratus, lucem publicam aspecturus; tantà meum Auctor benevolentia respexit obsequium, ut tenuitatem qualemcumque meam non dubitavit prefigere, ad totius, non dicam approbationem, sed operis inspectionem. Hac de causa, integrum opus gratanter, & à prora ad puppin, (ut ajunt) legi, ac perlubenti animo inspexi.

Nil in eo reperi, nisi lectu dignissimum; pleraque nova, vel innovata, & addita; (ò quam pauci modò inventis addunt, sed pauciores inveniunt!) cæteraque ad minus clara sunt, novaque methodo congesta. Mirabitur sanè, qui attentè legerit; ego autem (si fas est ita loqui) non miror, eùm nil repererim quod Auctoris præclarissimi ingenii acumen prætervolet, qui opulentæ mentis dotibus instructus, in Liberalibus disciplinis famigeratus; in Geometricis, ac universæ Matheseos facultatibus versatissimus, & in omni Theologia ad plenum eruditus; tanta omnigenæ doctrinæ præstantiâ polleat, ut etiam reconditionis sapientiæ monumenta, in lucem emisserit, ac deinceps emittere valeat. Testatur hoc communis de hujus Viri eminentia opinio concepta, qua inter floridiora, & profundiora Valentini Athenæi ingenia, non immeritò recensetur, & collocatur. Quid ergo mirum, (suscineat quæso, etsi ejus modestia rubore suffundatur) quid mirum, inquam, si tam vario, ac multiplici scientiarum apparatu, Doctoris nostri mens suffulta, novam, vel saltem renovatam calcaverit semitam; & quod mutabilibus Stagiritæ opinionibus relictis, luc Philosophia

ſophiæ præclara fecerit incrementa? Veritatis amans, Antiquorum ſecutus eſt greſſus, qui ingenuè ſcribebant, & noviter inventa literis mandabant, ut ſic humana exercerentur ingenia.

Hæc, ni fallor, cauſa præcipua, cur in Græcia, ubi primùm Philoſophia maximè celebris, ab incunabilis in Jonicam, & in Italicam, quaſi in duas claſſes fuerit diviſa. Per ſæcula ferè quindecim, ab Ariſtotelis tempore, ratione materiæ, vel ratione formæ, æquè ſemper partita, liberrimè quis in ſuo ſenſu abundabat. Imò ſuſpicor, quod omnimodè eandem in philoſophando libertatem retinuiſſent, niſi Arabum Schola, cujus unicus tunc Coriphæus Averroes, Cordubæ natus, ſæculo Æræ Chriſtianæ duodecimo, Ariſto- telem cunctis Philoſophis præcalliſſet. Cumque ex Hiſpania Averrois commentaria in Gallias fuiſſent inveſta; & Philoſophiæ ſtudioſi alium præter Ariſto- telem Philoſophum neminem haberent; nec diverſos Stagiritæ Interpretes, (ut plene probat Franciſcus Patricius *lib. 1. 2. Diſcuſ. peripat.*) præter Averroem invenirent, qui ejuſdem Philoſophi verba tanquam oracula arbitratus, ſummis decantabat laudibus; illum Galli mirum in modum ſunt amplexti: & exinde alia philoſophandi genera in deſuetudinem abeuntia; Peripatetica Philoſophia, eo ſæculo, cæteris prævaluit, quam paulò poſt, Divus Albertus Maganus in Germania; Divus Thomas in Italia; & uterque Joannes Scotus in Anglia diſſeminarunt; ſicque factum eſt, ut per continuata ſæcula in omnibus Europæ Academiis, univerſus Doctorem cæteris ariſtotelizaret. Et quamquam illiç in Reales, & Nominales fuerit ſubdiviſus, magis tamen de unius Ariſtotelis ſinceriori expoſitione contenderunt, quam de vera Naturæ cognitione.

Fateor quidem Peripateticorum Principem xvi antiqui fuiſſe prodigium, qui pleraſque philoſophicas quaſtiones, prout tulerunt tempora, luculenter, & acutiſſimè diſſolverit; non tamè ideo Scriptores deterrendi, aut ejus reverentiâ ita cobibendi, quaſi aliquid contra illius dogmata nefas ſit dubitare, aut opponere. Hoc enim eſſet Scriptorum libertatem adimere; plerumque ipſam veritatem inauditam damnare; phyſicalium experimentis limites præſigere; ac ignaviam, & negligentiam in ſcienciis naturalibus

introducere. Dicant, quaſo, qua ratione Thomas, Bonaventura, Scotus, Suarez, & alique primarii Philoſophi, & præſtantiſſimi Theologi, non ita approbantur, quin à multis improbentur; & cum hæc humana videatur eſſe conditio, ut quod uni placeat, alteri diſpliceat, cur ſolus Ariſto- teles ab examine ſervandus? Cur, ſi quid falſum pronuntiarit, non licebit corrigere; ſi quid mancum, aut mutilum, ſupplere; ſi quid in natura rerum aut contrarium, aut prætermiſſum, id perſectibere? Quid hoc vetat, non capio, nullis enim vel naturæ, vel Sanctæ Eccleſiæ legibus obſtringimur ad Ariſtotelis placita undequaque approbanda.

Deus ipſe, (ni fallor) hanc in phyſicis, citra Fidei orthodoxæ periculum inquirendi, & arguendi hominibus licentiam conceſſit: licet enim per Apoſtolum Joannem (*cap. 2. v. 15.*) omni Fidelium etati ſcribat, ut nolint diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; quia ſi quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo; aliter tamen cum intellectu noſtro ſe geſſit, mundum namque tradidit diſputationi hominum (*Eccleſiaſtes 3.*) ut non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem. Quæſi dicat, Deum voluntatem noſtram ab amore mundi compeſcuiſſe, ne obiectis appetitibus raperetur; & terrenis voluptatibus illaqueata, ad ſuum conditorem evolare non poſſet: Non ſic autem intellectui noſtro, non ſic, cui nulla objecit repagula, ſed totum mundum, id eſt, cunctas creaturas, mundialem machinam, & quæ in mundo geruntur, velut ænigma (ut Hieronymi terminis utar) tradidit ejus diſputationi; ſubaudi, internæ, ac externæ inquiſitioni, etiam examini experimentali, ut hac honeſta, & laborioſa occupatione, otium procul à nobis removeret; atque ſenſim inviſibilia, per ea quæ facta ſunt, intellectuſque conſpicerentur, ſempiterna quoque virtus, & divinitas. Mundum autem contemplandum veluti ænigma, cum Hieronymo dixi, ut non putemus capere poſſe cum cogitamus opus, quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem. Id eſt dictum: Indaget homo quandiù, & quantum voluerit naturæ opera, perſectiones, effectus, & proprietates; adſit, ſi malueris Ariſtoteles ipſe, & ab initio uſque ad finem mundi inquiret, & experiatur; nunquam tamen obtinebit, ut omnes ratione inveniat, vel minimi operis Dei; ideoque ſemper

novæ datur speculationi locus: ita voluit Deus hominem liberimè discurrere, ut discurrendo investigaret, investigando deficeret, & deficiendo humiliaretur, & hunc honorem divinæ Sapientiæ deferret, quæ sola omnia nudè invenit, & perfectè comprehendit. Quis ergo audebit tollere quod Deus ipse dedit? Taceamus. Quod ad me attingit, gratulor Atomillis de ingenitate scribendi.

Prodeat igitur tanto Auctore digna Philosophia, quæ Aristotelicam modo jam sterili, & inculto agitatam fertilem reddat. Hæc torpentes Peripatetici excitentur, ut relegatâ incuriâ, saltem Physicam usui magis acomodatam in posterum tradant. Prodeat Philosophiâ, quæ nimis subtilis, seu futilis abstractiones non deprimit, nec profusis distinctionibus controversias obscurat. Prodeat, inquam, quæ scit connectere cum experientis rationem, ne nimium ratiunculis ex proprio confictis cerebro fidamus. Hic vocum, verborumque ludus exploditur. Hic ingeniorum versutia, & fallacia exterminatur. Et si quis in Aristotelis verba juraverit, discat ad minus qualiter philosophandum: ita Dialecticæ studeat, ut cavillationibus non affuescat: sic Metaphysicæ incumbat, ut eam præcisionum addensata farragine, ad fastidium usque non protrahat. Et taliter Physicam rimetur, ut paululum Geometriæ, & experimentis credat. Hæc una sit cunctis Lectoribus norma discendi, si amont deinceps, quod magis est profecturum.

Et si honos alit Artes, præmiumque decet esse virtutis, Auctorem laudibus, & debito excipiamus honore; nemo illectum, invisumque opus condemnet; nemo præjudiciis seductus præcipitanter contradicat: funditus noscat quid dictum, priusquam adversetur quod dicitur. Modestissimè scribit, ut nemini sit injurius; vicem rependamus; à nullo irridendus, etsi aliqua fortè non arrideant; nec de singularitate crimoandus, qui in his quæ Theologiam concernunt nobiscum quandoque non loquitur, dum aliorum premens vestigia, cum multis loquatur. Omnia ad radium fidei immutabilem collustrat, & nil (quod sciam) contra orthodoxa Sacrosanctæ Ecclesiæ decreta; oïl contra bonos mores continet; nullique censuræ obnoxium: sed opus est omnibus numeris absolutum, & utilissimum, magnoque in pretio habendum, non solum à Philosophis; sed & à plurimis aliis,

quorum (meo judicio) poterit vivificare ingenia. Ideoque typis valdè dignum censeo, ad totius etiam literariæ reipublicæ splendorem; & speciatim ad Valentiniæ; singulare decus, & ornamentum. Sic spontè sentio, lubensque affirmo, & manu mea subseripsi, Valentiniæ in pretiosi Sanguinis Christi Capucinatorum Conventu, die sexta Januarii, anno millesi no septingentesimo, & vigesimo primo.

*Frat. Ludovicus è Flandria.*




**P**Ag. 13. lin. 22. *afflictionem*, lege *afflictionum*. Pag. 20. lin. 29 quod, lege *qui*. Pag. 35. lin. 24. *physica*, lege *physicè*. Pag. 61. lin. ult. *statuta*, lege *statura*. Pag. 152. lin. 20. *veeo*, lege *verò*. Pag. 162. lin. 23. *certus*, lege *certum*. Pag. 232. lin. 12. *factam*, lege *fitam*. Pag. 234. lin. 7. *Sancti Petrus*, lege *Sancti Patres*. Pag. 260. lin. 25. *propositioni*, lege *propositione*. Pag. 261. lin. 21. *impossibile*, lege *possibile*. Pag. 315. lin. penult. *Aristotes*, lege *Aristoteles*. Pag. 321. lin. penult. *babeant*, lege *habent*. Pag. 354. lin. 21. *adversatur*, lege *adversetur*. Pag. 355. lin. penult. *secunda*, lege *separata*. Pag. 445. lin. 27. *actu aforti*, lege *actusforti*. Pag. 521. lin. 18. *est essent*, lege *etiam essent*.

**H**E visto el Tomo primero del *Compendium Philosophicum*, &c. su Autor el Dr. D. Thomàs Vicente Tosca, Presbitero, de la Congregacion del Oratorio de San Felipe Neri de Valencia, y corregidas estas erratas concuerda con su original. Madrid, y Mayo à 15. de 1721.

Licenciado Don Benito del Rio  
y Cordido,  
Correktor General por su Magestad.

## T A S S A.

**T**Assaron los Señores del Consejo el *Compendium Philosophicum*, dividido en cinco tomos, su Autor el P. Dotor Thomàs Vicente Tosca, Presbitero de la Real Congregacion del Oratorio de San Felipe Neri de Valencia, à diez maravedis cada pliego, y dichos cinco tomos parece tienen ciento quarenta y ocho, sin principios, ni tablas, que à dicho respecto montan mil quatrocientos y ochenta maravedis; como consta por certificacion dada por Don Joseph de Bordonaba, Secretario de Camara del Rey nuestro Señor, y de Gobierno del Consejo por lo tocante à los Reynos de la Corona de Aragon. En Madrid a siete de Mayo de mil setecientos y veinte y uno.



# INDEX

## TRACTATUUM, LIBRORUM, ET CAPITUM

In hoc primo Tomo contentorum.

**P**RÆFATIO in universam Philosophiam.  
fol. 1.

## TRACTATUS I.

De Logica, sive Philosophia Rationali.

**LIBER I.** De prima intellectus operatione, sive de Apprehensione. fol. 10.

Caput I. Apprehensionis natura explicatur. 10.

Cap. II. De Terminis, quibus rerum Idea per apprehensiones formatæ exterius explicantur. 14.

Cap. III. De Virtute significativa Terminorum. 22.

Cap. IV. De Proprietatibus Terminorum. 26.

Cap. V. De Universalibus in communi. 30.

Cap. VI. De Universalibus in particulari. 39.

Cap. VII. De Categoriciis seu Prædicamentis Aristotelis. 54.

Cap. VIII. De Modis, seu instrumentis sciendi. 74.

**LIBER II.** De secunda intellectus operatione sive de Judicio. 80.

Cap. I. De Judiciis, ac Enuntiationis natura, ejusque proprietatibus absolutis. 81.

Cap. II. De Proprietatibus respectivis enuntiationis. 95.

LIBER III. De Tertia intellectus operatione, sive de Discursu. 110.

Cap. I. De Argumentatione, ejusque speciebus. 111.

Cap. II. De Materia, & forma Syllogismi. 116.

Cap. III. De Principiis, ac legibus syllogisticis. 127.

Cap. IV. Reliqua ad Artem syllogisticam spectantia exponuntur. 147.

Cap. V. De aliquibus speciebus syllogismorum in particulari. 156.

Cap. VI. De Syllogismo Topico, seu opinativo. 162.

Cap. VII. De Demonstratione, seu Syllogismo demonstrativo. 166.

LIBER IV. De Scientiis in communi: ac de ipsa Logica speciatim. 174.

Cap. I. De Scientiarum obiecto in communi, ejusque conditionibus. 175.

Cap. II. De Divisione, unitate, ac distinctione scientiarum. 183.

Cap. III. De Methodo. 188.

Cap. IV. De ipsa Logica. 202.

## TRACTATUS II.

### De Metaphysica Intentionali.

LIBER I. De Ente secundum se. fol. 215.

Cap. I. De præcisionibus, seu abstractionibus. 218.

Cap. II. De Conceptu Entis. 321.

Cap. III. De Possibilitate, & actualitate Entis. 242.

Cap. IV. De Ente non positivo. 259.

LIBER II. De Proprietatibus Entis. 262.

Cap. I. De Veritate, prima proprietate Entis. 262.

Cap. II. De Bonitate, secunda proprietate Entis. 278.

Cap. III. De Unitate, tertia proprietate Entis: & de rerum distinctione. 280.

LIBER III. De Divisione Entis in substantiam, & accidens, seu de his, quæ in decem Cathégoriis continentur. 318.

Cap. I. De Substantia, sive de Ente prout est per se, & subsistit. 319.

Cap. II. De Subsistentia termino substantiæ. 327.

Cap. III. De Accidente, sive de Ente prout alterum accidentariò afficit. 347.

Cap. IV. De Extensione, seu Quantitate. 368.

Cap. V. De Qualitate. 389.

Cap. VI. De Relatione. 398.

Cap. VII. De Postprædicamentis. 417.

LIBER IV. De Causis. 424.

Cap. I. De Causis in communi. 424.

Cap. II. De Causis in particulari. 436.

LIBER V. De Infinito. 505.

Cap. Unicum. Cuncta, quæ ad infinitum spectant, perpendens. 508.

## LECTORI MEO

S. P.



IN Ingenioli mei secundus in lucem prodit fetus : & cum jam me prælo semel crediderim, pergo, & in publicum rursus prodeò, ancipitem forte judiciorum aleam subiturus, dum quemadmodum prius Mathesin, ita nunc Philosophiam in compendium redactam exhibeo. Nescius siquidem hæud sum, quot hujusce scientiæ illustrium Virorum prodierint monumenta : quotque è Thomistarum, Scotistarum, Nominalium, aliorumque pericissimorum Schola edita sint Philosophiæ volumina, quibus Orbis literarius ita ditescit, ut dum meas elucubraciones publicè evulgare studeo, nihil aliud mihi facere videar, quam in pelagus stillas, in silvam stipites, & in clarissimum Solem fumantem potius, quam lucentem tedam inferre.

Ita sanè : verùm & inde mihi libentiùs gratulor, quod sæculum ita eruditum sim nactus, ut possim cum Ovidio *lib. 3. de Arte aman.* veriùs concinnere:

*Prisca juvent alios : ego me nunc denique natum  
Gratulor; hæc ætas moribus apta meis.*

Mihi, inquam, iterum gratulor, quod tantorum vestigiis inharens, securius veritatis tramitem tenere possim, nec ab illo quicquam deflectere.

Hoc itaque opus, quod ope divina adjutus expedivi, absolutamque, ut communi utilitati litarem, publici juris feci, ita composui, ut licet aliquibus, nisi fallor, aliqua in eo nova dedisse videar; vetera tamen minime neglexisse attentè legenti patebit : imo,

ut

ut verùm fatear, non nisi vetusta dedi : sed nova forsitan facie, nova methodo : novumque ædificium ex non novis lapidibus extruere curavi : atque quantum mihi licuit, ita nova surcula veteribus inoculare tentavi, ac vetera novis, ut ex hac insitione uberes sapidique fructus in legentium utilitatem simul ac voluptatem producerentur. Vale, & fruire.

TRA-

# TRACTATUS

UNIVERSI OPERIS.

TOMO I.

- I. De Logica.
- II. De Metaphysica Intentionali.

TOMO II.

- III. De Physica Generali, primus.

TOMO III.

- IV. De Physica Generali, secundus.
- V. De Mundo, & Cælo.

TOMO IV.

- VI. De Elementis, & Mixtis.
- VII. De Meteoris.
- VIII. De Fossilibus, & Mineralibus.
- IX. De Vegetabilibus, seu Plantis.

TOMO V.

- X. De Animalibus.
- XI. De Metaphysica Reali.

IN

\* (1) \*

## IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM PRÆFATIO.



D sane quod in Templis, ædibusque vestibula, sunt in quolibet opere litterario præfationes: quemadmodum enim illa internam ædificii molem intuentium oculis breviter objiciunt; ita præfationes tractandarum rerum amplitudinem, ad synopsis veluti redactam operis fronti præfigunt. Ne igitur Philosophiam, quam pertractandam suscipimus, insalutatam adoriamur, ante omnia ita ejus vultum intueamur oportet, ut in ipso hujus operis ingressu, rudiori saltim penicillo, adumbratam ejus effigiem Philomusis exhibere possimus, ut illius intuitu avidius eam prosequantur. Illam itaque propriis coloribus depinxit Boetius, dum *de consol. Philos. lib. 1. prosa 1.* sibi asstitisse ait, *reverendi admodum vultus: oculis ardentibus, & ultra communem hominum valentiam perspicacibus: colore vivido, atque inexhausti vigoris, &c.* quæ ipsi mæltissimo, ac perturbato animo decumbenti, ut mederetur, adfuit: ejusdemque lumina mortalium rerum nube caligantia tersit, oculosque flotibus inundantes contracta in rugam veste siccavit. Idcirco Philosophiam medicinam animæ esse asserit  
*Comp. Phil. Tom. I.*

A

Ci-



Cicero 3. *quest. Tusculan.* Nec incongruè, gemino namque illi languori medetur, quem in primi hominis lapsu contraximus, incitiâ videlicet in mente, ac præva inclinationis in voluntate.

Philosophia itaque juxta nominis etymologiam nihil aliud est, quam studium, & amor sapientiæ: quod quidem nomen à Pythagora fuisse desumptum ait Clemens Alexandrinus *lib. 4. Strom.* Rogatus enim quomodo in re sapiens sibi esse videretur, respondit se non sophum, seu sapientem esse; sed Philosophum, seu amatorem sapientiæ: exactius sic communiter explicatur: *Rerum divinorum, humanarumque scientiæ cognitio*: seu melius, ut totam ejus amplitudinem comprehendam: *Rerum omnium cognitio per causas.* Si autem causæ per quas præfata res cognoscuntur, altissimæ sint, ac universalsimæ, earum cognitio appellatur *Sapientia*: si verò supernaturales sint, dicitur *Sapientia supernaturalis, seu Theologia*: si tandem sint purè naturales, propriè vocatur *Philosophia, seu naturalis sapientia.*

Ejus autem originem ne aliundè quæras, quam à Deo: id enim præterquam quod naturali lumine satis fit notum, testantur sapissimè sacre Paginæ: ut *Eccl. i. 1. Omnis sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum.* Et *Psal. 93. v. 10. Qui docet hominem scientiam.* Undè nam enim sapientiæ lumen humanæ menti illabere potuit, nisi ab eo, qui ut ait Apostolus *Lumen habitat inaccessibilem.* Ab hoc ergo Patre luminum repetendus est Philosophiæ, omnique sapientiæ origo, à quo omne bonum procedit. Illam certè Adamo primum infudit, à quo per Matusalâ potuit ad Noachum pervenire: à Noach

cho verò, ejusque natis, ad Chaldæos, & Hebræos: ab his ad Ægyptios: à quibus ad Græcos transfecit: & à Græcis tandem ad Latinos, reliquosque Boreales, ac Occidentales populos successu temporum delata est. Verumtamen præcis illis temporibus hominum incuria sic obsolevit, ut qui subsequentiæ sæculis vixere, non sine improbo labore illam sub ignorantia tenebris altè defossam, invenire, ac ad pristinum splendorem aliquatenus restituere potuerint.

Restauratæ autem Philosophiæ seriem hic breviter succingam, ex his præsertim quæ S. August. adfert *lib. 8. de Civit. Dei, à cap. 2.* Non itaque defuere præstantes ingenio viri, qui nedum oblita, verum obliterated veteris sapientiæ vestigia, solerti animo inquirentes, deterfa qua tegebantur fabularum sorde, patefecerint, per ipsaque gradientes, latentem veritatem ingenti studio requirerent. Horum præcipui fuere Pythagoras, & Thales Milesius. Pythagoras quidem natione Samius, qui ob Policratis tyrannidem è patria factus exul, in Calabriam Italiæ Provinciam deveniens, ibique primus Philosophiam docens, Italicam sectam instituit, à qua deinceps Pyrronica, & Epicurea dimanasse dicuntur.

Thales autem è Mileto Joniæ oppido oriundus, Joniæ sectæ princeps fuit. Huic successit Anaximander ejus auditor, licet in plerisque circa rerum naturas à suo Magistro discesserit. Anaximander Anaximenum discipulum, & successorem reliquit, qui duos, eosque præstantissimos habuit discipulos, Anaxagoram nempe, ac Diogenem: Anaxagoræ successit ejus discipulus Archelaus: Archelai autem discipulus fuit Socrates, qui primus universam Philosophiam ad cor

4  
 rigendos mores flexisse memoratur. Inter plurimos autem, eosque præclaros, quos habuit discipulos, præcipuus fuit Plato, cuius ingenium ita refulsit, teste Augustino, ut cæteros obscuraret: Ipse quoque fuit Academicorum Princeps, qui ita appellabantur, quod in amantissimum locum *Academia* dictum convenientes, philosopharentur: præstantissimos habuit Auditores; præcipuus autem fuit Aristoteles, qui Stagira in Macedonia finibus natus, Athenas studiorum causa missus, annum agens decimum septimum, Platonem adiit, ejusque disciplinæ annis 20. fuit auditor, cuius tam acre ingenium agnoscens Plato, testabatur abesse ab schola mentem, cum abesset Aristoteles. Quoniam verò post Platonis mortem Speusippus fororis ejus filius: & Xenocrates ejusdem discipulus in Academicorum scholam fuerunt suscepti, Aristoteles seorsim Philosophiam docens, Peripateticæ scholæ Auctor fuit: ejusque discipuli *Peripatetici* fuere cognominati, quod deambulando disputarent. Quot autem, quantique fuerint, qui huic scholæ dederint nomen, nemo ambigit: ita enim sub felici sydere orta videtur, ut ipsa præ cæteris ad usque nostra tempora communiter amplectatur.

In asserenda autem utilitate, ac necessitate Philosophiæ, non est multum hærendum, cum certum sit illam hominis mentem illuminare, ac voluntatem insuper ordinare, ac perficere: Philosophia enim est, quæ verum à falso, atque à malo bonum fecernere docet: ipsa quoque hominem Christianum in fide corroborat, atque ad ejus adversarios confutandos, coercendosque maximè conducit.

De partibus demum in quas Philosophia dividitur

3  
 aliquid dicamus. Et primo quidem à Platone tripartitam fuisse in Moralem nempe, Naturalem, & Rationalem: seu in Ethicam, Physicam, & Logicam, testatur S. August. *lib. 4. de Civit. Dei, cap. 4. & lib. 15. cap. 25.* tum & Cicero *lib. 1. Academiæ. quæst.* & alij, quam divisionem ab Hebræis accepisse Platonem testatur Eusebius *lib. 1. Præparat. Evang. cap. 1.* Inclusit tamen scientiæ naturali Mathesin, quod judicaret, sine hac illam subsistere minimè posse. Nunc autem communiter in quatuor partes dividitur, videlicet *Rationalem, Naturalem, Transnaturalem, & Moralem*: sive in *Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Ethicam*. Et Logica quidem intellectum dirigit: Physica eidem rerum naturalium causas ostendit: Metaphysica ad altiora, subtilioraque meditanda erigit: Moralis tandem hominis voluntatem ad verum bonum adducit: & hic quidem scopus est veræ Philosophiæ, ut enim ait S. August. *lib. 8. de Civit. Dei, cap. 1.* Si Philosophiæ nomen amorem sapientiæ sonat: Deus autem sapientia est, per quem facta sunt omnia, ille certè verus Philosophus est, qui est amator Dei.

In hunc itaque finem meas lucubrations dirigens, præfatas Philosophiæ partes in hoc opere comprehendam. Ethica excepta, quam sibi Theologi maxima ex parte vendicant. Quoniam verò Metaphysica alia est Intentionalis, quæ de rebus à materia per mentem abstractis agit; alia verò Realis, quæ de illis pertractat, quæ realiter ab omni materia sunt secreta, hunc ordinem mihi observandum proposui, ut 1. Logicam traderem, quæ ad omnia intelligenda mentem dirigit. 2. Metaphysicam intentionalem, quia non modicum ad sequentia plenius percipienda conducit.

3. Physicam, seu rerum corporearum scientiam;  
 4. Tandem Metaphysicam realem. Sic enim doctrinæ ordinem aptius observari existimo. Quæstiones tamen quam plurimas mitas faciam, quod nempe inutiles prorsus sint, maleque in illis pertractandis teratur tempus, quod potius in aliis plerisque tum utilitate, tum jucunditate commendabiles deberet impenditur dicente Seneca *Epist.* 49. *Quid te torques, & maceras in ea quæstione, quam subtilius est contempnissse, quam solvere*: præcipuè cum certum sit divini Hippocratis monitum *libr.* 1. *Aphor.* 1. *Vita brevis, ars longa, experientia fallax, occasio præceps, iudicium difficile.* Id præterea semper in votis habui, ut rectam Methodum, rerumque tractandarum imperturbatam seriem omnino observarem: opus enim absque Methodo traditum, nihil est aliud præter id quod Ovidius dixit.

*Obscurum cabos, ac rudis, indigestaque moles,  
 Nec quicquam nisi pondus iners, congestaque eodem  
 Non bene iunctarum discordia semina rerum.*

(\* \*\* ) (\* \*\* ) (\* \*\* )

(\* \*\* ) (\* \*\* )

(\* \*\* )

# COMPENDII

## PHILOSOPHICI.

### TRACTATUS I.

#### DE LOGICA, SIVE PHILOSOPHIA RATIONALI.



ÆC prior Philosophiæ pars, è qua hocce opus ordimur, triplici nomine potissimum donatur: appellatur enim *Logica*, *Philosophia rationalis*, & *Dialectica*. Dicitur *Logica* à voce Græca *Logos*, quæ idem sonat, ac *sermo*, sive *ratio*: est enim

scientia regulans, ac dirigens sermones, præcipuè internos, seu intellectuales: ob eandemque rationem *Philosophia rationalis* appellatur, quod nempe speciatim per ipsam hominis ratio, seu intellectus perficitur, ac dirigatur. Tandem nominatur *Dialectica*, sive duorum sermo, quod scilicet dialogum illum artificiosè disponat, quo duo pro veritate detegenda intellectuali pugna decertant, quorum alter opponentis,

alter verò respondentis munus gerit. Hinc merito ab Auctoribus multiplici titulo commendatur: dicitur enim scientiarum ianua, sapientiæ fax, mentis oculus, veritatis trutina, clypeus disciplinæ, clavis aurea, scientiarum scientia, & ars artium, quam qui tenuerit felici auspicio sapientiæ arcem ingreditur; è contra verò, qui ipsa fuerit orbatus: ut enim rectè Poeta.

*Qui Logicam nescis, effosso es lumine Cyclops.*

Quemadmodum enim cæmentarii ad perpendicularum parietes erigunt, ne corruant: ita & Philosophi singula ad amicum dialecticam expendere debent, ut quæ asseruerint stabili ratione firment, & ab adversantibus defendant.

Duplex quidem communiter distinguitur Logica; alia *Naturalis*, alia *Artificialis*. *Naturalis* nihil aliud est quam ipsum rationis lumen hominibus innatum, quo seclusis etiam aliis præceptis, ratiocinari potest. *Artificialis* est, quæ certis regulis adhibitis, intellectum ad promptè, rectèque discurrendum erudit, ac dirigit. Qui in Logica artificiali tradenda palmam tulit fuit Aristoteles, qui acumine non vulgari plurimos de hac materia libros conscripsit. Hanc itaque pertractandam suscipio: cum autem ea tota sit in nostri intellectus operationibus dirigendis, quæ, ut postea dicam, ternario numero concluduntur; idcirco tractatum istum triplici libro trisectum exhibeo: Primus continet quicquid ad primam intellectus operationem spectat, quod nempe Aristoteles in libro *Catégoriarum*, seu *Prædicamentorum* includit. Secundus, quæ ad secundam operationem pertinent, exponet; quod Philosophus claudit in libris, quos *Perhiermenias*, seu de *Interpretatione* nuncupat. Tertius tandem, quæ ad

tertiam operationem faciunt, continet; quæ Aristoteles in libris *Analyticorum*, *Topicorum*, & aliis congestit. Quemlibet insuper librum in sua capita pro materiæ diversitate distribuam; imperturbata tamen ab ejus initio propositionum serie, ut brevius, cum opus fuerit, citationes adferam.

Id tandem maximè hic monendum duxi, expedire nempe non esse nimium in regulis dialecticis quam plurimis cumulandis, observandisque; plus enim oneri sunt intellectui, quam auxilio: ut enim rectè S. August. multa interdum tam clara sunt, ac perspicua, ut expositione, & regulis potius obscurari, quam illustrari videantur: ait enim *lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 37. Tanquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non esse levandum pedem posteriorem, nisi cum posuerit priorem: deinde minutatim, quemadmodum articulorum, & poplitum cardines oporteat movere describat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari potest. Sed facilius homines hæc faciendo ambulant, quam animadvertant, cum faciunt, aut intelligant, cum audiunt.... Itaque plerumque citius ingentisus videt non esse rectam conclusionem, quam præcepta ejus capit; tardus autem non eam videt; sed multo minus, quod de ea præcipitur.* Hinc non desinam mirari aliquos, qui, ut ait Mousnerius, iis tricis perinde quasi araneis infelices muscæ detinentur: Suos tamen quisque patitur manes. Hunc ego scopulum vitare cupiens, quæ mihi inutilia visa fuerint, rejiciam: tantumque illa exponam, quæ tyroni rectè insituendo conferre judicavero.



## LIBER I.

DE PRIMA INTELLECTUS OPERATIONE,  
SIVE DE APPREHENSIONE.

## CAPUT I.

*Apprehensionis natura explicatur.*

## PROPOSITIO I.

*Operatio intellectus in communi exponitur.*

**R**ECTA docendi methodus exoptulat, ut ab his Dialecticam nostram exordiamur, quæ facillima cum sint, ad ea quæ dicenda sunt veluti manuducant: cumque de operationibus intellectus simus acturi, quidnam hæc in genere sint explicare oportet. *Potentia* itaque in communi est illa virtus quam aliqua res habet ut aliquid agat, seu ut effectum aliquem producat. *Operatio* verò, seu *actus* est illud ipsum operari, seu producere prædictum effectum. Sic dexteritas illa, seu aptitudo, quam habebat Apelles ut imaginem depingeret, est *Potentia*: ipsam verò imaginem actualiter depingere, est præfata potentie *actus*, seu *operatio*. Imago verò super tabulam depicta est ejusdem effectus. Hoc supposito.

Prima animi nostri potentia est Intellectus, quæ idcirco *Potentia intellectiva, seu cognoscitiva* appellatur: quod nempe per ipsam innumera propemodum percipere, intelligere, ac cognoscere valemus: ipsum

verò

verò actu intelligere, percipere, ac cognoscere, est intellectus *Operatio*, quæ & *Intellectio*, *Perceptio*, & *Cognitio* appellatur. Res autem illa, quæ percipitur, intelligitur, aut cognoscitur, dicitur *Obiectum* tum intellectus, tum & actualis perceptionis, sive cognitionis, quod nempe ipsis veluti obijciatur, fiatque aliquo modo præsens.

Hujusmodi autem operationes, seu actus intellectus metaphoricè *conceptus*, seu *conceptiones nominantur*: intellectus enim, mediante ea, quam ab obiecto recipit, specie, illud intra se veluti concipit cum ipsum cognoscit: conceptum autem istum excludit, atque in lucem edit, cum verbis exprimit: ideoque eos rectè concipere dicimus, qui res apprime comprehendunt; eos insuper, qui ea, quæ interius concipere, nitida methodo, disertoque sermone præferunt, rectè se se explicare pronuntiamus. Easdem præterea nostri intellectus operationes interdum à Philosophis *Intentiones* nuncupantur, à verbo nempe Latino *Tendo*, quod motum aliquem versus aliquam partem significat: Intellectus enim visus operationibus, versus illud obiectum quod cognoscit aliquatenus fertur. Quid autem per primas, ac secundas intentiones intelligatur suo loco exponemus.

## PROPOSITIO II.

*Nostri intellectus operationes sunt tres, nempe Apprehensio, Iudicium, & Discursus.*

**T**Res communiter assignantur nostri intellectus operationes, *Apprehensio* videlicet, *Iudicium*, & *Discursus*. *Apprehensio* est cognitio nihil de suo obiecto affirmans, aut negans; qualis est cognitio ita Deum

Deum simpliciter cognoscens, ut de illo nihil affirmet, aut neget. Duplex est Apprehensio, alia dicitur *Simplicissima, seu incomplexa*, & est illa quae unicam tantummodo rem cognoscit; ut quae solum hominem, aut solum Triangulum exprimit: alia est *Simplex, seu complexa*, & est illa quae duos, aut plures terminos attingit, absque affirmatione tamen, aut negatione: ut quae Hominem sapientem; aut Triangulum æquilaterum cognoscit: quarum prima Hominem, & Sapientiam exprimit: secunda, Triangulum, & laterum æqualitatem cognoscit.

*Judicium est cognitio aliquid affirmans, aut negans de suo obiecto*, ut cognitio asserens *Deus est optimus: Deus non est iniquus*. Hæc secunda mentis operatio, præcipuè cum exprimitur, aliisque enunciat, seu proponitur, dicitur etiam *Enuntiatio, seu Propositio*: & in ea id de quo aliquid affirmatur, aut negatur, appellatur *Subiectum*: id verò quod de prædicto subiecto affirmatur, aut negatur, dicitur *Predicatum*. Sic prolatio ista: *Petrus est homo*, est enuntiatio, seu propositio, in qua subiectum est Petrus, quia de ipso asseritur esse hominem; *Homo* verò est prædicatum, quia dicitur de Petro.

*Discursus est cognitio inferens unum ex alio*: ut cum asserimus *Deus est bonus: ergo est amabilis*. Ubi vides intellectum inferre Deum esse amabilem ex eo quod sit bonus. Aliquoties discursus duplici propositione exprimitur, ut in adlato exemplo; tuncque prima propositio dicitur *Antecedens*; secunda verò *Consequens*, quod ex prima, seu ad primam consequatur: sic in præfato exemplo: *Deus est bonus*, est antecedens: *ergo est amabilis*, consequens appellatur. In-

terdum verò Discursus triplici propositione enunciat: ut cum dicimus: *Omne bonum est amabile: atqui Deus est bonus. ergo Deus est amabilis*: & in hoc casu prima propositio dicitur *Major*; secunda, *Minor*; tertia, *Consequens*. Hæc in præfati sufficiunt, latius enim suo loco exponuntur.

## PROPOSITIO III.

*Intellectus à prima operatione ad secundam; à secundam ad tertiam communiter progreditur.*

**G**Raditur intellectus noster, currit, atque discurret, cum pro veritate venanda ab uno in aliud celeri indagine progreditur. Primo itaque gressu, seu congressu obiectum apprehendit, cumque simpliciter cognoscens, illius intra se format Ideam, qua illud veluti capit, ut deinde ad iudicium deferat, ac circa illud ferat sententiam, affirmans de illo quod ipsi convenire, aut de ipso negans, quod illi minime convenire apparuerit. Facto insuper circa obiectum iudicio, ultra intellectus progreditur, ac celeriori motu discurrens, alia ex aliis colligit, ac infert: donec præfati obiecti, ejusdemque affectionem plenam notitiam adipiscatur. Vides itaque qualiter ad apprehensionem obiecti sequatur iudicium; huic verò discursus naturali ordine subsequatur: rem tamen exemplo illustremus. Fertur intellectus in hominem, primoque intuitu ejus ideam simpliciter per apprehensionem efformat: deinde de ipso intellectivum esse judicat, volitivum, &c. Quo facto iudicio, asserit discurrens: *Homo est intellectivus: ergo est vivens*.

Hinc apertè colligitur, maximè opus esse, ut apprehen-

hensonis ope, clarę, ac distinctę formentur obiecto-  
rum ideę, ut intellectus recto tramite veritatem inquirat, minimumque ab ea discedat: quemadmodum enim error, qui in prima decoctione, quę in stomacho fit, in aliis, quę in cęteris corporis officinis pertrantur, non corrigitur; sed potius augetur, non sine cachexiæ periculo: ita error in prima mentis operatione, ideęque formatione admittitur, in reliquis non emendatur; sed latius promovetur. Quid enim ex confusa, ac perturbata obiectorum idea expectari potest, nisi falsa iudicia, absurdorumque illationes. Hinc cum in nostra infantia imperfectas valde rerum ideas formaverimus, quę quidem altę mentibus nostris fuerunt impressę, non mediocri diligentia opus est, ut eas corrigamus; aliter enim mentis functiones imperfectę erunt, quod nempe in sua origine vitentur.

## CAPUT II.

*De Terminis, quibus rerum Ideę, per apprehensiones formatę exterius explicantur.*

**C**ONCIPIIT intellectus, ut nuper dixi, rerum Ideas: ut autem hanc a se conceptam prolem in lucem edat, aliisque patefaciat, in hac mortali vita externis indiget signis, quę voces quędam sunt, aperte, ac nitidę ea exterius pro dentes, quę interiorius intellectus conceperat: hasque voces *Terminos* appellamus. Et quidem omnes scientię proprios habent terminos, quibus peculiare ideę ad illas perti-

nentes explicantur: sic Theologię termini sunt: *Aeternum, Immutabile, Infinitum, Supernum, Meritum, Demeritum, Revelatum, &c.* Geometrię verò sunt: *Majus, Minus, Equale, Inequale, Proportionale, &c.* Musicę autem: *Grave, Acutum, Consonum, Dissonum, Diapasson, Diapente, Monochordon, Exachordon, &c.* Et sic de reliquis, quorum expositio ad predictas scientias spectare indubium est.

Verum enim verò sunt alii termini, qui omnibus scientiis, & Artibus generaliter pertinent, quorum expositio ad Logicam, quę ars artium est, scientiarumque scientia jure proprio spectat, quos idcirco *Terminos Logicos, seu Dialecticos* merito possumus appellare, quorum explicatio, hunc sibi vendicat locum. Hanc ut majori claritate exhibeam, terminos in duas classes dispertiam: prima est eorum, qui generatim in locutionibus scientificis frequentius usurpantur: secunda verò illorum qui peculiariter in ordine ad propositiones accipiuntur à Logicis, ut earum genuinum sensum, omni ambiguitate sublata, perspicue patefaciant.

## PROPOSITIO IV.

*Termini scientifici generales explicantur.*

**H**orum terminorum noticia, quam necessaria sit, ut circa cujuslibet scientię materiam rectę, ac perspicue disseratur ex infra dicendis patebit.

1. *Essentia* alicujus rei est Natura, seu peculiare esse ejusdem rei: Apprehensio autem illam cognoscens est ejusdem propria, ac peculiaris idea: Voces autem, seu termini, quibus eam explicamus, sunt præfatę rei definitio, ut postea dicam. *Predicata essentialia, sive partes essentialia* alicujus rei, sunt ea quę essentiam

rei constituunt, nec ab illa ullatenus distinguuntur; *Exemplum.* Essentia hominis est esse *Animal rationale*: voces verò istę *Animal rationale*, sunt ejusdem definitio: Quod autem significatur per hanc vocem *Animal*, & per hanc *Rationale*, sunt hominis prædicata essentialia: Dicuntur *Prædicata*, quia verè de homine dicuntur; *Essentialia* verò, quia ejusdem essentiam constituunt.

2. *Accidens* alicujus rei dicitur illud, quod eidem rei accidit, seu quod in ea reperitur, ad ejus tamen essentiam minimè pertinet; nec ipsi necessario, sed solum contingenter convenit: ita ut sive prædicta rei adsit, sive absit, eadem semper res perseveret. Sic esse album, aut nigrum est accidens hominis; sive enim album sit, sive niger, semper est homo.

3. Illud dicitur convenire alicui rei *essentialiter*, quod ad illius essentiam pertinet. Sic esse rationale, essentialiter convenit homini, quia ad ipsius essentiam pertinet. Illud autem alicui rei *accidentaliter* convenire dicitur, quod ad ejus essentiam minimè spectat; imò res absque illo consistere, aut saltem concipi potest. Ut esse album respectu hominis.

4. Aliquid alteri *realiter* convenire dicitur, cum verè, & in re eidem convenit, idque sive essentialiter, sive accidentaliter. Sic asseritur Petrum realiter esse hominem; ac etiam realiter esse album.

5. Tunc aliquod attributum dicitur convenire alicui *formaliter*, seu *quatenus tale*, cum designare volumus perfectionem peculiarem ratione cujus, illi convenit prædictum attributum. Sic dicimus *Album formaliter*, seu *quatenus tale*, seu *quatenus album est*, nocere visui: non enim album quatenus paries est, aut

papyrus, potentia visivæ est infesum; sed quatenus album: si enim præfatę res alterius essent coloris, minimè visui nocerent.

6. *Materialiter*, & *Idemptice* aliquid alteri convenire dicimus, cum idem ea ratione convenit, quod subiectum commune sit aliarum etiam perfectionum. Sic dicimus Medicum esse Musicum *materialiter*, & *idemptice*: id est, idem subiectum, quod Medicus est, etiam est Musicus: nullatenus verò dicimus Medicum formaliter, seu quia Medicus est, esse Musicum: non enim eo Medicus est quod Medicinam calleat.

7. *Virtualiter* idem sonat, atque *Aequivalenter*. Sic dicimus Proregem virtualiter, seu æquivalenter esse Regem, quia licet Rex realiter non sit, idem tamen intra suæ ditionis terminos præstat, quod Rex, idemque munus gerit.

8. *Adequatè*, & *Totaliter* idem significat, ac secundum omnes omnino partes. Sic dicimus Corvum *totaliter*, & *adequatè* esse nigrum, quod nempe secundum omnes sui partes niger sit. E contra verò *inadequatè*, ac *partialiter*, idem est ac secundum aliquam, vel aliquas tantum partes. Sic Æthiopem esse *inadequatè*, ac *partialiter* album asserimus, quod nempe tantummodo albus sit secundum dentes.

9. *Explicitè* aliquid dicimus, cum id propriis nominibus explicamus; *Implicitè* verò, cum non nisi quatenus in alterius nominis significato includitur. Sic cum dicimus Socratem fuisse Philosophum, *explicitè* Philosophiam asserimus; *implicitè* verò Logicam in Philosophia contentam.

10. *Prædicata primaria* alicujus rei sunt ea, quæ primo, ac principaliter considerantur in tali re, sicutque radix cæterorum. Sic dicimus *Animal*, & *Rationale*



esse prædicata primaria Hominis: sunt enim ea, quæ primo, ac principaliter in Homine agnoscuntur; & ex quibus cætera veluti ex primæva radice dimanant. *Prædicata verò secundaria*, sunt quæ primaria supponunt, ex eisquæ veluti oriuntur, ideoque quasi in secundo loco considerantur. Sic *non esse Leonem* est hominis prædicatum secundarium, eo enim Leo esse nequit, quod rationale sit, seu discursivum.

## PROPOSITIO V.

*Termini dialectici, qui ad propositiones, seu enunciationes pertinent, explicantur.*

**T**erminum, prout à Logicis accipitur, sic 1. *Prior* definit Aristoteles: *Id in quod resolvitur propositio, tamquam in prædicatum, & subiectum.* Cumque quælibet res in ea tandem resolvatur, ex quibus componitur, rectè asserunt communiter Philosophi Terminum in præsentem esse *id ex quo componitur propositio, tamquam ex prædicato, & subiecto*: sive ea esse terminos Logicos, quæ exprimunt prædicatum, ac subiectum, eorumque affectiones. His satis intemptivè solet in Scholis disputari, an ut aliquid terminus sit, oporteat actu componere propositionem; an verò sufficiat, eam posse componere, licet eam actu non componat. Quæstio est de nomine. Certum enim est Ignem communiter elementum dici, etiam cum ab omni mixto separatum exiit: Sectos item lapides domui componendæ destinatos, cum adhuc in Latomi officina detinentur, partes futuri ædificii frequenter appellari, eo solum quod ipsi componendo proximè aptati sunt, ac destinati: Cur ergo similiter de terminis logicis loqui non liceat? Quidquid autem de hoc sit. Terminum logicum esse dico vocem quamlibet, quæ ideam exprimit

mit obiecti, quod tamquam subiectum, aut prædicatum propositionem componit, aut componere potest. Horum autem Terminorum multæ sunt differentia, quarum præcipuas breviter exponam.

1. Dividitur Terminus in *Positivum, Negativum, & Privativum*. Terminus *Positivus* est qui aliquid reale, & positivum significat, ut vox *Deus*. Terminus *Negativus* est qui rem cum negatione significat, ut *Non homo*. Terminus *Privativus* est qui rem etiam cum negatione significat; sed in ordine ad aliquid subiectum, quod illam possit habere, ut *Cæcitas*, quæ quidem vox privationem visus significat in subiecto capaci illius: ideoque lapidem, non appellamus cæcum; bene verò hominem, quia licet uterque visû careat; lapis verò non est capax visus; bene verò homo.

2. Dividitur Terminus in *Cathegorematicum, & Syncathegorematicum*. Primus est, qui se solo aliquid perfectè significat, ut *Deus, Homo, Cælum, &c.* Huiusmodi namque voces, se solis, & sine aliquo addito significant. Secundus verò est ille, qui se solo, & per se non significat aliquid perfectè; sed ad id opus est ut alteri voci adjungatur; ideoque terminus syncathegorematicus, etiam *Consignificativus* appellatur: tales sunt *Omnis, Nullus, Aliquis, &c.* qui ut perfectè aliquid significant, debent alteri adjungi: ut *Omnis homo: nullus lapis: aliquod animal, &c.* Ideò Okamus rectè terminum syncathegorematicum arithmeticæ cifræ 0 comparat, quæ se sola nihil significat; adjuncta verò unitati significat decem; binario, viginti, &c. Hinc patet Terminum syncathegorematicum, cathegorematico additum, hujus significationem modificare, illam nempe extendens, ut cum dicimus *Omnis homo*; aut eandem limitans, ut cum dicimus *aliquis homo*: ubi

vox *homo* in primo casu per additum syncategoremā; ad omnes homines extenditur; in secundo vero ad aliquos tantum significandos coarctatur.

3. Terminus dividitur in *Finitum*, & *Infinitum*. Terminus *finitus* est, qui limitatam habet significacionem, ita ut non de omnibus rebus dici possit; sed de uno tantum genere rerum: ut hic terminus *Homo*, qui ita solum hominem significat, ut de nullo alio dici possit, quod homo non sit. Terminus *infinitus* est, qui ratione particulæ negantis, quæ eidem præfigitur, ita ad plura significanda extenditur, ut de omnibus rebus dici possit, una dumtaxat excepta: qualis est *non homo*, qui ratione particulæ *non* omnia significat, quæ homo non sunt: ideoque de omnibus dici potest, homine tantum excepto. Hic obiter notandum est, negationem debere poni immediatè ante terminum, quem infinitare decernimus: aliud enim est dicere, *Lapis non est homo*: aliud verò *Lapis est non homo*: in prima enim propositione termini sunt finiti, estque propositio negativa: in secunda verò terminus *homo* est infinitus, & propositio est affirmativa: affirmat enim lapidem esse omne illud, quod non est homo.

4. Dividitur terminus in *Concretum*, & *Abstractum*. Terminus *concretus* est, qui rem compositam, aut quasi compositam significat, ut *album*, quod rem cum albedine significat: idem enim est ac *habens albedinem*. Terminus *abstractus* est, qui illam tantum partem significat, quæ aliquod compositum, seu concretum denominat, ut *albedo* quod significat id, quod albi denominationem tribuit cuilibet subiecto, quod album denominatur.

Ut autem hæc clarè intelligantur, supponendum est *Concretum* idem esse, ac aggregatum ex duabus rebus,

quarum una tribuit alteri aliquam denominationem: quæ autem hanc denominationem tribuit, appellatur *forma* concreti; quæ autem præfatam denominationem recipit, dicitur *subiectum*, seu *materia* ipsius concreti. *Exemplum*. *Album* est concretum compositum ex aliqua re, exem.gr. papyro, & ex albedine: papyrus est subiectum, seu materia recipiens denominationem albi; albedo autem præfatam denominationem tribuens est forma: papyrus autem cum albedine ipsi in hærente, est concretum, quod *album* appellamus: Ideoque hæc vox *album* est terminus concretus, quia prædictum concretum significat; hæc autem *albedo* est terminus abstractus, quia prædictam formam exprimit. De distinctione autem inter subiectum, & formam concreti suo loco pertractabitur.

5. Terminus dividitur in *Absolutum*, & *Connotativum*, sive in *Substantivum*, & *Adjectivum*. Terminus *absolutus*, seu *substantivus* est ille, qui significat rem ad modum per se stantis, ut *Petrus*, *Homo*, &c. *Connotativus*, seu *adjectivus* dicitur ille, qui significat rem ad modum alteri adjacentis, ut *Aureus*, *Argenteus*, &c. Hi namque termini ita significant aurum, aut argentum, quasi alteri adjacentia; appellatur autem hic terminus *connotativus*, quia ita unam rem significat, ut simul notet, ac veluti consignificet aliam; sic *aureus* ita significat aurum, ut simul notet, ac consignificet aliquod subiectum, verb. gr. anulum ex auro confectum.

6. Dividitur terminus in *Universalem*, seu *communem*, & *Proprium*. Terminus *universalis*, seu *communis* est, qui convenit multis, ut *Homo*, qui omnibus hominibus convenit. *Proprium* est qui unum tantum significat, ideoque uni tantummodo convenit, ut *Petrus*.

Terminus proprius subdividitur in *Particularem*, & *Singularem*. *Particularis* est, qui unum quidem significat, sed confusè, & indeterminatè, ut *ly Aliquis*, cum dico *aliquis cantat*. *Singularis* est, qui rem unam clarè, ac determinatè significat, ut *Petrus*, cum dico *Petrus cantat*. Aliæ sunt Terminorum divisiones, quæ oportunitus alibi exponentur.

## CAPUT III.

## De virtute significatiua Terminorum.

**Q**UONIAM, ut dixi prop. 5. Termini voces quædam sunt, quæ rerum ideas, quas mens interius concepit, exterius produunt, expriment, ac significant, opere pretium est aliquid de terminorum significatione hic prælibare, omnis tamen plerisque quæstionibus, quæ huic loco, reueneræ te doctrinæ ordine, solent adduci.

## PROPOSITIO VI.

*Signum in communi est id quod potentia cognoscitiua aliquid representat.*

**I**Ta communiter Philosophi: ex quo satis colligitur naturam signi in eo stare, ut suum significatum representet, id est quod semel cognitum, cognoscentem ducat in cognitionem rei per illud signum significatæ. Sic imago Regis est Regis signum, illumque representat, quod nempe ob similitudinem, quam habet cum Rege, eos, qui illam intuentur, in Regis cognitionem adducat. Signum ratione virtutis significatiuæ in tres species partitur: & in totidem ratione rei signifi-

Ra-

Ratione virtutis significatiuæ dividitur in *Naturale*, *Arbitrarium*, & *ex consuetudine*. Signum *naturale* est, quod ex natura sua aliquid significat; ut fumus, ignem. Signum *arbitrarium*, seu *ad placitum* est, quod ex hominum voluntate, & impositione aliquid representat: sic ramus ad januam appensus vinum venale significat. Signum verò *ex consuetudine* dicitur illud, quod rem aliquam significat eo solum, quod communiter, ac quam frequenter ad illius signi positionem, res prædicta subsequatur: sic adventus canis domini adventum non multum distare significat, quod nempe canis frequenter dominum comitetur.

Ratione autem rei significatiuæ dividitur signum in *Diagnosticum*, seu *demonstrativum*; in *Prognosticum*, ac *Rememorativum*. Signum *demonstrativum* est, quod rem præsentem significat, ut fumus ignem. *Prognosticum*, quod rem futuram præfagit: sic Lunæ colores tempestatem sequenti die futuram significant, juxta illud.

*Pallida Luna pluit, rubicunda stat, alba serenat.*

Signum *rememorativum* est, quod rem jam præteritam significat; sic Christi Domini crucifixi imago, ejusdem Christi passionem in memoriam adducit, quam pro nobis pertulit. Hæcque ad præsens institutum sufficient.

## PROPOSITIO VII.

*Voces, seu termini significant, tum res, tum earumdem conceptus, seu ideas.*

**R**atio est, quia vocibus auditis, confestim ducimur in cognitionem, tum rerum, tum idearum, quas circa illas loquens mente concepit: ergo voces tum res, tum ideas rerum, seu conceptus significant. Antec. patet confestim namque, ac audimus has voces: *Homo est*

*est discursivus*, cognoscimus eum qui eas profert loqui de homine, de quo iudicat esse discursivum : ergo præfatis vocibus cognoscimus tum res, *Hominem* nempe, & *discursivum esse* ; simulque conceptam de homine ideam.

## PROPOSITIO VIII.

*Voces signa sunt arbitraria, tum rerum, tum earumdem idearum, sive conceptuum.*

**R**atio est, quia voces quantum ex se, indifferentes sunt, ut quamlibet rem significant ; ut patet in hac voce *Nombre*, quæ Hispanico idiomate idem est ac *Nomen* ; Gallico verò idem est ac *Numerus* ; & sic de cæteris : ergo ut unum potius quam aliud significant, ab aliquo fuere determinatæ : sed non ab alio quam ab ipsorum hominum instituto, & arbitrio : ergo sunt signa arbitraria rerum. Hinc etiam fit esse signa arbitraria conceptuum, seu idearum : iisdem enim vocibus, quibus res significamus, conceptus quoque, seu ideas patefacimus, quas de ipsis interius effecimus : nec in hoc est aliqua difficultas. Aliquæ tamen sunt voces, quæ naturaliter prædicta significant : sic gemitus, tristitiam ; & alia, alia animi pathemata naturaliter expriment : plerasque enim voces, non modo homini, verum & brutis natura ipsa concessit, quibus animi passiones patefacerent, ut enim rectè Aufonius.

*Nihil mutum natura dedit, non aeris ales,  
Quadrupes sive silent, habet & sua sibila serpens ;  
Et pecus aqvoeum tenuis vice vocis anhelat.*

## PROPOSITIO IX.

*Voces ratione modi significandi, alia Nomen sunt ; alia Verbum, alia Adverbium ; alia verò Oratio.*

**V**Oces in quatuor species communiter partiuntur, nempe in *Nomen, Verbum, Adverbium, & Orationem*. Quorum explicationem in hac propositione conjungimus. Nomen itaque est *Vox significativa ad placitum sine tempore, cujus nulla pars separata significat*. Ita Arist. 1. *Perhierm. cap. 2.* Ubi vides voces non significantivas à notione nominis excludi. Dicitur autem nomen significare sine tempore, ut distinguatur à verbo, quod cum tempore significat, ut statim dicitur. Additur verò *cujus nulla pars separata significat*, ut ab oratione distinguatur, cujus partes, ut itatim patebit, significant separate.

Objicies tamen 1. Hæc sunt nomina *Antiqui, Posterii*, & similia : sed hæc significant cum tempore ; significant enim præteritum, & futurum : ergo aliqua nomina significant cum tempore. Præterea participia à Logicis nominibus annumerantur : sed participia significant cum tempore : aliqua enim sunt temporis presentis, alia præteriti, alia futuri : ergo, &c. Respondeo nomina illa *antiqui, posterii, &c.* significare quidem tempus ; sed non cum tempore ; significant enim primario aliquam differentiam temporis ; simulque secundo significant, & connotant homines, qui in eâ vixerunt, aut vivent ; non verò significare cum tempore ; ad hoc enim requiritur, ut significant primario actionem aliquam fieri ; & secundo tempus in quo exercetur. Participia autem non sunt proprie nomina ; sed potius de nomine, & verbo participant, ita ut utrisque æquivalent : quod inde patet, ut idem sonet *Amans, ac ille qui amat* : unde æquivalenter sunt oratio, ut ex dicendis patebit.

Objicies 2. Hoc nomen *Respublica*, & alia similia talia sunt, ut ejus partes idem significant separate, quod



conjuncte: ergo falsum est nomen esse *cujus nulla pars separata significat*. Resp. Prædicta nomina non esse simplicia; sed composita ex duobus nominibus, quorum singulis convenit præfata definitio.

*Verbum* est juxta Arist. 1. Perhier. cap. 3. *Vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat*. Dicitur significare cum tempore, quia ut supra diximus, significat actionem aliquam, quæ fit in aliquo tempore, quod ab ipso verbo significatur; estque vel præsens, præteritum, aut futurum: sic *Amo* est verbum; significat enim actionem amandi, quæ de præsentis exercetur: *Amavi* significat eandem actionem tempore præterito factam: & *Amabo*, quæ fiet.

*Adverbium* sic dicitur quasi verbo adjacens: estque modus quidam quo verbum afficitur: ut *Valde amat*; *Impense studet*. Adverbiorum usus, imò & abusus factis familiaris est in distinctionibus philosophicis, quæ in argumentorum solutionibus solent adhiberi, quorum præcipua prop. 4. explicavimus.

*Oratio* juxta Grammaticos est *conjunctum quoddam ex nomine, & verbo*, ut *Petrus amat*. Juxta Logicos verò est *aggregatum quoddam ex terminis ita ritè ordinatis, ut aliquem sensum efficiant*, ut cum dicimus, *omnis homo. Deus infinitè bonus. Animal rationale, &c.* Orationum aliquæ sunt differentia, quæ ad præsens institutum minimè pertinent.

## CAPUT IV.

### De Proprietatibus Terminorum.

**T**ERMINORUM proprietates nihil aliud sunt, quam diversæ eorum acceptiones, quarum ratione diversas induunt significationes. Quinque communiter assignantur, videlicet *Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Status, & Appellatio*, quas sequentibus propositionibus expono.

#### PROPOSITIO X.

*Terminorum suppositio explicatur, & in suas species dividitur.*

**S**uppositio in communi est *Positio, usus, seu acceptio unius rei pro alia*. Sic dicimus in Republica Proregem supponi pro Rege, quia loco illius ponitur, ejusque vices gerit. Unde termini suppositio est *Positio, usus, seu acceptio termini pro suo significato*. Cumque duplex sit cujuslibet termini significatum, materiale scilicet, & formale, duplex est etiam termini suppositio, alia nempe *materialis*, alia *formalis*. Suppositio materialis est *Acceptio termini pro suo significato materiali*, quod est ipsa vox, seu terminus: ut cum dicimus *Calum est vox, Homo est nomen*, & similia. Suppositio formalis est *Acceptio termini pro suo significato formali*, quod est illud, cui significando vox illa imposita est: ut cum dicimus *Calum est mobile; Calum est incorruptibile; Homo est animal, &c.*

Dividitur insuper terminorum suppositio in *Determinatam, Confusam, Collectivam, ac Distributivam*. Suppositio *Determinata* est cum terminus alioquin communis accipitur pro aliquo particulari, ac determinato; ut cum dicimus *Philosophus* intelligendo Aristotelem: terminus enim *Philosophus* ex se communis est multis; tribuimus tamen illum Aristoteli per antonomasiam.

Suppositio *Confusa* est cum vox communis accipitur indeterminatè, ac disjunctim pro aliquo particulari, ita ut nullum sit de quo verificari possit potius quam de alio: ut cum dicimus, *Equus requiritur ad equitandum*: ubi *equus* supponit pro hoc, vel illo, vel alio quolibet, ita ut nullus sit in particulari, de quo id potius dici possit quam de quolibet alio.

Suppositio *Collectiva* est cum vox summitur pro multorum collectione, seu pro multis collectivè; non verò pro singulis in prædicta collectione contentis: ut cum dicimus, *Omnes Apostoli sunt duodecim*: ubi vox *Apostoli* non ponitur pro S. Petro, aut Paulo, &c. seorsim; sed pro omnibus simul.

Suppositio *Distributiva* est cum terminus communis sumitur pro omnibus, & singulis rebus in aliqua collectione contentis, ut cum dicimus, *Duodecim Apostoli sunt Sancti*, quod verificari intelligitur tum de quolibet seorsim, tum de omnibus simul sumptis. Hæc suppositio distributiva rursus est duplex: alia enim dicitur *Pro singulis generum*: & alia *Pro generibus singularum*. Prima est usus termini communis pro omnibus, & singulis inferioribus illius naturæ; ut *Omnis circulus est rotundus*, ubi terminus *Circulus* supponit pro omnibus, & singulis circulis. Secunda est usus termini, non quidem pro omnibus, & singulis individuis; sed tantum pro omnibus speciebus: sic cum dicimus *Omne animal fuit in Arca Noe*: terminus *Omne animal* sumitur non pro singulis individuis naturæ viventium; sed solum pro singulis speciebus animalium: estque sensus: *Ex omnibus speciebus animalium aliquot individua fuerunt in Arca Noe*.

## PROPOSITIO XI.

*Cetera Terminorum proprietates explicantur.*

**A**mpliatio est extensio termini à minori ad majorem significationem: Id autem potest accidere, vel per præfixionem particularum universalium, ut cum dicimus, *Omnes docti*: vel quia ex circumstantiis significatur aliud tempus ab eo quod exprimitur, tuncque appellatur *Distractio*: ut cum dicimus, *Mortui resurgunt*: ubi terminus hic *Mortui* supponit pro tempore præterito: estque sensus, *Hi qui erant mortui, vitam recipientes, resurgunt, ac revocantur ad vitam*.

*Restrictio est coarctatio termini à majori ad minorem significationem*. Hæc restrictio diversimodè contingere potest. 1. Per additionem nominis adjectivi, ut cum dicimus, *Omnis homo doctus*. Ubi terminus *Omnis homo*, supponebat pro doctis, & indoctis; per additionem tamen adjectivi *Doctus*, ad solos doctos significandos restringitur. 2. Per appositionem relativi, ut cum dicimus, *Omnis homo qui est Valentiæ*. 3. Per additionem obliqui, ut cum dicimus, *Discipuli Platonis*. Et sic de aliis.

*Status est cum terminus eandem illam temporis differentiam retinet, quam verbum comitans significat*: ut cum dicimus, *Homo currit*: terminus *Homo* suum statum habere dicitur; supponit enim pro hominibus tempore præsentis existentibus, quod nempè verbum *Currit* importat.

*Appellatio est applicatio significati unius termini ad significatum alterius*: ut cum dicimus, *Magnus Plato fuit Philosophus*; ubi terminus hic *Magnus* Platoni applicatur, eumque afficit: è contra verò si dicamus, *Plato fuit magnus Philosophus*: ubi idem terminus

*Magnus* applicatur termino *Philosophus*: ideoque dicitur in primo casu terminum *Magnus* appellare super *Platonem*; in secundo verò, super *Philosophum*. Sed de his satis.

## CAPUT V.

*De Universalibus in communi.*

**P** R I M U S , atque præcipuus nostræ Logicæ scopus ad id tandem reducitur, ut mentis nostræ perceptiones ita dirigat, ut rerum imagines, ac ideas, claras, atque distinctas, omni obscuritate sublata, intrinsecus depingat, easque quantum fieri possit, obiectis simillimas reddat. Ad id autem omnino opus est, ut præfata obiecta non cursim, non leviter; sed intento animo, ac veluti defixis oculis intueatur; sedulaque adhibita combinatione, invicem illa conferat, eaque adnotet in quibus secum convenire, aut ab invicem dissidere repererit. Hac itaque solerti rerum inspectione, communes illas notiones animus efformat, quas *Universales* appellamus, in quibus omnem fere nostrarum cognitionum perfectionem consistere, haud dubitatur.

Idcirco Aristoteles Logicam docturus librum præmisit, quem *Catégoriarum*, seu *Prædicamentorum* nominavit: continet enim rerum omnium rationes communes ad certas classes, ac determinatas series redactas: neque enim aliter conceptus nostros, seu ideas melius dirigi posse putavit, quam si res omnes, quas percipimus ordinatim in suas veluti classes essent digestæ, & ad summa quedam genera redactæ: & has quidem series *Prædicamenta*, seu *Catégorias* appellavit.

Hunc

Hunc autem librum desumpsit Aristoteles, ut multi tenent, ex his, quæ Architas Tarentinus de hac materia scriptum reliquerat. Quoniam verò prædictum librum obscure satis vulgavit Aristoteles, idcirco Porphyrius opusculum quoddam edidit, qui ad *Catégorias* Aristotelis facilius intelligendas, quasi viam sterneret, quem *Isagogen*, seu *Introductionem* inscripsit: nunquam communiter *Tractatus de quinque vocibus prædicabilibus* appellatur; quod nempe res omnes universales, de quibus agit, quinque his vocibus, *Genere*, *Specie*, *Differentia*, *Proprio*, & *Accidente* contineantur, & explicantur.

Porphyrius autem, qui antea *Malchus* vocabatur, fuit natione Phœnix, ex Christiano tamen factus Apostata, fuit deinceps Christianæ Religionis hostes insensissimus. Plotini Platoniorum principis fuit auditor, cujus libros in ordinem digessit, ac circa Aureliani, ac Diocletiani tempora florens, Platoniam Philosophiam Romæ publicè docuit. Causa autem hujus tractatus scribendi fuit, quod Chrysaorius, cum in *Tractatum* Aristotelis de *Catégoriis* incidisset, neque eum præ obscuritate intelligere posset, Porphyrio tum in Sicilia degenti scripsit, ut brevem commentarium ad se mitteret, quo facilius præfatum Aristotelis librum capere posset: huic itaque morem gerens Porphyrius, eisdem opusculum de quinque vocibus, seu de Universalibus misit, quod non modicæ utilitatis esse censent Philosophi, ita ut ipsum exponere, docere, ac commentariis illustrare non vereantur, licet ejus Auctor, ob pessimam impietatem oblivioni perpetuæ sit merito donandus.

Quoniam itaque nobis agendum est de his quinque vocibus prædicabilibus, quæ universalia appellantur,

an-

antequam de ipsis in particulari agamus, oportet ne breviter ea, quæ ad universale in communi spectant, in præsentiam præmittamus.

## PROPOSITIO XII.

*Universale est unum multiplex.*

**H**OC nomen *Universale* multipliciter sumi potest. Mensis enim universalis dicitur, quæ ubique colligitur; Lues universalis, quæ ubique grassatur; Causa universalis, quæ omnia producit; Ingenium universale quod omnium seibilibium est capax: & generatim quidquid unum cum sit, aut pro uno accipitur, ad multa quovis modo comparatur, *Universale* appellatur. Præcipue tamen ad tria genera communiter reducitur: Primum dicitur universale *in causando*. Secundo, *in representando*. Tertium, *in essendo, ac prædicando*: sic enim solent in scholis nominari. *Universale in causando* dicitur causa, quæ plures producit effectus: sic Deus est omnium maximè causa universalis. *Universale in significando, aut representando* est illud, quod multa representat: sic idea, seu imago circuli, quam mens sibi exhibet, omnes circulos exprimit: voxque *Circulus* omnes circulos indiscriminatim significat. *Universale verò in essendo, aut prædicando*, de quo in presenti potissimum agimus, nihil aliud est, quam *Unum multiplex, seu unum multiplicatum in multis, quodque de multis dicitur, seu prædicatur*. Quælibet enim perfectio, quæ multiplicata reperitur in multis: & consequenter verè de illis affirmatur, est universalis: & quidem *in essendo*, ut ajunt, quia est in multis: & *in prædicando*, quia de singulis illis prædicatur. Sic *Homo* dicitur universalis: nam hominem esse, perfectio quædam est, quæ in multis multiplicata reperitur, vereque

de

de multis affirmatur: verè namque ratio hominis reperitur in Socrate, Platone, Aristotele, &c. vereque de ipsis affirmatur: verè enim asserimus Socratem esse hominem, Platonem esse hominem, & sic de cæteris.

Ex enarratis autem universalibus, primum dicitur *Platoniorum*, qui ideas divinas, ut causas rerum effectrices, & universales statuerunt. Secundum *Stoicis, & Nominalibus* tribuitur: hi enim non aliud universale agnoverunt, præter voces, & conceptus, quæ rerum sunt signa. Tertium verò universale propriè Peripateticorum appellatur; quod illud non alibi, quam in rebus ipsis, rerumque naturis quæsierunt.

## PROPOSITIO XIII.

*Universum est unum Logicè, ac realiter multiplex.*

**D**IXIMUS supra universale, de quo loquimur, esse *unum, ac multiplex*: cumque unitas, & multiplicitas invicem opponi videantur, explicemus oportet, qualiter universale simul esse possit unum, ac multiplex: & nunc quidem rudi tantum, ut ajunt minerva, id exponemus, cæteris ad Metaphysicam opportunius relictis.

Supponendum itaque est: multipliciter posse, quæ multa sunt, appellari *unum*. 1. *Unitate aggregationis*: sic multi milites unam aciem conficiunt. 2. *Unitate compositionis*: sic corpus, & anima rationalis unita unum compositum, seu unum hominem efformant. 3. *Multa dici possunt unum unitate Logica*, quam etiam *virtualem, æquivalentiæ, & similitudinis* possumus appellare: sic omnia sensitiva unum genus efficiunt, quod sensitivum, seu animal in communi appellamus: nam plura licet sint; in ratione tamen sensitivi invicem

Comp. Phil. Tom. I.

C

con-



conveniunt, suntque inter se familia. 4. Multa possunt esse unum *unitate rationis, seu mentali*: cum nempe intellectus multa, quæ in aliqua ratione sibi conveniunt, seu assimilantur, ita cognoscit, ut tantum eam rationem, seu perfectionem exprimat, in qua conveniunt, nihil de his, in quibus differunt, veluti curans: ut cum Hominem, Leonem, Equum, &c. ita mens nostra apprehendit, ut solum rationem viventis sensitivi, in qua conveniunt attingat, nihil ad ea, in quibus discriminantur attendens. Quando itaque intellectus prædicto modo multa sub unica ratione cognoscit, *præscindere* dicitur: cognitio autem ita cognoscens *præcisio* appellatur, de qua in Metaphysica erit nobis sermo.

Ex prædictis autem quatuor unitatum speciebus, certum est neque primam, neque secundam ad universale constituendum sufficere: hoc enim ita oportet esse unum, ut verificari, seu verè possit affirmari de quolibet ex illis multis, quæ in ipso continentur, ut supra dixi; licet autem acies una sit; non tamen verè potest de quolibet ex militibus ipsam integrantibus affirmari: ita ut dicamus, *Hic miles est acies*, licet aciem cum cæteris componat. Similiter licet homo ex anima, & corpore compositus, unus sit, neutiquam tamen verificatur; *Corpus est homo, aut Anima est homo*: qualiter omnino ad rationem universalis requirebatur. Solum igitur tertia, & quarta unitas ex assignatis, possunt ad universalis constitutionem advocari. Dubitari tamen potest an tertia tantum; an verò etiam quarta ad universale conficiendum concurrat; de quo in Metaphysica.

Quod verò ad præsens Logicæ institutum attinet: dico universale esse id quod Logicè quidem unum est; multiplex autem realiter, ac physicè: In quo autem

hæc unitas Logica, ac multiplicitas realis, ac physica consistant: & qualiter ex eis universale coalescat, sequenti propositione breviter aperio.

## PROPOSITIO XIV.

*Unitas Logica, & multiplicitas realis, ac physica exponuntur.*

**A**Ssero 1. Multiplicitatem realem, ac physicam illius nature, quæ universalis appellatur in eo consistere, quod nempe ita reperitur in rebus realiter distinctis, ut quæ est in una, realiter, & physicè distinguitur ab ea, quæ est in alia: hoc est enim naturam illam esse multiplicem, seu esse multiplicatam realiter in multis. *Exemplum.* Quoniam Socrates est unus homo; Plato est alius homo, &c. verè dicimus esse plures homines: Unde ratio, seu natura hominis, quæ in Socrate est, verè, realiter, ac physicè distincta est ab ea, quæ est in Platone. Vides itaque aperte naturam humanam multiplicem, hoc est, multiplicatam esse in Socrate, Platone, ac reliquis hominibus. Quoniam autem hæc multiplicitas realis, ac physica reali, ac physicæ unitati opponitur, idcirco res, quæ realiter, ac physicè plures sunt, realiter, ac physicè unum esse non possunt. Cæterum quia multiplicitas realis, ac physica unitati Logicæ, seu virtuali non adversatur, idcirco quæ physica, ac realiter sunt multa, rectè possunt esse Logicè, ac virtualiter unum: Ideoque natura humana in exemplo adlato, & cæteræ omnes, quæ sunt multa physicè, possunt simul esse Logicè, ac virtualiter unum.

Assero itaque 2. Hanc unitatem Logicam, seu virtuales in eo consistere, quod nempe res, quæ physicè, ac realiter multæ sunt; in ordine tamen ad scientias, ac cognitiones humanas perinde se habent, atque si essent

una : id est, ita sint inter se similes, ut ratione hujus similitudinis apte sint, ut de omnibus ipsis ita pertractetur, ita differatur, ac si essent tantummodo una, quod sequentibus exemplis fit satis apertum.

Petrus, Paulus, Franciscus, &c. plures homines sunt realiter inter se distincti: verumtamen in ordine ad Medicinam ostendentem humani corporis mirabilem fabricam; cordis architecturam; venarum, arteriarumque ductus, per quos excurrens sanguis perenni pericyclofi movetur: qualiter item homines aegritudines contrahant, qualiter demum ad salutem revocentur, perinde se habent omnes, ac si quid essent unum, quod *Hominem in communi* appellare solemus.

Triangula item Isopleurum, Isosceles, Scalenum, Rectangulum, &c. plura quidem Triangula sunt realiter inter se, maximeque diversa: respectu tamen Geometriæ demonstrantis tres cujuslibet angulos esse duobus rectis æquales; quævis ejusdem duo latera reliquo esse majora: quodlibet Triangulum dimidium esse Paralelogrammi, eandem basim, & altitudinem habentis, idem sunt omnia prædicta Triangula, ac si essent unum, quod *Triangulum in communi* nominatur.

Similiter Ulmus arbor quædam est, alia Pinus, Juniperus alia, &c. cæterum quod ad Physicam attinet docentem qualiter alimentitius humor radicum porulos subeat; ac per subtilissimos trunci ductus conscendens, in ramos dispertiat, ac per totum corpus plantæ diffusus, innumeris pene circulationibus filtretur, præparetur, ac disponatur, donec tandem in vegetantis molis augmentum, conservationemque cedat, perinde sunt omnes arbores, ac si essent quid unum, quod *Arbor in communi* appellatur. Vides itaque quam optime coherere multipliciter realem, ac physicam re-

fum cum earumdem unitate Logica, seu virtuali.

## PROPOSITIO XV.

*Hinc prædictum Universale à nobis expositum, proprie appellatur fundamentale.*

**E**T quidem quod proprie sit universale constat ex dictis: est enim unum multiplex: unum æqualiter, & multiplex realiter. Quod autem *fundamentale* optime dici possit, patet, nam multa illa, quæ inter se similia sunt, ratione hujus similitudinis, ac convenientiæ præbent intellectui fundamentum, ut omnia illa quasi unum essent apprehendat, sicque de eisdem loquatur, differat, ac ratiocinetur, ac si essent unum: non attentis, ac veluti oblitis iis, quibus inter se discriminantur. Hinc, cum Philosophus Animal definit, aut cum demonstrat ejusdem vitam haud posse sine respiratione subsistere, & similia, non ad Hominem, Leonem, Equum, &c. attendit, quatenus suis differentiis distinguuntur; sed solum quatenus vita sensitiva inter se similes sunt, invicemque conveniunt: ergo hæc multorum inter se diversorum similitudo, seu Logica unitas, recte universum *fundamentale* appellatur.

Præter hoc autem universale fundamentale, quod aliqui remotum, & materiale vocant, admittunt communiter Peripatetici aliud universale, quod formale, ac proximum appellant, ab intellectu factum per actum quandam præscindentem, qui cum res prædictas diversas attingit, non quatenus differunt, sed quatenus similes sunt, invicemque conveniunt, eisdem unitatem quandam mentalem, seu rationis tribuit, cujus prop. 13. mentionem fecimus. Verumtamen quoniam ut hæc à Tyronibus, ut par est, percipiuntur, aliqua desiderentur, quæ hujus loci non sunt, eorum explicationem in Metaphysica trademus.

## PROPOSITIO XVI.

*Predictum Universale existit realiter in rebus.*

**P**Atet nam universale predictum in eo consistit, quod res realiter distinctæ perinde se habeant in ordine ad scientias humanas, ac si essent una; sed totum hoc realiter reperitur in rebus: sunt enim realiter multæ; simulque illam inter se similitudinem habent, quæ in ordine ad scientias ita se habent, ac si essent una res, una ratio, unaque natura: ergo universale fundamentale realiter existit in rebus. Nec in hoc est aliqua difficultas.

## PROPOSITIO XVII.

*Universale in varias species dividitur.*

1. **U**Niversale juxta diversa munera, quæ in propositionibus gerere potest, dividitur in *Subjicibile*, & *Predicabile*. *Subjicibile* dicitur quatenus est, aut esse potest subiectum in propositione, seu quatenus de ipso aliquid potest affirmari, aut negari: ut cum dicimus *Homo est visibilis*: ubi *Homo*, quod universale est respectu individuorum, est subiectum, de quo affirmatur esse visibile. *Predicabile* verò est, quatenus in propositione est, aut esse potest predicatum: ut cum dicimus *Petrus est homo*: ubi *Homo* est predicatum, quod de Petro affirmatur.

2. Dividitur communiter universale in *Metaphysicum*, & *Logicum*, de qua divisione agemus in *Metaphysica*.

3. Tandem dividitur universale in quinque species; quæ communiter appellantur *Predicabilia*, in Scholis satis familiaria, quorum explicationem capite sequenti exhibeo.

## CAPUT VI.

*De Universalibus in particulari.*

**P**ORPHYRIUS, quem in hoc Philosophi communiter sequuntur, universale in quinque species dividit, videlicet *Genus*, *Speciem*, *Differentiam*, *Proprium*, & *Accidens*: Quæ quidem quinque predicabilia solent appellari, quod nempe hujusmodi divisio ad id præcipue instituta sit, ut perspicuum fiat, qualiter universale predicati munus in propositionibus gerat; licet ut supra diximus, non solum predicabile, verum & subicibile esse possit, cum frequenter in propositionibus subiectum sit, de quo plura affirmantur, aut negantur. Circa hanc divisionem non pauca solent in Scholis disputari: an nempe integra sit, & adæquata divisio: an univoca: an generis in suas species, & alia, in quibus satis inutiliter tempus teritur: quibus omisis, divisionem hanc, tot retro sæculis sic acceptam, retinentes, ad ejusdem expositionem properamus.

## PROPOSITIO XVIII.

*Aliqua dicendis utiliter præmittuntur.*

**U**T ea, quæ circa hæc quinque predicabilia sumus dicturi plenius, ac facilius percipiantur, suppono 1. Cujuslibet rei essentiam esse totum quoddam essentialiter constituantibus: si hujusmodi partes sint realiter idemificatæ, essentia appellatur *metaphysica*, seu *totum metaphysicum*. Ex his autem partibus essentialibus, una censetur *determinabilis*; alia verò

de-

*determinativa*. *Determinabilis* dicitur illa, quæ cum ex se quasi indifferens æstimetur, ut rem illam, aut alias similes constituat, indiget determinari, ut hanc potius essentiam, quam aliam constituat. Pars autem *Determinativa* est, quæ prædictam determinabilem ad id determinat: ut saltim mens nostra ita præfatas essentiae partes considerat.

Hinc in essentia metaphysica cujuslibet rei, quæ ut dixi, est totum quoddam metaphysicum, reperitur primo esse *totum*: & hoc est quod *Speciem* appellamus, ut statim patebit: reperitur etiam in hoc toto pars una *Determinabilis*, & hæc est *Genus*: & insuper alia pars *Determinativa*, & hæc est *Differentia*, quia per illam res ab aliis rebus essentialiter differt. Ex hac sic constituta essentia aliquæ perfectiones peculiare orientur, quæ idcirco ejusdem *Proprietates* appellantur; & hoc est *Proprium*. Ac tandem aliqua eidem quasi extrinsecus superaddi, & accidere dicuntur: & hæc sunt *Accidens*. Vidisti qualiter in quavis re quinque prædicabilia reperiantur. Sed ut clarius adhuc quæ diximus Tyronibus pateant, exempla propono.

Essentia hominis est esse *Animal rationale*: hoc quæ est totum metaphysicum, quod & *Speciem* nominamus: hujus geminæ sunt partes, *Animal* scilicet, & *Rationale*: quarum prima determinabilis est: animal enim esse potest, aut homo, aut brutum: ac per consequens ut homo potius sit quam brutum indiget determinari: prædicta itaque pars determinabilis, scilicet animal, est *Genus*: secunda verò pars nempe *Rationale* est primæ determinativa: determinat enim animal ut potius hominem, quam brutum constituat: ideoque hæc est *Differentia*, qua nempe Homo differt à brutis. Ex hac autem metaphysica hominis essentia sic constituta, oritur esse

esse admirativum, risibile, tristabile, &c. quæ hominis sunt proprietates, seu *Proprium*. Tandemque aliqua eidem essentiae contingenter adjiciuntur, qualia sunt album esse, Sapientem, Philosophum, &c. & hæc sunt *Hominis accidentia*.

Similiter Trianguli Ifofcelis, seu Æquicruri essentia est esse *Triangulum duo habens latera equalia*: ubi patet duas includere partes essentielles: prima quidem esse Triangulum, quæ *determinabilis* est: Triangulum enim esse potest aut Ifofcele, aut Scalenum, &c. ideoque *Triangulum* est *Genus*: alia autem pars essentialis est, *Duo habere latera equalia*: hæcque est prioris determinativa, ut Triangulum Ifofcele constituat; ideoque est differentia: utraque autem simul sunt tota Ifofcelii Trianguli essentia; ideoque est *species*: ex hac autem essentia provenit duos super basim angulos esse æquales; quod est illius *Proprium*, seu *Proprietas*: ac tandem esse album, aut nigrum est ejusdem *Accidens*.

Suppono 2. Res posse esse inter se specie distinctas, aut solo numero distinctas: & specie quidem distingui est, ita notabiliter differre, ut differentias quasdam notabiles, quibus differunt, designare posimus: has autem inde potissimum colligimus, quod nempe principium sint, & origo diversarum proprietatum. Sic Hominem, & Brutum specie asserimus distingui, quoniam ingentem, valdeque notabilem inter eos differentiam adnotamus; hominem enim rationale, ac discursivum esse videmus; minimè verò brutum. Similiter Triangula Ifofcele nempe & Scalenum, specificè discriminari fatemur; quod nempe illud duo latera, duosve angulos habeat æquales; istud verò nullum. Esse autem res numero tantum distinctas, est notabiliter non dif-



differe: nullum enim aliud inter prædictas res discrimen assignare possumus, quam penes hoc, & illud. Sic Petrus, & Paulus solo numero distinguuntur; non enim aliam differentiam essentialiam inter ipsos assignare valemus, quam si dicamus, Petrum esse hunc hominem; Paulum verò illum. Similiter, duo Triangula æqualia, & similia numero tantum sunt diversa, quod non aliter ea distinguere possimus; nisi dicentes *Triangulum A*, & *Triangulum B*. Et sic de cæteris.

Hujusmodi autem differentia specificæ, ac numericæ penes ordinem, ac respectum ad scientias humanas præsertim sunt æstimandæ: ita ut illas res specie distingui asseramus, inter quas tam insignis, tamque notabilis cernitur differentia, ut proprietates, quæ de una demonstrantur, notabiliter differant ab his, quæ de alia scientificè ostenduntur. E contra verò ea quæ hac in signi, notabilique differentia carent, solo numero distingui judicemus: In his enim rebus, ea quæ de una demonstrantur, eo præcisè de alia similiter demonstrata jam esse censentur. *Exemplum*. Ignis specificè, id est notabiliter, differt ab aqua: licet enim Philosophia naturalis omnes ignis proprietates ostenderit, non ex inde aquæ attributa demonstravit: ceterum quoniam ostensis, probatisque ignis A proprietatibus, etiam quæ igni B conveniunt, demonstrata jam sunt; idcirco ignem A ab igne B solo numero discriminari affirmamus. His suppositis, jam quinque prædicabilia singularim explicemus.

## PROPOSITIO XIX.

*Genus est universale quod de multis specie diversis affirmari potest, ut pars illorum essentialis determinabilis.*

Hac

**H**Æc Generis definitio ex his, quæ præcedenti propositione supposuimus, est satis perspicua: exempla tantum adhibeo, ut facilius hoc primum prædicabile percipiatur. *Sensitivum* itaque genus est: potest enim affirmari cum de Homine, tum de Bruto, quæ specie sunt inter se diversa: ac præterea sensitivum pars quidem est essentialis tam homini, quam bruto; est tamen pars determinabilis: ut enim *sensitivum* hominem constituat, oportet ut ab alia perfectione determinetur, videlicet à rationali: ut verò constituat brutum, ab irrationali determinari debet: Vides itaque *sensitivum* esse universale, quod de multis specie distinctis affirmatur, quorum pars est, essentialis quidem, sed determinabilis; & consequenter est Genus. Similiter *Figura* genus est: potest enim affirmari de multis specie distinctis; dicimus enim Circulum esse figuram, Quadratum item, Triangulum, &c. quæ specie inter se distinguuntur: eorum insuper est pars essentialis; prædicta enim essentialiter sunt figura: est insuper pars determinabilis ab alia: ratio namque figuræ ex se indifferens est, ut Triangulum, Quadratum, &c. constituat: Determinatur autem ut sit Triangulum à tribus præcisè lateribus, ut sit Quadratum, à quatuor æqualibus, &c. Nec in hoc est aliqua difficultas.

## PROPOSITIO XX.

*Species est tota essentia metaphysica rei. Estque duplex Subjicibilis, & Prædicabilis.*

**E**SSentia metaphysica cujuslibet rei, ut dixi propositione 18. quasi totum quoddam est metaphysicum ex duabus veluti partibus coalescens, altera determinabili, quæ est Genus; altera determinante, quæ est Differentia: unde nec genus solum, nec sola differentia sunt totalis

talis

talis essentia rei; sed quod ex genere, & differentia confurgit, quod *totum metaphysicum* appellamus, hocque est species. Quoniam verò Species dupliciter potest propositionem ingredi, nempe vel tamquam subiectum, vel tamquam prædicatum: idcirco dupliciter considerari potest, vel ut *Subjicibilis*, vel ut *Prædicabilis*. Species subjicibilis est *Tota essentia metaphysica rei, quatenus in aliqua propositione est subiectum, de quo genus affirmatur*. Species prædicabilis est *Tota essentia metaphysica rei, quatenus in aliqua propositione est prædicatum, quod de aliquibus affirmatur*. Sed exemplis id amplius illustremus.

Animal rationale est quedam viventium species, quam Hominem appellamus: est enim animal rationale tota essentia metaphysica hominis, duplici parte metaphysica coalescens, alia determinabili, quæ est *Animal*; alia determinante, quæ est *Rationale*: est itaque Animal rationale, sive Homo species: In hac autem propositione *Homo est animal*, species *Homo* est subjicibilis: est enim in dicta propositione subiectum, de quo genus, scilicet animal, prædicatur. In hac verò propositione *Petrus est Homo*, eadem species *Homo* est prædicabilis, quia in ea prædicatum est, quod de Petro affirmatur.

Advertendum tamen est. Quoties illa, de quibus species prædicatur, seu affirmatur in propositione, sunt etiam inter se specie distinctæ, tunc speciem respectu illarum non speciem esse, sed Genus; prædicatur enim, seu affirmatur, aut affirmari potest, in tali casu de specie differentibus: licet itaque in dicto casu, quatenus subjicibilis, sit species; quatenus verò prædicabilis, non est species, sed genus: non enim prædicatur ut tota essentia metaphysica illorum; sed tantum ut essentia

par-

partialis, seu ut pars, eaque determinabilis. *Exemplum*. Sensitivum est species viventis: vivens enim aliud est sensitivum, aliud vegetabile: est itaque sensitivum species subjicibilis in hac propositione: *Sensitivum est vivens*; est enim in ea subiectum de quo genus, nempe *vivens* prædicatur: In hac tamen propositione *Homo est sensitivus*, in qua præfata species ponitur ut prædicatum, non est species, sed genus: tum quia ita de Homine affirmatur, seu prædicatur, ut etiam de bruto affirmari, ac prædicari possit, quæ specie distinguuntur: tum quia *Sensitivum* non est tota essentia Hominis; sed solum ejus pars, eaque determinabilis per rationem, ut hominem potius, quam brutum constituat: Ergo prout ibidem sumitur prædicabilis est de pluribus specie diversis, ut pars essentialis determinabilis: & consequenter (19.) est Genus.

Cæterum quoties res illa, de quibus species affirmatur, solum sunt numero distinctæ, tunc, inquam, non tantum est species ut subjicibilis; verum etiam ut prædicabilis. Sic *Homo* non tantum est species subjicibilis, quatenus nempe de ipso affirmatur Genus in hac propositione *Homo est animal*; verum etiam est species prædicabilis, quatenus est affirmabilis de Socrate, Platone, &c. cum dicimus *Socrates est homo, Plato est homo, &c.* Idcirco species prædicabilis sic rectè definitur: *Universale, quod prædicatur de multis numero distinctis, ut tota illorum essentia*. Sic ratio hominis prædicatur de Socrate, Platone, &c. qui numero tantum distinguuntur: estque tota eorundem essentia.

## COROLLARIA.

**E**X prædictis colligitur 1. Rerum species continuata seriè, ac veluti per gradus descendere à primo,

mo, seu supremo genere ad usque ultimam, seu infimam speciem, quæ nempe subtus se nihil nisi individua habet. Sit exemp.gr. Substantia primum genus, seu supremum: corpus est quedam substantiæ species: vivens est species corporis: animal species aliqua est viventis: Homo est animantis species, quam tandem nihil aliud subsequitur nisi individua, Socrates, nempe Plato, &c. Ideoque in prædicta serie Homo est species infima, ceteræ verò, quæ inter genus supremum, & illam interjiciuntur, Interjectæ, ac Subalternæ appellantur. Genus autem illud, quod supra se nullum alium habet, appellatur Supremum.

2. Colligitur solam speciem infimam esse illud univ ersale, quod Speciem prædicabilem appellamus: interjectæ enim seu subalternæ, licet sint species subjicibiles, quatenus verò prædicabiles, non species sunt; sed genera, ut supra diximus. Hinc sola infima species est simul species subjicibilis, & prædicabilis: hoc est, subjicibilis respectu sui generis; prædicabilis verò respectu individuorum numero tantum distinctorum, de quibus prædicatur.

#### PROPOSITIO XXI.

Individuum est, quod ita unum est, ut sit indivisum in se, & divisum à quolibet alio.

**E**xplicatur. Illud dicitur Individuum, quod ita unum est in se, & à quolibet alio distinctum, ut nullatenus sit multiplicabile, nec in res ejusdem naturæ dividi possit. Sic Socrates est individuum: Licet enim dividi possit in corpus, & animam: ejusque corpus membratim fecari; non tamen in plures homines dividi potest: neque enim corpus est homo, neque anima est homo, &c. Explicatur amplius. Substantia dividitur in corpus, & spiritum: Corpus in vivens, & non

vivens: vivens in sensitivum, & insensitivum: sensitivum in rationale, & irrationale; rationale verò, quod species infima est, dividitur in Socratem, Platone, &c. Hicque sistit divisio, nec ultra progredi potest: non enim Socrates in plures Socrates, aut homines dividi potest: ideoque asseritur Socratem esse individuum; taliter enim est in se unus, & indivisus, ut in alia, quæ Socratis rationem participant, dividi amplius non possit: fitque se ipso ab omni alio distinctus.

Omnia ejusdem speciei individua, distincta cum sint realiter inter se; in ordine tamen ad scientias humanas sunt logicè, ac virtualiter unum, ut supra diximus: quatenus itaque sunt unum logicè, speciem illam infimam constituunt, sub qua continentur: id autem quo ab invicem realiter distinguuntur, appellatur *Differentia individualis*. Sic Socrates, & Plato in ratione Hominis conveniunt: id est ita se habent in ordine ad scientiam agentem de Homine, atque si essent unum quid, quod *Homo ut sic, seu in communi* appellatur: hocque est species. Quoniam verò Socrates, & Plato realiter distinguuntur, idque non aliter, nisi quatenus Socrates est hic homo; Plato verò hic homo, id, inquam, in quo differunt, est differentia individualis, quam nomine *Ecceitatis* possumus appellare.

○ Tribus potissimum modis exprimi solet individuum. 1. Nomine proprio, ut *Socrates, Plato, &c.* 2. Pronomine demonstrativo, ut *Hic homo, hic circulus, &c.* 3. *Vage, & indeterminatè, ut aliquis homo.* Cum primo, & secundo modo exprimitur individuum, dicitur *Singulare*: cum ultimo modo, *Vagum, & Particulare* appellatur.

## PROPOSITIO XXII.

*Ratio individui universalis est respectu omnium individuorum.*

**P**robatur. Quia illud est universale (13) quod physice, ac realiter est multiplex; logicè autem, & virtualiter est unum: sed ratio individui realiter est multiplex; logicè autem, ac virtualiter una: ergo est universalis. Min. prob. Nam omnia individua, quæ in Mundo existunt, multa physice sunt, ac inter se realiter distincta: ac præterea hæc omnia, multa cum sint, ita se habeant in ordine ad Logicam agentem de Individuo, ac si essent unum: ergo sunt physice, ac realiter multa, & logicè unum: ergo ratio individui respectu omnium Individuorum est universalis.

Objici tamen solet. Individuum essentialiter est unum indivisum, ac immultiplicabile: sed quod universale est, est multiplex, seu multiplicabile: ergo individuum nequit esse universale. Resp. Concedens argumentum de quolibet individuo in particulari; seu, ut ajunt, de Individuo primo intentionaliter sumpto: Illud verò negans de ratione individui; seu de individuo secundo intentionaliter accepto: Licet enim quodlibet individuum sit essentialiter in se unum, indivisum, ac immultiplicabile; id non tollit, imò convincit, omnia in eo convenire, quod nempe sint unum, sint indivisum; ac immultiplicabile: unde in ordine ad Logicam agentem de individuo, ita se habent, ac si essent unum: sunt ergo omnia individua physice multa, ac logicè unum: & consequenter Individui ratio est universalis. Sed de his satis.

## PROPOSITIO XXIII.

*Differentia, tertium predicabile, est quod de multis predicari, seu affirmari potest, ut pars illorum essentialis determinativa.*

**D**ifferentia in communi est, *Id quo unum ab alio differt.* Sic discursiva facultas est differentia hominis à bruto. Triplex est juxta Porphyrium differentia, nempe *Communis, Propria, & Maxime propria.* Differentia *communis* reperitur ubi duæ res per accidentia quædam communia inter se differunt, id est per accidentia, quæ æque possunt utrique inhærere: ut si unus homo moveatur, & alter quiescat: aut unus ægroget, alter sanitate fruatur: hæc enim accidentia æqualiter possunt in utroque reperiri. Differentia *propria* altius insigitur, reperitur enim inter ea, quæ differunt inter se per aliquod accidens, quod ita proprium est unius, quod in alio reperiri non potest: sic Cygnus à Corvo per albedinem differt, quæ in Corvo reperiri nequit. Differentia autem *maxime propria* est differentia essentialis; ita ut quæ sic differunt essentialiter differre dicantur: Ideoque præfata differentia est prædicatum aliquod essentialis, quo unum ab alio differt. Sic rationale est differentia, qua Homo essentialiter differt à Bruto: hæcque differentia est quæ tertium istud prædicabile constituit, quam sic definio: *Universale, quod de multis predicari, seu affirmari potest, ut pars illorum essentialis determinativa.* Genus enim, & differentia, ut suprâ dixi, speciem essentialiter constituunt: genus quidem ut pars determinabilis per differentiam; differentia verò ut pars determinativa generis ad illam speciem.

Hæc autem differentia duplex est, alia *Generica*, & alia *Comp. Phil. Tom. I.*



alia *Specifica*. *Differentia Generica* est *Universale* quod de multis specie diversis prædicari potest, ut pars essentialis determinativa. Sic *Sensitivum* est differentia generica. *Differentia* quidem, quia per illam animantia à plantis distinguuntur: *Generica* verò, quia sensitivum verè affirmatur de homine, ac de bruto specie diversis. Est autem utriusque pars essentialis, quia sensitivum esse, tam essentialia est homini, quam bruto: estque tandem pars determinativa, quia rationem viventis communem animantibus, & plantis determinat, ut animantia potius, quam plantam constituat. *Differentia* autem specifica est, *Universale*, quod de multis numero tantum diversis prædicari potest, ut pars essentialis determinativa. Sic discursivum esse, differentia est specifica: est quidem differentia, quia per esse discursivum differt homo à brutis: est autem specifica, quia verè prædicatur de individuis Socrate, Platone, &c. solo numero distinctis: verificatur autem de ipsis ut pars essentialis determinativa, quia sensitivi rationem, quæ communis est, etiam brutis, determinat essentialiter, ut hominem constituat. His additur differentia individualis, de qua in præcedenti propositione satis sumus loquuti.

## COROLLARIUM.

EX dictis aperte colligitur. *Tria prædicabilia, quæ bucusque explicuimus, Genus nempe, Speciem, ac Differentiam, ad essentialia rerum pertinere: Species enim est tota rei essentia: Genus est essentia prædictæ pars, sed universalior, communior, latiusque patens, ideoque determinabilis. Differentia autem est ejusdem essentialis pars, sed minus communis, minusque universalis, ac minus patens, quam Genus; ideoque determinativa illius ad talem speciem: unde constat meta-*

*physicum ex genere, & differentia, est essentia totalis, & species.*

## PROPOSITIO XXIV.

*Proprium quatenus quartum prædicabile constituit, est quod de multis prædicari potest extra essentiam, sed necessario.*

Porphyrius quatuor assignat proprii acceptiones, quarum tres priores satis sunt improprie. Communiter sic appellantur, nempe *Proprium primo, secundo, tertio, & quarto modo*. *Proprium primo modo* est, quod uni tantum speciei convenit; sed non omnibus illius individuis, ut esse Geometram, quod hominibus tantum convenit, sed non omnibus. *Proprium secundo modo* est, quod convenit omnibus individuis unius speciei; sic tamen ut etiam conveniat alterius speciei individuis: ut esse bipedem, quod ita omnibus hominibus convenit, ut etiam aliquibus brutis animantibus conveniat. *Proprium tertio modo* illud est, quod omnibus etiam individuis unius speciei convenit; sed non semper, ut vigilare, quod omni viventi sensitivo convenit, sed non semper. *Proprium verò quarto modo* est, quod convenit omnibus individuis unius tantum speciei, ac semper; seu, ut ajunt, convenit omni, soli, & semper: ut esse admirativum, quod soli speciei humane convenit: omnibus ejus individuis, ac semper: & hoc est in stricta acceptione proprium, seu essentialis proprietatis, idque hoc quartum prædicabile constituit; reliqua enim supradicta melius accidentia, quam proprium nuncupantur.

*Proprium itaque, seu proprietatis alicujus rei est perfectio quædam, quæ extra essentiam rei est, ad ejusque ideam minimè pertinet; eam tamen semper necessario subsequitur.* Sic admirativum esse, seu facultas admi-

rativa proprium hominis est, seu ejusdem proprietatis: licet enim ad ejusdem essentiam non pertineat, quæ *Animal rationale* est, nec in ejusdem idea includatur, rectè enim concipimus hominem, non concepta facultate admirativa: hæc tamen hominem, ejusque essentiam ita subsequitur, ut soli homini, omni etiam homini, ac semper necessario conveniat. Tria insuper in quolibet proprio attendere oportet, nempe proprium ipsum, seu proprietatem: ejusdem radicem, & actum ipsius: sic in adlato exemplo, admirativa facultas est proprium: ejus radix est hominis essentia: ideò enim est admirativus, quia rationalis est: illius autem facultatis actus est actualis admiratio, quæ non proprium, sed accidens est commune. Hinc qualibet essentia est radix, fons, & origo suarum proprietatum. Solet item proprium, seu proprietates vocari affectio, seu passio essentia, quòd illam afficiat, ac necessario subsequatur. Hinc omnis scientia in sui obiecti proprietatibus, & affectionibus indagandis, ac demonstrandis occupari dicitur. Sic Euclides postquam *lib. 1. Elem.* essentiam, ac ideam Trianguli explicuit, ejusdem proprietates toto illo libro demonstrat: quemadmodum, & *lib. 3.* circuli proprietates, & affectiones ostendit. Ut demum ad id, quod initio proposuimus, redeamus, cum proprium omnibus, ac solis illius speciei individuis semper conveniat, sitque extra illorum essentiam, seu ideam, rectè cum illud ut predicabile consideramus, asserimus esse: *Quod de multis predicari, seu affirmari potest extra eorumdem essentiam, sed necessario*, ut patet ex dictis.

## PROPOSITIO XXV.

*Accidens quatenus predicabile, est quod de multis predicari, seu affirmari potest extra essentiam contingenter.*

**A**ccidens secundum se consideratum, à Porphyrio asseritur esse, *quod potest adesse, vel abesse à subiecto sine ejusdem interitu.* Sic Albū esse, accidens est papyri: sive enim hæc alba sit, sive alio colore tingatur, semper est papyrus. Similiter Philosophum esse est accidens hominis, sive enim sit, sive non sit Philosophus, semper Homo est, suamque essentiam omnino retinet. Adversus id obijci potest, multa esse accidentia, quæ ita subiectis inhaerent, ut ab eis divelli nullatenus possint: ut nigredo ab Æthiope, aut Corvo; albedo à Nive, Cygno, &c. Resp. tamen prædicta accidentia inseparabilia potius proprietates, quam accidentia nuncupari. *Quin?* quod aliqua, quæ inseparabilia putantur, arte sunt forsitan separabilia: neque enim nigredo ita Æthiopi pertinaciter adhæret, quin paulatim minui possit, ubi in temperatioribus regionibus transmigrat; imò experientia teste, paulatim in filiis, ac nepotibus exlescit.

Hinc satis colligitur accidens quatenus predicabile spectatum, nihil aliud esse, quam id *quod de multis predicari, seu affirmari potest extra essentiam contingenter.* Vides tandem hæc duo ultima predicabilia *Proprium* nempe, & *Accidens*, esse extra essentiam rei, cui conveniunt, seu extra essentiam, & ideam subiecti, de quo prædicantur: in hoc autem inter se differre, quod nempe *Proprium* necessario; *Accidens* verò contingenter præfato subiecto conveniat. Cætera quæ de accidente desiderari possunt, alibi discutientur.

## CAPUT VII.

## De Cathegoriis, sive Prædicamentis Aristotelis.

**H**UNC prædicamentorum librum non alio sine scripsit Aristoteles, nisi ut omni sublata confusione, mens nostra claras, atque distinctas formaret rerum ideas. Cum enim nihil ita nitidæ perspicuitati advesetur, quam indigesta, ac perturbata rerum percipiendarum methodus; idcirco ut hunc scopulum vitaret, res omnes in diversa genera, seu classes distribuit, quas *Cathegorias* appellavit; Boetius verò *Prædicamenta*: quo certè fit ut res in suam quæque ordinem digestæ, tum facilius percipi, diffiniri, ac dividi possint: tum apertius explicari: Intellectus enim præfatas prædicamentorum series inspiciens, cuncta quæ ad rem propositam planè cognoscendam, ac plenè exponendam pertinent, ingenti facilitate persequetur, ut postea patebit.

Hunc autem librum divisit Aristoteles in tres partes; quæ communiter *Antepredicamenta*, *Predicamenta*, & *Postpredicamenta* solent appellari. Videtur enim Aristoteles in hoc libro Geometras imitasse: nam in Antepredicamentis definitiones quasdam præmittit, terminorumque explanationes, ne in iis, quæ deinceps dicturus est, ullus remaneat ambiguitati locus: his aliquas addit divisiones, ac præterea duas proponit regulas, quæ veluti totidem axiomata haberi possunt. Deinde Prædicamenta speciatim explicat: ac tandem reliqua, quæ ad ipsa Prædicamenta consequuntur, exponit.

Nos itaque eundem ferè ordinem retinentes, ea quæ Antepredicamenta nominantur, sequentibus Definitionibus comprehendimus: postmodum verò Prædicamenta ipsa explicabimus, prout logicum institutum exigit: Deinde Postpredicamenta: Plura tamen quæ hoc loci tractari solent ad Metaphysicam relinquimus.

## DEFINITIONES.

**I.** *Æquivoca, seu Homonima* dicuntur ea, quorum nomen est commune; ratio verò per nomen illud significata est omnino diversa. Ita Arist. & communiter Philosophi: sic quantum ab Ariete in Cælo Signum, ac animal terrestre nomen habent commune, nempe *Leo*: illud verò quod per hoc nomen significatur, est planè diversum: ideoque cæleste Signum, ac terrestre animal *Æquivoca, seu Homonima* dicuntur: tum & nomen *Leo* utrisque commune similiter *Æquivocum* appellatur: majoris tamen distinctionis gratia, nomen *Leo* in ordine ad prædicta significata dici solet *Æquivocum æquivocans*: ipsa verò significata, *Æquivoca æquivocata* appellantur.

**2.** *Univoca, seu Synonima* sunt ea, quorum nomen est commune; ratio verò per illud significata est omnino eadem. Ita etiam omnes cum Philosopho: Sic Homo, & Brutum, cum in nomine, tum in ratione animalis, æque conveniunt, ideoque univoca dicuntur, seu univocè in ratione animalis convenire; ipsum quoque nomen *Animal*, respectu illorum, univocum dicitur: nomen quidem, *univocum univocans*; homo verò, & brutum, quæ dicto nomine sub ratione Animalis significantur, *univoca univocata* solent appellari. Hinc patet Aristotelem hoc loci non tam nomina *Æquivoca*, & *Univoca*; sed i es ipsas definire, quatenus rationem il-

lam participant, eandem, aut diversam, quæ præfatis nominibus significatur: idemque dicendum de Analogis, ut statim patebit. Hinc cum ratio significata per nomen in univocis eadem sit, idcirco univoca unica definitione exponuntur; secus verò Æquivoca: cum enim ratio significata sit in eis profus diversa, diversis etiam definitionibus oportet explicari. Idemque dicendum est de Analogis.

3. *Paronyma, seu Denominativa sunt, quæ aliquam denominationem ab alio recipiunt.* Sic Justus à Justitia: Fortis à fortitudine denominatur. Si tamen propriè, ut par est, loqui velimus, quæ denominationem recipiunt *Denominata*; illa verò, quæ denominationem tribuunt *Denominativa* dicenda sunt. Sic Sanson fortis à fortitudine denominatur: Sanson itaque *Denominatus* est fortis: Fortitudo verò illius est *denominativa*, illum enim fortem denominat.

Duplex distingui solet *Denominatio* alia *Intrinfeca*, alia *Extrinfeca*. Quoties res, seu forma denominans, sive per unionem, sive alio quovis modo existit in ipsa re denominata, denominatio appellatur *Intrinfeca*: sic quoniam Sanctus quis dicitur à sanctitate ipsi inhaerente, denominatio *Sancti* dicitur *intrinfeca*. Quoties verò forma denominans, neque per unionem, neque aliter existit in re denominata, denominatio appellatur *Extrinfeca*: sic denominatio *cogniti* extrinfeca est respectu parietis: cognitio enim, qua cognitus denominatur, non in pariete; sed in ipso cognoscente reperitur.

4. *Analogia* inter Synonyma, & Homonyma ambigunt, ideoque fortè sunt ab Aristotele prætermittat: communiter autem sic solent definiri: *Quorum nomen est commune; ratio verò significata per nomen, par-*

*tim est eadem, partimque diversa.* Sed explicatur exemplo. Homo dicitur sanus; ac etiam medicamentum, sed diversa ratione: Homo enim dicitur sanus, quia sanitatem possidet; medicamentum verò, quia illam causat: ubi vides per nomen *Sanum* eandem quidem sanitatem significari in homine, ac in medicamento, sub diverso tamen respectu: Ideoque homini, ac medicamento idem nomen *Sanum* competit; ratio verò significata partim est eadem, partimque diversa: eadem enim sanitas in utroque significatur; in homine tamen quatenus eidem inhaerens; in medicamento autem, quatenus illam causat: ideoque homo in hoc casu *principale analogatum* solet appellari.

Duo autem *Analogia* genera solent à Philosophis distingui: unum *Attributionis*, & aliud *Proportionis*. *Analogia Attributionis* sunt, cum perfectio per nomen commune significata, in uno quidem propriè existit; alteri verò ob aliquem respectum tribuitur. Sic *Homo, Medicamentum, & Pulsus*, cum sana appellantur, sunt *Analogia attributionis*, quia sanitas, quæ in Homine, seu principali analogato, existit, attribuitur medicamento, quia illam causat; ac pulsui, quia illam significat. *Analogia autem Proportionis* sunt ea, quibus idem nomen tribuitur ob quandam, quam habent inter se proportionem: & hæc quidem sunt in toto rigore analogæ, si vocis significationem præcisè attendamus: *Analogia* enim Græcis idem est, quod Latinis *Proportio*: *Proportio* autem juxta Euclidem *def. 3. lib. 5. mutua quedam est secundum quantitatem habitudo, seu respectus*; & ea quæ eandem habent habitudinem, seu proportionem *Analogæ, seu Proportionalia* appellantur *defin. 6. ejusdem libri*. Sic quia ratio 6: ad 3. eadem est, ac 4: ad 2. est enim in utrisque ratio dupla: idcirco 6.3. 4.2.



Analogæ, seu Proportionalia appellantur: afferimusque, ita se habere 6. ad 3. ac 4. ad 2. Idem itaque quod Mathesis in quantitativibus, seu magnitudinibus determinat, id ipsum in aliis plerisque rebus agnoscit Philosophia: non fine ejusdem insigni emolumento. Analoga itaque Proportionis illa dicuntur, quibus perfectio per commune nomen significata, ita competit, ut uni quidem propriè; alteri verò per quandam proportionem, & similitudinem tantum convenit. Sic Homines, ac Montes pedes habere dicuntur; esseque quantum ad hoc analogæ proportionis, quia pes, qui verè, ac propriè homini convenit, ob analogiam, ac similitudinem quandam, monti convenire dicimus: sicut enim se habet pes respectu hominis, ita & montis fundamentum respectu montis. Ubi vides plerasque ex his analogiis ex aliqua metaphora deduci. Sed de his satis.

## PROPOSITIO XXVI.

*Prædicamentum, seu Categoriæ in communi est legitima quedam, ac naturalis coordinatio generum, specierum, & individuorum, quæ sub aliquo supremo genere continentur.*

**I**Ta communis Philosophorum consensus, cumquæ definitio ex dictis satis pateat, non est cur in ejusdem ulteriori explicatione hæreamus.

## PROPOSITIO XXVII.

*Categoriæ prætexere.*

**D**upliciter potest quælibet Categoriæ formari, aut per *Analysim, seu Resolutionem*: aut per *Synthesim, seu Compositionem*. Utramque methodum breviter expono. Categoriæ efformamus per *Analysim, seu Resolutionem*, cum incipientes à genere supremo,

premo, gradatim per interjectas species, ad usque infimam, imò usque ad hujus individua, descendimus: Genus enim supremum, quasi totum quoddam logicum est, omnes species usque ad individua complexens: ab hoc itaque toto incipientes, dum continuas illius divisiones, ac subdivisiones instituimus, viam analyticam, seu resolutivam inimus, quæ nempe à toto in partes progreditur. Quod ut exemplo evidentius pateat, supposito quod genus supremum sit id, quod *Substantia* communiter appellatur, ejus Categoriæ sic analyticè conficietur.

*Substantia* dividitur in corpoream, & incorpoream. *Corporea* autem, seu *Corpus* dividitur in Vivens, ac vita carens. *Vivens*, in sensitivum, & insensitivum. *Sensitivum*, seu *Animal*, in Rationale, & Irrationale. *Rationale* autem, seu *Homo*, in Socratem, Platonem, &c. quæ cum individua sint, ulterius divisio progredi nequit. Vides substantiæ Categoriæ Analyticè prætextam.

Categoriæ autem per *Synthesim, seu Compositionem* efficiemus cum ab individuis incipientes, gradatim per interjectas species ad usque Genus supremum ascendimus, quod sic in eadem Categoriæ substantiæ perficimus. Cum humana individua sedula attentione conspiciamus, omnia in ratione hominis convenire cernimus: ideoque Hominis rationem, seu Hominem in communi super ejus individua collocamus: combinatione autem facta animalium cum Plantis, in ratione viventis convenire comperimus: ideoque vivens super Animal, seu sensitivum statuimus. Comparat deinceps mēs nostra hoc vivens cū his, quæ vita sunt expertia, eaque videt in ratione corporis congruere: ideoque corpus supra vivens locat. Corpora tandem cum

incorporeis confert, eaque in ratione substantiæ convenire videt, ideoque substantiam supra corporis rationem in prædicamento ponit, ibique fitit. Vides itaque substantiam supremum locum tenere in Cathegoria, quam per Synthefim sumus absoluti.

## PROPOSITIO XXVIII.

*Prædicamentorum numerus determinatur.*

**N**on defuerunt aliqui Auctores, qui unicum sufficere prædicamentum putaverunt, cuius nempe genus supremum sit *Ens*, seu *Id quod habet esse*: Omnes enim res sub hoc genere ordinatim collocatæ, unicam tantum veluti catholicam Cathegoriam constituunt. Alii verò duo, nec plus assignanda esse prædicamenta existimarunt, nempe *Substantiam*, & *Accidens*: sub hoc enim duplici genere supremo cuncta collocantur. Cæterum ut verum fatear, cum res ipsæ non alio sine in certas classes sint à Philosophis distributæ, quam ut sublata penitus confusione, mens nostra illas cognoscat, ac de ipsis differat, idcirco Cathegoriarum numerus magna ex parte ex arbitrio pendet. Hoc supposito non video cur Cathegorium decadem, quam veterum comprobavit auctoritas, deseramus, cum ad finem, quem Philosophus in eis assignandis sibi proposuit, omnino sufficiant.

Assero itaque decem Cathegorias ab Archita Tarentino primum excogitatas, ac postea ab Aristotele comprobatas, retinendas esse: non enim in his, quæ ad praxim pertinent, ab eo, quod communi usu comprobatur, est temere recedendum, licet aliter ea possint disponi. Sic licet Annus in plures possit dividi partes, quam duodecim: aut circulus in plures gradus fecari, quam 360. Non est tamen ab his divisionibus recedendum.

Jendum: stultum siquidem foret eas communi omnium pene nationum usu probatas, improbare; novaque, & fortè minus ad propositum finem accomodatas, inducere: Idem ergo dicendum est in nostro casu.

Decem itaque Cathegoriæ, seu Prædicamenta sunt: *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, & Habitus*. Quodlibet ex his prædicamentis seriatim disponitur, in quo omnia, quæ ad illud pertinent debito ordine collocantur, ut in prop. 26. in adlato exemplo prædicamentis substantiæ vidimus, licet hæc series in ultimis quatuor difficillimè contexti possit. Id autem certum est præfata decem prædicamenta normam quandam esse, ac veluti formulam, quam si perpendat Philosophus, datam quamcumque rem expeditissimè exponet; ac quidquid de ea potest inquiri, ita resolvet, ut nihil circa eam scitu dignum relinquat, quod non patefaciat: decem enim de quacumque re singulari quæri possunt, quæ in decem prædictis Cathegoriis continentur, nempe *Quid sit*: en Substantiam. *Quanta sit*: en Quantitatem. *Qualis sit*: vide Qualitatem. *Ad quæ referatur*: idque est Relatio. *Quid operetur*: en Actionem. *Quid patiat*: en Passionem. *Ubinam existat*: ecce Ubi. *Quando extiterit, aut sit extitura*: en Quando. *Quo situ, an nempe sedeat, an stet, &c.* en Situm. *Quibus ornetur*: en prædicamentum Habitus. Id tamen exemplo illustremus.

Ut Platonis notionem perfectam habeamus, decem de ipso inquirenda sunt, & exponenda; quæ decem prædicamentorum normam perpendentes, scilicet exequemur. 1. Per *Substantiam*, quis fuerit Plato exponemus. 2. Per *Quantitatem*, Hominem fuisse statu-

ta corporis mediocri dicemus. 3. Per *Qualitatem*, de ejus sapientia pertractantes, dicemus fuisse magnum Geometram, insignem Philosophum, &c. 4. Per *Relationem*, exponemus cujusnam fuerit filius; fuisse item Socratis discipulum, Magistrum Aristotelis, Euclidis, &c. 5. Per *Actionem* ejusdem opera commendabimus: dicemusque Philosophiam docuisse, &c. 6. Per *Passionem*, quam eidem adfuissent inclinationes, animique passiones. 7. Per *Ubi*: asseremus Athenis vixisse, docuisse, &c. 8. Per *Quando*, ipsum floruisse dicemus ab Urbe condita sæculo quarto, ac 350. annis ante Salvatoris exortum. 9. Per *Situm*: an sedens, an stans doceret. 10. Per *Habitum* tandem dicemus Platonem splendenti, ac ditissima veste indutum incedere consuevisse. Similiter in aliis rebus Categoriarum ministerio est procedendum. Sed jam Prædicamenta singula, prout præsens occasio postulat percurramus.

## PROPOSITIO XXIX.

*Substantia est, quod per se existit.*

**E**xplicatur. Quidquid ita in rerum natura existit, ut aliquo subiecto non egeat ut existat, id *per se existere* dicimus: illa verò quæ ut existant, aliquo indigent cui inhæreant, seu cui adhæreant, & in quo existant, per se existere minimè asserimus; sed potius in alio necessario existere affirmamus. Substantiam itaque dicimus esse id *quod per se existit*: id est, ita existit, ut nullo egeat in quo existat; sed potius, quasi stratum quoddam fundamentum, alia sustentat: substantia enim, ut existat, si creata sit, nullo alio indiget, nisi actione Dei productiva; cætera verò quæ substantia non sunt, præter actionem sui productivam, alio, nempe subiecto, exigunt, sine quo, saltim naturaliter existe-

re,

re, ac persistere nequeunt. Et hujus quidem rei latior expositio ad Metaphysicam pertinet, ideoque satis est eam in præsentī aliquibus exemplis illustrare.

Cælum, ac terra substantia sunt, ita enim per se existunt, ut nullo egeant subiecto, à quo sustententur, nec alio indigent ut existant, nisi actione Dei creativa, ac conservativa. Rotunditas tamen Cæli, ac terræ substantia esse nequit, quoniam neque existit, neque existere valet sine Cælo, ac terra, quæ modificat, rotundaque denominat. Similiter corpus, & anima Hominis substantia sunt; possunt enim ab omni alio, & ab invicem separata existere, nulloque indigent subiecto ut existant: sed solum actione Dei ipsorum creativa, & conservativa: unio verò illa, qua corpus, & anima neuntur dum Homo mortaliter vivit, sine ipsis corpore, & anima neque existit, neque existere potest; ideoque substantia non est.

A ratione etiam substantiæ excluduntur accidentia illa, quæ communiter in Scholis admittuntur, quia sine substantia, cui inhæreant, saltim naturaliter existere nequeunt: sic albedo sine pariete, quem album denominat, existere naturaliter non potest. Verùm hæc suis locis explicabuntur.

Dividit substantiam Aristoteles *tract. 2. Prædicam. cap. 1. in Primam, & Secundam*. Substantiam primam appellat eam, quæ neque est in subiecto, neque de subiecto aliquo dicitur: talis est quælibet substantia singularis, ut *Petrus*, qui neque est in subiecto, cum sit per se: neque de subiecto aliquo dicitur, seu prædicatur: si enim aliquando dicimus *Hic homo est Petrus*, nihil certè dicimus: idem enim est ac si dicamus, *Hic homo est hic homo*, seu *Petrus est Petrus*. Substantiam secundam appellat eam, quæ licet in subiecto non sit;

est

est enim per se ; de subiecto tamen dicitur, seu prædicatur : estque quælibet substantia universalis, ut *Homo*; licet enim Homo in subiecto non sit, dicitur tamen, seu prædicatur de subiecto, cum dicimus, *Petrus est homo*, aut *Paulus est homo*, &c. Hæc substantiæ divisiō est prorsus inutilis, eam tamen explicui, ne tyro terminos substantiæ primæ, & secundæ prorsus ignoret. Substantiæ Cathégoriam prætextam exhibui prop. 26. Cætera verò, quæ ad substantiam spectant in Metaphysica pertractabo.

## PROPOSITIO XXX.

*Quantitas est id quo aliquid quantum esse dicimus.*

NOvem quæ sequuntur Prædicamenta, meritò Accidentia appellantur : non enim ad rei essentiam pertinent, sed potius eam supponunt : & sive rei adsint, sive absint, ejus tamen essentia semper persistit.

Quantitas itaque est id, quo quælibet res Quanta esse dicitur : id est, id quo major, aut minor ; crassa, aut exilis : extensior, aut contractior appellatur. Ideoque ad Quantitatis prædicamentum illa omnia revocantur, quibus respondere possumus interroganti, *Quanta sit res ?* Sic cum à nobis queritur quanta sit Tellus ? Respondemus ejus periphæriam sex mille, ac tercentum leucas Hispanicas continere. Quantum sit debitum ? Respondemus, mille aureorum summam coæquare, &c. In quo autem physice stet Quantitas, quæve sint ejus attributa suo loco expendemus.

Quantitatis Cathégoria sic instituitur. Dividitur r. Quantitas in *Continuam*, & *Discretam*. Continua est cujus partes inter se sunt unitæ, ut quodlibet Corpus; Quantitas discreta est, cujus partes inter se nullo vinculo copulantur, ut *Numerus*, qui nihil aliud est, quam

*unitatum collectio*. Quantitas sive continua, sive discreta iterum dividitur in *Permanentem*, & *Succesivam*. Permanentens est illa, cujus partes simul existunt, ut Corpus. Successiva, cujus partes non simul existunt, sed sibi continuo fluxu succedunt, ut Motus, & Tempus. Quantitas permanentens continua subdividitur in *Lineam*, *Superficiem*, & *Corpus*. *Linea* est, quæ unicam tantum habet dimensionem, quæ *Longitudo* appellatur. *Superficies* est, quæ duas dimensiones habet *Longitudinem* scilicet, & *Latitudinem*. *Corpus* verò seu Solidum trinam dimensionem necessario complectitur, *Longitudinem* nempe, *Latitudinem*, ac *Profunditatem*. Quælibet ex his speciebus quantitatis continuæ in plures alias subdividitur, de quibus egimus in Geometria. Quantitas etiam discreta quamplurimas habet species, quæ in Arithmeticis Tractatibus satis exposui, neque ad præsens institutum ullatenus pertinent.

## PROPOSITIO XXXI.

*Qualitas est id quo aliquid quale esse dicitur.*

SIC enim diffinitur ab Aristotele loco supra citato cap. 4, ait enim : *Qualitatem verò dico secundum quam quales quidam esse dicuntur*. Scio hanc definitionem à plerisque calumniari, quod illa nihilo doctiores efficiamur. Cæterum quo ad præsens attinet, sufficientem esse arbitror : docet enim nos Qualitatem esse quodlibet ex illis, quibus respondere possumus, quoties interrogamur qualis sit aliqua res : nec quicquam aliud dum de Prædicamentis agimus desideratur. Hinc patet ad hoc Prædicamentum cuncta illa accidentia reduci, quibus præfata quæstioni satisfacere possumus. Sic cum de Cymbalo quale sit interrogamur, respondemus esse sonorum, aut bene, aut male sonantem : unde sonus



gratus, aut ingratus est Cymbali qualitas: & sic de reliquis. Quid verò physicè sint prædictæ qualitates, in diversis Physicæ locis exponetur.

Qualitatem dividit Aristoteles in quatuor species, quarum singule sunt bimembres, hisque nominibus appellatur: *Habitus*, & *Dispositio*. *Potentia*, & *Impotentia*. *Patibilis qualitas*, & *Passio*. *Forma*, & *Figura*. Sed singula breviter percurramus.

Prima Qualitatis species est *Habitus*, & *Dispositio*: suntque *Qualitates illæ, quæ potentiam juvant, ac faciunt ad operandum*. Si qualitates istæ ita inhæreant subiecto, ut difficilius ab eo possint amoveri, appellantur *Habitus*; si verò modices in eo radices egerint, ita ut facile ab ipso removeantur, dicuntur *Dispositio*. Ubi vides discrimen *Habitus* inter, & *Dispositionem* solummodo esse accidentarium, cum eadem qualitas cum est facile amovibilis, nominetur *Dispositio*, cum verò egrè fuerit separabilis, dicatur *Habitus*: nihil enim aliud esse videtur *Dispositio*, nisi *Habitus* incohatu: sic Philosophiæ tyrones dispositionem tantum ad philosophandum habent, quam facile amittunt, cum à studio desistunt: cum verò per aliquot annos Philosophiæ operam dedere, *Habitus* illius habere dicuntur, quod eorum mentibus altas radices egerit, ideoque difficile ab eisdem removeatur.

Secunda species qualitatis est *Potentia*, & *Impotentia*: suntque *principium quoddam, seu facultas ad operandum*: quod si validum sit, ac robustum, *Potentia* dicitur; si verò debile, ac infirmum, *Impotentia* appellatur, quod potius *infirma debilisque potentia* appellaretur. Sic potentia visiva in juvene *Potentia* vocatur; in sene verò *Impotentia*, seu debilis potentia. Potentiæ alię spirituales sunt, quales in anima humana

intellectus, Memoria, & Voluntas; alię corporeæ, ut in corporibus potentia motrix, alięque similes, de quibus suis locis latè pertractabimus.

Tertia species Qualitatis est *Patibilis qualitas*, & *Passio*: suntque illę qualitates, quæ alicui sensui externo sunt sensibiles, seu ab eo perceptibiles, quales sunt Calor, Color, Odor, Sapor, &c. quę si ita tenaciter subiecto inhæreant, ut in ipso diu perseverent, *Patibilis qualitas, seu Pathetica* nominantur. Si verò cito transeant, dicuntur *Passio*. Sic rubor in facie ex temperamento proveniens *Patibilis qualitas* est; qui verò ex ira, bilisque subita commotione *Passio* nominatur, & sic de aliis.

Quarta species qualitatis est *Forma*, & *Figura*. Huiusmodi autem qualitates quantitatem determinant: & *Figura* quidem eam exterius determinat, seu potius terminat, aut circumscribit; nihil enim aliud est *Figura*, quam quantitas circumscripta, seu terminata, ut ex Euclide in *Geom. element.* diximus: sic Triangulum tribus lineis; Quadrangulum, quatuor terminatur; circulus verò unica linea circumscribitur. *Forma* autem prout in præsentī accipitur, est certa partium alicujus rei proportio, seu dispositio, ac delineamentorum distributio, ratione cujus res illa formosa, aut concinnè formata dicitur; & qua deficiente appellatur deformatis.

## PROPOSITIO XXXII.

*Relatio est respectus, seu ordo unius ad aliud.*

Quoniam singule res non modo secundum esse absolute, quod in se habent considerari possunt; verum etiam secundum esse respectivum, seu quatenus ad invicem referuntur, ac comparantur, idcirco Aristoteles præcedentibus Cathgoriis hanc adje-

cit *Relatorum*, seu eorum quæ sunt ad aliud, cui omnes res quoad esse respectivum spectata, seu quatenus mutuo comparantur, revocarentur. Res autem illa, quarum una refertur ad aliam, appellantur *Relata*, seu relationis extrema: ipsum autem referri abstracta voce *Relatio* nominatur, quæ nihil aliud est, quam *Ordo*, *respectus*, seu *habitus unius ad aliud*. In qualibet autem relatione duo necessario reperiri est evidens; aliter enim qualiter relatio esse posset unius ad aliud, nisi daretur unum, & aliud, quæ ut dixi vocantur *Extrema*. Horum autem illud, quod refertur, vocatur *Subiectum*, aut etiam *Fundamentum remotum* relationis: illud autem ad quod refertur, *Terminus* relationis appellatur: ratio demum illa, quæ in subiecto, seu fundamento remoto relationis reperitur, ac ratione cuius ad terminum refertur, dicitur *Ratio fundandi*, seu *fundamentalis*, ac *Fundamentum proximum*. Id tamen exemplis amplius illustremus.

*Exemplum 1.* Philippus est Alexandri Pater: & consequenter Philippus, quatenus Pater est, ad Alexandrum, qui illius filius est, refertur: neque enim Pater esset, si filium non haberet: neque intellectu concipere possumus Philippum ut Patrem, quin etiam filium habere concipiamus: Philippum itaque sic ad Alexandrum ejus filium referri, est *relatio*, quam in hoc casu *Paternitatis* appellamus: Philippus autem, quatenus Pater est, Subiectum est, ac Fundamentum remotum hujus relationis; Alexander verò est ejusdem relationis terminus: Philippum verò Alexandrum genuisse, est ratio fundandi, seu fundamentum proximum prædictæ relationis: est enim ratio fundamentalis, ob quam Philippus Pater est, seu ad Alexandrum relatione Paternitatis refertur.

*Exem-*

*Exemplum 2.* Sit paries albus A similis alteri parieti B. Parietem A similem esse parieti B, est relatio, quam *similitudinis* appellamus: cum enim parietem A parieti B comparamus, dicimus huic esse similem. Paries A, qui comparatur, Subiectum est ac fundamentum remotum hujus relationis; paries autem B, cui comparatur est ejusdem terminus: albedo autem ratione cuius paries A similis est parieti B, est fundamentum proximum, seu ratio fundandi: ambo autem parietes, sunt in hac relatione relata, & sic de cæteris.

Diversæ à Philosophis assignari solent relationum species, quæ tyronibus in præsentî potius confusionem, quam scientiam afferunt, idcirco his ad Metaphysicam relictis, solum eam Relationis divisionem adducam, quæ ab Aristotele affertur 5. *Metaph. tex. 20.* juxta triplicem rationem fundandi. Tres itaque relationum species assignat, quæ communiter vocantur, *Relationes Primi, Secundi, ac Tertii generis*. Relationes primi generis sunt quæ fundantur in *Unitate*, & *Numero*. Tales sunt relationes *Similitudinis, ac dissimilitudinis: æqualitatis, & inæqualitatis: conformitatis, ac difformitatis*. Quæ enim similia sunt, aut equalia, aut conformia, unitatem quandam redolent; quæ verò dissimilia, inæqualia, aut difformia, numerum referre videntur. Sic quoniam Ephesion fuit Alexandro similis, eidemque conformis; dissimilis verò Dario, relationem similitudinis habuit cum Alexandro; dissimilitudinis verò cum Dario. Ad has etiam relationes primi generis revocantur rationes illæ, de quibus *lib. 5. Element.* Euclid. egimus, ut aperte testatur Arist. loc. cit. Nihil enim aliud sunt juxta Euclidem, quam *Duarum magnitudinum ejusdem generis, mutua quedam secundum quantitatem habitudo*. Sic 2. ad 2. rationem ha-

ha-

habet æqualitatis : 4. ad 2. inæqualitatis, &c.

Relationes secundi generis sunt, quæ in *Actione*, & *Passione* fundantur. Ad has revocantur omnes relationes causarum ad effectus, & è contra, item Patris ad Filium, Magistri ad discipulum, Domini ad servum, & è converso : aliæque similes. Relationes tertii generis sunt, quæ in *Mensura*, & *mensurabili* fundantur. Ad has reducuntur relationes, quas habent scientiæ, & potentia ad propria obiecta, earum enim perfectio, perfectioni obiecti, circa quod versantur, solet commensurari : & sic de aliis.

Trimembris hæc Relationum divisio communiter recepta est ; verumtamen, ut cum Auctore Veteris, & novæ Phil. verum fatear, aliter, & fortè melius institueretur penes cætera prædicamenta : totidem enim sunt illarum genera, quot Categoriarum : Nam vel relationes fundantur in *substantia*, seu *essentia*, eruntque idempnitatis, ac distinctionis, seu diversitatis : vel in *Quantitate*, eruntque æqualitatis, aut inæqualitatis, &c. aut in *Qualitate*, eruntque similitudinis, ac dissimilitudinis : vel in *Potentia activa*, & *passiva*, quæ est causa ad effectum ; & vicissim : vel in *Ubi*, eruntque relationes proximitatis, ac distantie. Vel tandem in *Quando*, eruntque Prioritatis, ac Posterioritatis.

Præcipuæ Relationum proprietates sunt : Prima *Reciprocatio* ; si enim Ephesio similis est Alexandro ; & Alexander Ephesioni similis erit. Si Philippus Pater est Alexandri, certè hic est Philippi filius : ideoque harum relationum termini *correlata* appellantur. Secunda Proprietas est *Relata esse simul natura*, & *cognitione* : quoties enim unum ex relatis, quatenus ad aliud refertur, cognoscimus, simul etiam aliud correlatum cognoscimus : neque enim cum aliquem esse Patrem sci-

scimus ; & filium habere nos latere potest ; hocque est esse simul cognitione : neque Pater esse potest, qui filium non habet ; quod esse simul natura appellamus : & sic de aliis. Cætera quæ de relatione disputari solent, dabimus in *Metaphysica*.

## PROPOSITIO XXXIII.

*Reliqua sex Prædicamenta explicantur.*

**S**Ex ultima prædicamenta hac unica propositione comprehendo : sunt enim in præsentî modica utilitatis : Licet enim eorum naturas expendere sit factis difficile, id tamen partim ad *Physicam*, partim ad *Metaphysicam* spectat.

1. *Actio* itaque est *Actus agentis*, quatenus agens est. Aut etiam est *instfluxus*, ac veluti motus quidam agentis in terminum, seu in effectum, quem producit. Passio verò dicitur *Actus patientis*, qua patiens est, seu quatenus ab agente aliquid recipit. *Exemplum*. Sol illuminat aerem : Sol est agens, quia illuminat : Aer, patiens, quia illuminatur : illuminatio verò, quatenus à Sole egreditur, est *Actio* : ipsa verò illuminatio, quatenus in aere recepta, est *passio*. Actiones aliæ sunt *immanentes*, aliæ *transseutes*. Immanentes sunt, quæ nihil extra ipsum agens producant ; sed in eodem manent : tales sunt cognitio, amor, visio. Cognitio enim in ipso cognoscente, amor in amante, ac visio remanet in vidente. Transseutes autem extra agens aliquid efficiunt : ut illuminatio, calefactio, &c. quæ in aere, ligno, &c. aliquam mutationem efficiunt.

2. *Ubi, est præsentia rei in loco*. Ad hocque prædicamentum cuncta illa revocantur, per quæ responderi potest quæstioni, ubinam res aliqua existat : qualia sunt sursum, deorsum, domi, in foro, in Civitate, &c. Sic cum

cum interrogamur ubi Rex existat, respondemus, Marti, &c.

3. *Quando, est duratio rei, seu correspondentia illius ad aliquod tempus.* Ad hoc autem prædicamentum reducuntur ea omnia, quibus respondetur ad interrogatum *Quando*. Sic cum interrogamur: Quando floruerit Aristoteles? Respondemus, floruisse tribus ante Christum natum circiter sæculis.

4. *Situs, est dispositio partium corporis in ordine ad locum.* Huicque prædicamento reducuntur ea, quibus respondere solemus quoties quaritur, quamam positura res aliqua existat: sic dicimus Petrum sedere, stare, &c.

5. *Habitus, est res quædam artificialis corpori præcipue adjecta.* Ut vestis, ornamentum, Arma, &c. Deducitur enim *Habitus* à verbo habere: sic dicitur armatus, qui arma secum fert; vestitus, qui vestes, &c. Et hæc quidem de Prædicamentis in præsentî sufficient.

#### PROPOSITIO XXXIV.

*Exponuntur ea, quæ Postprædicamenta appellantur.*

**P**ostprædicamenta dicuntur affectiones quædam, seu modi, qui prædicamenta subsequuntur, ac sæpe ad plura ex ipsis pertinent. Sex ab Aristotele numerantur, nempe *Oppositio, Modi prioris, & posterioris, Modi simul, Motus, & Modi habendi.* Et de motu quidem, ejusque speciebus latè satis agemus in Physica: De modis autem habendi nihil scitu dignum occurrit, quod non satis ex his, quæ in Prædicamentis diximus, constat: aliqua igitur dumtaxat de *Oppositis, ac modis prioris, posterioris, ac simul* libabimus, illa nempe, quæ aliquid utilitatis his, quæ dicenda sunt, conferre possunt.

1. *Opposita sunt illa, quæ ita inter se pugnant, ut neutrum eodem modo pugnet, cum alio diversæ speciei.* Sic calor, & frigus opposita dicuntur: ita enim calor cum frigore pugnat, ut cum alio quovis similem pugnam non exerceat. Et in hoc quidem opposita ab his, quæ *Disparata* dicuntur, diversificantur: horum enim unum ita alteri repugnat, ut etiam aliis similiter repugnet; ut Equus, & Lapis disparata dicuntur, quod sicut inter se, ita & cum aqua, plantis, &c. pugnent.

Quatuor assignantur oppositorum species, nempe *Opposita relative, contrarie, privative, ac contradictorie.* Illa opponuntur *relative*, quorum unum alterum respicit, ut Pater, & Filius. *Contrarie* autem opponuntur entia illa positiva, quæ sub eodem genere posita maximè distant, ac in eodem subiecto saltem naturaliter compati non possunt, ut calor, & frigus, quæ sub eodem genere proximo qualitatis continentur, ac ita inter se distant, ut in eodem subiecto naturaliter simul esse non possint. *Privative* opposita sunt, quorum unum est forma aliqua positiva; alterum verò est privatio ejusdem formæ in subiecto apto ad illam: sic opponuntur visus, & cæcitas in eodem homine; cæcitas enim est privatio visus in subiecto apto. *Opposita autem Contradictorie* sunt, quorum unum alterum negat, etiam independenter ab omni subiecto: sic opponuntur Homo, & non homo, & similia: verum de his iterum redibit sermo, cum de oppositione propositionum.

2. *Modi prioris* sunt quinque; id est, quinque modis potest aliquid esse prius alio. 1. *Tempore*, & vocatur *Prioritas temporis*, quæ in eo consistit ut unum existat in aliquo tempore præcedenti tempus, in quo existit aliud: sic Adamus fuit Abele tempore prior.



2. *Natura*, & vocatur *prioritas nature*; cum nempe unum est aliquo modo alterius causa, licet tempore non præcedat: sic Sol est natura prior lumine. 3. *Essendi consecutione*, ut ajunt, seu *subsistendi consequentia*: hæcque prioritas reperitur inter ea, quorum unum infertur ex alio; hoc tamen non infertur ex illo: illud enim quod infertur, dicitur alio consequutione prius. Sic quia valet consequentia, *est Homo: ergo est animal*; non verò valet: *est animal: ergo est Homo*, animal dicitur consequutione prius homine, seu subsistendi consequentia. 4. Dicitur unum prius alio *Ordine*: sic exordium in oratione est narratione prius, 5. *Dignitate*: sic Rex est plebejo prior. His etiam additur prioritas *Originis*, qua Pater Æternus prior est Verbo Divino: tum & prioritas rationis, qua nempe unum prius alio concipitur.

*Posterius* autem, & simul tot modis accipi possunt, quot potest aliquid esse alio prius, quod ex dictis satis colligi potest. Sed in re parvi momenti diutius fortè, quam par esset, fumus immorati.

## CAPUT VIII.

### De Modis, seu Instrumentis sciendi.

CUM proprium Logicæ munus sit viam facilem; brevem, ac tutam Philomusis ostendere, qua ad scientias acquirendas foeliciter incedant, ad illam proinde spectat artificiosas quasdam methodos instituire, ac docere, quibus præfatum finem obtineant, quæ idcirco Instrumenta, seu Modi sciendi communiter appellantur. Modus itaque sciendi sic solet definiti:

Ora-

*Oratio logica ignoti manifestativa*: aut etiam si *ma-*  
*vis*: *Oratio logica, quæ artificiosè veritatem clariorem reddit*. Ego verò potius assererem Modum sciendi esse *Artificium logicum aptum ad veritatem assequendam*. Hinc Quadruplex est Modus sciendi, nempe *Definitio, Divisio, Argumentatio, & Methodus*: de quibus nobis agendum est: & quidem de definitione, & divisione, quæ cum per Apprehensiones communiter fiant, ad hunc locum spectant; de cæteris verò deinceps pertractabimus. Præfatis etiam Modis sciendi non immerito *Combinatio* potest adjungi, de qua latè in *Comp. Mathem. tract. 2. lib. 6.* egimus, ac postea de eadem iterum redibit sermo.

### PROPOSITIO XXXV.

*Definitio est oratio explicans naturam, & essentiam rei.*

SIC Geometra Triangulum definit cum dicit: *Triangulum est figura tribus lateribus constans*. Hic enim terminus complexus, *figura tribus lateribus constans* est Trianguli definitio, illius enim naturam, & essentiam exponit. Similiter *Animal rationale* est definitio hominis, quia ejusdem essentiam explicat.

Definitio autem duplex est, alia *Essentialis*, alia *Descriptiva*. Prima est, quæ explicat rem per illius prædicata essentialia, quæ nempe illam constituunt: sic *Animal rationale* est definitio *essentialis* hominis, quia illum explicat per ejusdem prædicata essentialia; homo enim essentialiter est animal, tum & essentialiter est rationalis. Definitio *descriptiva* est, quæ rem exponit per aliqua, sive accidentia, sive proprietates, quæ ita ipsi conveniunt, ut conjunctim alteri rei convenire non possint: ut cum ignem describimus asserentes esse

Ele-

*Elementum rarum, leve, simulque calidissimum*: huiusmodi enim attributa non nisi igni conjunctim convenire possunt.

Rursum Definitio essentialis dividitur in *Physicam*, & *Metaphysicam*. Definitio *Physica* est, quæ rem exponit per ejusdem prædicata essentialia Physica, seu quæ inter se realiter distinguuntur. Sic *Physicam* *Hominis* definitionem damus cum dicimus cum esse, *compositum ex corpore, & anima rationali*: corpus enim, & anima realiter distinguuntur. Definitio *metaphysica* est, quæ essentiã rei explicat per prædicata essentialia metaphysica, seu per genus, & differentiam, quæ inter se realiter non distinguuntur, ut cum hominem definitio dicens, esse *Animal rationale*: Animal enim, & rationale prædicata hominis sunt realiter inter se indistincta. Ad definitiones autem rectè perficiendas, sequentes regulas observato.

REGULÆ DEFINITIONIS.

1. **D**efinitio clarior sit definito. Aliter enim definitum minimè explicaret. Hinc à reëtarum Definitionum alvo recludendæ sunt illæ, quæ res potiùs obscurant, quam illustrant. Certum enim est clariorem in esse nobis Temporis ideam, quam quæ ingenerare potest illius definitio ab Aristotele conficta, dum ait esse *Numerum motus secundum prius, & posterius*: hæc enim non nisi magna adhibita expositione Tempus patefacit. Similiter Lucis cognitio nobis naturaliter insita illustrior est, quam, quæ inducere possit definitio ab eodem Aristotele assignata, quæ lucem esse dicit *Actum perspicui, ut perspicuum est*. Et sic de aliis.

2. Definitioni nihil adsit superfluum; nihilque desit, quod ad perspicuam rei explanationem sit necessarium.

3. Definitio omni, & soli definito conveniat. Sic perperam definiretur Homo per *Vivens sensitivum*; hoc enim etiam Leoni, Equo, &c. convenit.

4. Definitio metaphysica debet ex genere, & differentia coalescere: id est, exprimere debet genus proximum, ac immediatum speciei illarum rerum, quæ definiuntur, quo quidem genere cum aliis conveniunt: tum & differentiam specificã, qua ab omni illo, quod definitum non est, secernuntur. *Exemplum*. Definitio metaphysica *Hominis* est *Animal rationale*. Vox *Animal* ponitur loco generis, quo Homo cum brutis convenit; *Rationale* verò pro differentia locatur, qua nempe Homo à bruto cæterisque, quæ homo non sunt, diversificatur. Ratio autem hujus rei est, quia definitio metaphysica est, quæ essentiã metaphysicam rei exponit, hæc autem, ut alibi dixi, species quædam est ex genere, & differentia coalescens: ergo huiusmodi definitio exponere debet genus, & differentiam rei, quæ definitur. Ponitur autem in ea genus proximum, quia in isto cætera genera remotiora continentur.

5. Definitio reciproca sit cum suo definito. Id est, tenere debet consequentia à definitione ad definitum; & è converso à definito ad definitionem. Sic quoniam hominis definitio est *Animal rationale*, valet consequentia: *Petrus est animal rationale: ergo est Homo*. Item: *Petrus est homo: ergo est animal rationale*: & sic de reliquis. Hæc autem posterior definitionis regula omnium est maximè necessaria: Definitio enim sive longior, sive obscurior utcumque tolerabilis est; quæ verò non recipitur cum suo definito, nullatenus sustineri potest. Hinc trita quædam oriuntur circa definitionem axiomata.

## AXIOMATA.

1. Cui convenit definitio, convenit, & definitum.
2. Cui convenit definitum, convenit, & definitio.
3. Cui repugnat definitio, repugnat, & definitum.
4. Cui repugnat definitum, repugnat, & definitio.

## PROPOSITIO XXXVI.

*Divisio est totius in suas partes distributio.*

**I**Ta mens nostra in hac vita mortali limitata est, ut sæpe res totaliter, ac unico intuitu, non nisi admodum imperfecte, & obscure cognoscat: Idcirco divisionem advocat, ut illas, veluti per partes intuens, plenius earum cognitionem obtineat. Est itaque divisio: *Rei, seu totius in suas partes distributio*. Divisio autem duplex est, alia *Potentialis*, alia *Actualis*. Divisio *Potentialis est illa, qua totum in partes potentiales dividitur*. Talis est divisio, qua quodlibet Genus in suas species distribuitur: ut cum dividimus Animal in Hominem, & Brutum: istæ enim species homo, videlicet, & brutum partes sunt potentiales sui generis, quod est *animal*: istud autem totum potentiale est respectu prædictarum specierum. Ratio verò cur species appellantur *partes potentiales* sui generis, est quia ipsum actu non componunt, quemadmodum ligni partes componunt lignum. *Divisio actualis est illa, qua totum in partes actuales dividitur*. Sic lignum bipalmare in duas partes palmares secatur: sic etiam Homo in corpus, & animam dividitur, quæ ipsum actualiter integrant.

Hinc obiter advertas oportet ingens discrimen, quod inter divisionem actualem, ac potentialem reperitur. In divisione enim potentiâ partes dividentes singula-

tim rationem totius participant; secus verò partes actuales: quod perspicue patet in divisione animalis in hominem, & brutum, quæ ut dixi, potentialis est: homo enim animal est, similiterque brutum: cum verò homo in corpus, & animam dividitur, nec corpus homo est, neque anima est homo, si seorsum sumantur. Si tamen propriè loqui velimus, divisionem potentialem absolute *Divisionem*; actualem verò *partitionem* appellabimus: divisio enim ut monet Cicero, in hoc à partitione differt, quòd illa sit generis in species; hæc verò totius in partes.

Rurfus divisio aliter dividitur, nempe in *Essentialem, & Accidentialem*. Prima est quæ fit in partes essentielles, sive *physicas*, ut homo dividitur in corpus, & animam: sive *metaphysicas*, ut hominis alia pars est animal, alia rationale. Divisio *Accidentialis* est, quæ fit in partes accidentales: hæc autem triplex est. 1. *Subiecti in accidentia*, ut corpus aliud est album, aliud nigrum. 2. *Accidentis in subiecta*, ut album aliud est nix, aliud lac. 3. *Accidentis in accidentia*, ut cum dicimus album aliud est dulce, aliud amarum. Pro divisione autem rectè instituenda sequentes servato Regulas.

## REGULÆ DIVISIONIS.

1. **D**ivisio exæquet totum divisum: ita ut nec plura, nec pauciora sint in divisione membra, quam in toto divisò: sic rectè dividimus lineam in rectam, & curvam: nulla est enim linea, quæ recta non sit, aut curva. Cæterum perperam lineam divideremus in rectam, & circularem, cum plures sint lineæ, quæ nec rectæ sunt, nec circulares, quales sunt Elyptica, Parabolica, &c.

2. *Divisio paucis constet partibus*: sic enim aper-

tius rem divisam exponit : Hinc melius dividuntur litteræ in vocales, & consonas, quam in A, B, C, D, &c.

3. *Divisio recto ordine instituitur.* Ita nempe ut totum in partes proximas, & immediatas primum distribuat: deinde istæ in alias, donec tandem ad ultimas, quasi atomas, perveniatur. Hinc minus rectè vivens divideretur in homines, bruta, ac plantas: rectus enim divisionis ordo exoptulat, ut primo vivens in plantas, & animantia dividatur: deinde animantia in homines, & bruta, & similiter de cæteris.

## LIBER II.

### DE SECUNDA INTELLECTUS OPERATIONE, SIVE DE JUDICIO.

**S**ATIS, ni fallor, egimus in præcedenti libro de prima mentis operatione, prout logicum exposcit institutum: nunc jam de secunda est nobis agendum, quæ communiter tum *Judicium*, tum *Propositio*, seu *Enunciatio* appellatur. Majoris autem claritatis gratia ejus explicationem duplici capite divisam exhibeo: in primo eam quoad esse absolutum, quod in se habet, exponam: in secundo verò eandem quoad esse respectivum, seu comparativum explicabo: illis tamen quaestionibus ad Metaphysicam relictis, quæ in præfenti tyronis mentem potius confunderent, quam illustrarent.

## CAPUT I.

### De Judicii, ac Enunciationis natura, ejusque proprietatibus absolutis.

#### PROPOSITIO I.

*Judicium est cognitio aliquid de re cognita affirmans, aut negans.*

**I**D satis constat ex his, quæ præced. lib. prop. 2. & 3. diximus. Sic de homine *Judicium* ferimus, cum asserimus *Homo est animal rationale*: similiterque cum dicimus *Homo non est lapis*. Postquam enim mens nostra per apprehensionem, aliqualem in se hominis ideam effinxit; similiterque rationalis ideam, unam cum alia conferens, rationale homini necessario convenire affirmat, hæcque cognitio *Judicium* appellatur, quo nempe asserit *Hominem esse rationalem*. Similiter cum ideam hominis cum lapidis idea confert, statim cognoscit minime posse inter se convenire: ideoque lapidem de homine negans, *Judicium* efformat negativum dicens, *Hominem non esse lapidem*.

Hoc autem ab intellectu efformatum *Judicium*, expressio quædam est cognita à se veritatis, quam quidem exprimit, sive enunciat, aliis quidem transitive, mediisque vocibus externis; ipsi verò intelligenti intransitive: ideoque *Judicium* *Enunciatio* etiam, ac *Propositio* appellatur. Hinc *Enunciatio*, seu *Propositio* rectè dividitur in *Mentalem*, & *Vocalem*. *Propositio*, seu *Enunciatio mentalis*, quæ etiam *formalis* nominatur, est *Judicium* ipsum internum, seu *actus intellectus aliquid de obiecto affirmans, aut negans*. *Propositio* verò, seu *Comp. Phil. Tom. I.* F Enun-



Enunciatio vocalis est *Oratio*, *exterius aliquid de obiecto affirmans, aut negans.* (& quidem si verbis ore prolatis id efficiat, *Vocalis*; si verò scriptis, *Propositio scripta* vocatur.) Et hæc est, quæ proprie *Propositio*, aut *Enunciatio* nominatur: exterius enim enunciat, seu proponit, quod interius mens de obiecto iudicavit.

Addunt communiter Dialectici tertiam propositionis speciem, nempe *Obiectivam*: estque id quod per propositionem mentalem cognoscitur, ac de quo loquitur vocalis: unde melius appellaretur *Obiectum propositionis*, quam *Propositio obiectiva*. Sed hæc sunt de voce. Hæc autem propositio obiectiva, seu obiectum totale propositionis formalis, tribus constat, nempe *Subiecto*, *Prædicato*, ac *Copula*, seu *nexu*. *Subiectum* est id de quo aliquid dicitur, id est, de quo aliquid affirmatur, aut negatur. *Prædicatum*, seu *Attributum* est id quod de subiecto dicitur, seu de ipso affirmatur, aut negatur: *Copula* verò est illa quasi unio, quæ subiectum, & prædicatum necuntur, ut unam propositionem faciant, de qua alibi disceremus. *Exemplum.* In hac propositione *Homo est animal*, *Homo* est subiectum, quia de ipso dicitur esse animal: *Animal* est prædicatum, seu attributum, quia de Homine dicitur, eique tribuitur: Unio verò, seu quasi unio, seu potius idempritas hominis cum animali, quæ per particulam *est* designatur, est in eadem propositione *Copula*.

### PROPOSITIO II.

*In qualibet Propositione reperitur Materia, Forma, Qualitas, & Quantitas.*

**I**N omni Enunciatione reperiri necessario materiam, formam, quantitatem, & qualitatem, est commune

ne Philosophorum assertum: idque ex ipsa earumdem explicatione redditur omnino perspicuum.

*Materia* propositionis est obiectum circa quod verfatür propositio, subiectum videlicet, & prædicatum. Juxta modum autem quo prædicatum se habet ad subiectum, dicitur propositio, vel de materia necessaria: vel de contingenti, vel de impossibili: Nam quoties prædicatum necessario convenit subiecto, propositio dicitur de materia necessaria, ut *Homo est rationalis*: prædicatum enim *rationale* necessario convenit homini. Quoties autem prædicatum contingenter convenit subiecto, dicitur propositio de materia contingenti: ut hæc *Homo est albus*; contingens enim est hominem esse album, cum esse possit niger. Cum tandem prædicatum nequit subiecto convenire, dicitur propositio de materia impossibili, ut *Homo est lapis*.

*Forma* propositionis est ejusdem dispositio, quæ potissimum petitur ab extremorum nexu, ac modo quo in propositione necuntur, quatenus enunciat unum de alio.

*Qualitas* propositionis est ejusdem veritas, & falsitas. Veritas propositionis in eo consistit, ut obiecto conformetur, quoties enim ita se habet obiectum, ac per propositionem enunciat, propositio est vera; si verò aliter se habeat, ac per illam enunciat, propositio est falsa; non enim est suo obiecto conformis. Aliqui volunt propositionem esse affirmantem, aut negantem esse ejusdem qualitatem: cæterum id potius ad ejusdem formam, seu essentiam pertinere, inde patet, quod nempe propositionis essentia sit unum de alio enunciare, quod necessario fit per affirmationem, aut negationem: possunt tamen affirmatio, aut negatio qualitas propositionis appellari in eo sensu, quo quali-

bet differentia, etiam essentialis, qualitas dicitur respectu speciei, de qua prædicatur in *Quale*, id est, ut pars determinativa, ut communiter aseritur.

*Quantitas propositionis est ejusdem extensio ad suum significatum*, quatenus nempe de pluribus, aut de aliquo tantum loquitur. Hæc propositionis quantitas aliquibus notis, seu signis dignoscitur, quæ scilicet cum propositionis subiecto adiunguntur, illius significatum extendunt, aut coarctant, ideoque quantitatis signa, seu notæ appellantur: suntque in triplici differentia, videlicet *Universalitatis*, *Particularitatis*, ac *Singularitatis*. Notæ universalitatis sunt *Omnis*, & *Nullus*: hæc enim, si subiecto propositionis adiungantur, eam reddunt univocalem: ut *Omnis homo est rationalis*: *Nullus homo est lapis*. Signa particularitatis sunt *Aliquis*, & *Quidam*, quæ nempe subiecto additæ propositionem particularem efficiunt: seu ita illius significationem coarctant, ut unum tantum, indeterminatè tamen, significet. Ut *Aliquis homo est albus*: *Quidam homo currit*. Ubi non hic, ubi ille homo determinatè significatur; sed tantum unus aliquis indeterminatè. Signa verò singularitatis sunt *Hic*, *ille*, &c. quæ nempe subiecto adjecta, ad unum determinatè significandum coarctant: ut *hic homo est doctus*: *ille homo est stultus*.

Id autem maximè advertendum est, consulto me dixisse, signa quantitatis enunciationis subiecto illius addi oportere: si enim prædicato adiungantur, nihil ad ejusdem quantitatem conducunt. Sic hæc propositio, *Petrus est omnis homo* est de quantitate singulari, universalitatis enim nota, nempe *Omnis*, adjuncta est, non subiecto, sed prædicato. Reliqua, quæ circa propositionum quantitatem desiderari possunt, postea melius exponentur.

## PROPOSITIO III.

*Propositio, seu Enunciatio in diversas species dividitur.*

1. **D**ividitur propositio ratione suæ essentiæ formalis in *Affirmativam*, & *Negativam*. *Affirmativa* est, quæ prædicatum affirmat de subiecto, seu illi aserit convenire, ut *Homo est rationalis*. *Negativa* est, quæ aliquid de subiecto negat, ut *Homo non est lapis*.

2. Quantum ad modum exprimendi, dividitur propositio in *Perस्पiciam*, & *Obscuram*, seu *Exponibilem*. *Perस्पicia*, seu *Clara* est, quæ constat terminis dilucidis, ac perspicuis, ut *Deus est bonus*. Secunda est, quæ ambiguitatem aliquam, & obscuritatem in suis terminis involvit, ita ut egeat per aliam exponi, ideoque dicitur *Exponibilis*: & propositio, quæ illam terminis evidentioribus explicat, *Exponens* appellatur.

Propositio exponibilis est triplex, nempe *Exclusiva*, *Exceptiva*, ac *Reduplicativa*. *Exclusiva* est illa, quæ afficitur aliqua particula exclusiva, quales sunt: *Tantum*, *solum*, &c. Hæc autem aut ponitur ex parte subiecti, aut ex parte prædicati: cum ponitur ex parte subiecti, excludit omne aliud subiectum à participatione prædicati, ut *Homo tantum est rationalis*, cujus exponens est hæc: *Homo est rationalis*, & *nihil aliud est rationale*: Cum verò ponitur ex parte prædicati, excludit à subiecto omnia alia prædicata cum illo non connexa: ut cum dicimus: *Corvi sunt tantum nigri*: cujus exponens est: *Corvi sunt nigri*, & *nullo alio colore sunt affecti*. *Exceptiva* est illa propositio, quæ afficitur aliqua particula exceptiva, quales sunt: *Præter*, *exceptis*, &c. Talis est hæc propositio: *Omnis homo purus*

*purus contraxit originale peccatum, præter Beatam Virginem Mariam. Quæ ita exponitur: Hic homo, & ille, &c. contraxit peccatum originale; non tamen B. Virgo Maria. Propositio reduplicativa est, quæ particula reduplicativa afficitur, quales sunt: Prout, Quatenus, In quantum, &c. ut cum dicimus: Deus in quantum Omnipotens omnia creavit: quæ ita exponitur: Deus omnia creavit, quia est Omnipotens. Item: Homo ut rationalis, est intelligens; cujus exponens est: Homo est intelligens, quia est rationalis. Ubi vides quatuor in qualibet propositione reduplicativa concurrere, nempe Subiectum, Prædicatum, terminus reduplicatus, & signum reduplicans, ut in exemplo adlato, Homo est subiectum: Intelligens est prædicatum, ut rationalis, est terminus reduplicatus: ac ut, seu in quantum, est signum reduplicans.*

3. Dividitur propositio in propositiones, quæ dicuntur de secundo, ac de tertio adjacente. Propositiones de secundo adjacente sunt illæ, in quibus verbum copulam simul, ac prædicatum exprimit, ut *Petrus amat, Angelus vivit, &c.* Quæ ita appellantur, quod attributum secundo loco, seu immediatè post subiectum apponatur. Propositiones de tertio adjacente sunt illæ, in quibus copula seorsim à prædicato exprimitur per verbum substantivum *est*: ut *Deus est justus.* Unde hoc verbum *est* in his explicitè ponitur; in primis verò implicitè tantum.

4. Dividitur propositio ratione qualitatis in *veram, & falsam.* Prima est, quæ cum obiecto à se enunciato conformatur; secunda verò è contra. Vide dicta prop. præced.

5. Dividitur etiam propositio ratione quantitatis in *Universalem, Particularem, Singularem, & Indefinitam.*

*tam.* Propositio universalis est illa, cujus subiecto affigitur nota universalitatis: ut *Omnis homo est animal: Nullum animal est lapis.* Particularis est, cujus subiecto affigitur nota particularitatis: ut *Aliquis homo est albus.* Singularis est, cujus subiectum est singulare, aut eidem affixa est nota singularitatis: ut *Petrus est homo: Hic homo currit.* Indefinita est, cujus subiectum, licet sit commune, nullo tamen afficitur signo: ut *Homo currit.* Vide prop. præced.

6. Dividitur propositio in *Absolutam*, quæ & de *inesse* solet appellari; & *Modalem.* Absoluta, seu de *inesse* est illa, quæ simpliciter, & absolute aliquid affirmatur, aut negatur de subiecto: ut *Homo est animal: Homo non est lapis.* Propositio Modalis est illa, in qua non solum affirmatur, aut negatur prædicatum de subiecto, verum etiam modus, quo præfato subiecto inest, aut non inest: ut *Paulus bene scribit: Paulus non rectè philosophatur: Homo necessario est animal, &c.* Licet autem plures sint modi, qui propositiones modales afficiant; præcipui autem quatuor sunt apud Dialecticos, nempe *Necessè, Contingens, Possibile, & Impossibile.* Sic dicimus *Hominem esse animal, est necessè: Parietem esse album, est contingens: Petrum currere, est possibile: Hominem esse lapidem, est impossibile.* Circa has propositiones modales, aliqua sunt advertenda, quæ sequenti propositione exponuntur.

7. Dividitur etiam generaliter propositio in *Simplicem, seu Cathegoricam*: & *Compositam, seu Hypotheticam.* Simplex, seu Cathegorica est, quæ unico tantum subiecto, unicoque prædicato, ac unione constat: ut *Homo est animal.* Composita, seu Hypothetica est, quæ constat pluribus propositionibus simplicibus aliquo vinculo copulatis: ut *Deus est bonus, & Beata Vir-*

*Virgo est piissima.* Prædictæ autem propositiones Cathgoricæ, unam Hypotheticam componentes, aliquando in ea reperiuntur explicite, ut in adlato exemplo; aliquando verò solum implicite, ut in ista: *Petrus, & Ioannes ascendebant in Templum*; quæ Hypothetica est, ex his duabus Cathgoricis implicite composita: *Petrus ascendebat in Templum: & Ioannes ascendebat in Templum.*

8. Propositio Hypothetica dividitur in *Copulativam, Disiunctivam, Causalem, & Conditionalem.* Copulativa est illa, in qua duo subiecta, aut prædicata uniuntur particula *Et, Nec,* aut similibus: ex. gr. *Petrus est bonus, & Paulus est nequam: Plato fuit Philosophus, & Mathematicus: Petrus non est albus, nec Paulus est niger: Petrus neque est Musicus, neque Medicus.* Propositio Disiunctiva est illa, in qua diversa subiecta, aut prædicata uniuntur aliqua particula disiunctiva, quales sunt *Aut, Vel, &c.* ut *Petrus aut loquitur, aut dormit: Petrus, aut Paulus ratiocinatur.* Propositio conditionalis est illa, quæ constat aliqua particula conditionali, qualis est *Si,* aut alia æquivalenti. ver. gr. *Si Sol lucet, dies est:* & hæc solet absolute appellari hypothetica. Propositio Causalis, quæ duabus propositionibus constat, inter se aliqua particula causali copulatis, qualis est *Quia,* aut alia similis: ex. gr. *Homo est volitivus, quia est rationalis.* Circa has etiam propositiones aliqua superflunt advertenda, quæ postea tradentur.

#### PROPOSITIO IV.

*Notabiliora circa propositiones modales exponi diuntur.*

**C**irca propositiones modales pleraque solent à quibusdam tradi, quæ ad nihil aliud inservire videntur,

identur, nisi ad confundenda tyronum ingenia: solum itaque aliqua breviter exponam: in quo nempe fiet prædictarum propositionum affirmatio, ac negatio: universalitas, & particularitas: tum veritas, ac falsitas: hæc enim tantum sunt, quæ aliquid utilitatis differre possunt. Ad id autem supponendum est, duo in propositionibus Modalibus esse distinguenda, *Dictum* videlicet, & *Modum.* *Dictum* est tota illa oratio, quæ afficitur, & modificatur à modo. *Modus* autem est quod dictum afficit, & modificat, quatenus de dicto affirmatur, aut negatur. *Exemplum.* In propositione dicente, *Parietem esse album, est contingens,* illa oratio *Parietem esse album,* est dictum, quod à modo afficitur; *contingens* verò est modus, qui totam illam orationem afficit: ubi vides orationem illam, seu *Dictum* esse propositionem, constat enim subiecto, copula, & prædicato: totamque hanc propositionem esse subiectum respectu modi, qui de ipsa enunciatur.

Hinc colligitur duas in propositione modali reperiri copulas, unam in dicto, quæ nempe eius subiectum cum prædicato nectit, hæcque censetur minus principalis; alia quæ nectit dictum cum modo; hæcque copula princeps appellatur. Sic in adlato exemplo, nempe *Parietem esse album, est contingens,* si *esse* denotat copulam minus præcipuam; to verò *est,* quæ dictum cum modo connectit, principem copulam significat. His suppositis.

Assero Propositiones modales affirmativas esse, aut negativas, ex principe copula esse desumendum: illa enim est affirmativa, quæ modum affirmat, licet dictum neget: & è contra illa est negativa, quæ modum negat, esto dictum affirmet: hinc hæc propositio, *Parietem esse album, non est necesse,* est negativa, quia licet



albedinem in dicto affirmet; negat tamen modum: Hæc autem, *Hominem non esse animal, est impossibile*, est affirmativa, quia modum affirmat, licet in dicto neget: Unde propositio modalis potest esse aut affirmativa dicti, & negativa modi: aut affirmativa dicti, & modi: aut negativa dicti, & affirmativa modi: aut negativa dicti, & modi. Sed hæc sunt facilia.

Quod verò ad veritatem, ac falsitatem modalium atinet, dico: Propositiones affirmativas de *neceſſe*, tunc esse veras, cum propositio de inesse, quæ in dicto includitur, est de materia necessaria: exem. gr. *Hominem esse animal, est neceſſe*: propositio de inesse, quæ in dicto includitur, est ista, *Homo est animal*, cumque hæc veritatem necessariam includat, prædicta propositio modalis de *neceſſe*, est vera. Propositiones autem de modo impossibili, tunc sunt veræ, quando propositio de inesse est de materia impossibili: ver. gr. *Hominem esse lapidem, est impossibile*. Propositio de inesse est, *Homo est lapis*, quod est impossibile; unde præfata propositio, id impossibile esse affirmans, est vera. Propositiones tandem de modo contingenti, & possibili sunt veræ, quando propositio de inesse est de materia contingenti, aut non repugnante, ut *Petrum currere, est possibile*: *Petrum esse album, est contingens*. Hæc inquam sunt veræ, quoniam Cathgoricæ de inesse, quæ in dicto includuntur, sunt de materia non repugnante, ac contingente. Hinc patet propositiones negativas, prædictis oppositas esse falsas.

Aſſero tandem Propositiones modales esse universales, aut particulares ex modis, quos præferunt, esse unice defumendum. Sunt enim universales, quoties modus est universalis; particulares verò, quoties modus est particularis, quidquid sit de dicto. Modi autem uni-

universales sunt duo, *Impossibile* nempe, & *Neceſſe*: cæteri verò duo, *Contingens*, & *Possibile*, particularia censentur, juxta illud: *Omne neceſſum valet: Impossibile, nullum: Possibile, quidam: Quidam non, impossibile non*. Modus itaque *Neceſſe* est universalis, & huic termino *Omnis* æquivalet: similiter impossibile censetur universalis, & huic *Nullus* equiparatur. Modi autem *Possibile*, & *Contingens* sunt particulares, & termino *Aliquis, seu Aliquid* equiparantur. Advertendum autem est præfatos terminos quantitatem mutare, si ipsis immediate præponatur particula *non*, ita ut duo priores ex universalibus, particulares reddantur; duo verò posteriores ex particularibus, reddantur universales: Unde *Non neceſſe*, idem est ac *Contingens*: *Non impossibile*, idem quod *Possibile*. *Non contingens*, idem ac *Neceſſe*: & *Non possibile*, idem est ac *Impossibile*, ut est satis apertum.

## PROPOSITIO V.

*Notabilia circa propositiones Hypothesis, seu compositionis exponuntur.*

**P**ROPOSITIO copulativa tunc est affirmans, cum affirmat simultatem, seu conjunctum utriusque extremi; negans verò, cum prædictum conjunctum, seu simultatem negat: idque sive propositiones Cathgoricæ conjunctum efficientes, affirmativa sint, aut negativa. Hinc hæc propositio est affirmativa: *Deus est justus, & est misericors*. Item & hæc alia: *Nec Corvus est albus, nec Cygnus est niger*: Licet enim ambe Cathgoricæ sint negativa, ipsa tamen affirmat conjunctum earum esse verum: id est, utrasque Cathgoricas esse simul veras: idem enim sonat ac ista: *Et Corvus non est albus, & Cygnus non est niger*. E contra verò

hec est negativa: *Non & Corvus est albus, & Cygnus est niger*: quia licet Cathgoricæ sint affirmativæ; negat tamen earundem simultatem, & conjunctum.

Ad veritatem autem, aut falsitatem propositionis copulativæ investigandam, sequentes observato regulas.

*Regula 1.* Quoties ambæ simplices, seu altera simplicium, ex quibus copulativa componitur, falsa fuerit, tota propositio copulativa affirmans, falsa erit. Unde hæc est falsa: *Homo est rationalis, & est lapis*. Ratio est, quia copulativa affirmat conjunctum, seu simultaneum utriusque simplicis, seu Cathgoricæ veritatem: sed una saltem ex his deficiente, deficit conjunctum: ergo una saltem deficiente, falsificatur copulativa affirmans: hinc ut sit vera, utraque Cathgorica debet esse vera.

*Regula 2.* Ut copulativa negans sit vera, opus est, vel utramque simplicem, vel aliquam esse falsam: cum enim neget simultatem, opus omnino est hanc simultatem deficere, ut ipsa sit vera: non autem aliter deficere potest, nisi aut utraque Cathgorica falsa sit, aut aliqua ex ipsis: Ideò hæc: *Non & Corvus est albus, & Cygnus est niger*, est vera, quia utraque Cathgorica est falsa: Item hæc est vera: *Non & homo est rationalis, & lapis est animal*: cum enim Cathgorica asserens lapidem esse animal, sit falsa, verum est non existere conjunctum: ergo præfata propositio asserens istud conjunctum non existere, est vera. Hinc propositio copulativa negans tunc est falsa, quoties omnes propositiones Cathgoricæ illam componentes sunt veræ: ut patet in ista: *Non & Cygnus est albus, & Corvus est niger*.

2. Propositio disjunctiva tunc est affirmans, cum disjunctum affirmat; negans verò, cum disjunctum negat:

negat: idque sive propositiones simplices, eam componentes affirmativæ sint, sive negativæ. Ideò hæc est affirmans: *Aut Petrus non est fidelis, aut à promissis non deficiet*: Licet enim utraque Cathgorica sit negans: ipsa tamen unam è duabus veram esse affirmat. Hęc autem est negativa: *Non aut homo est lapis, aut Leo*. Negat quippè disjunctum: asserit enim non esse necesse unum, è duobus esse verum.

Ut propositionis disjunctivæ veritas, aut falsitas dignoscatur advertendum est, dupliciter posse propositionem disjunctivam efformari. 1. Cum ita disjungiuntur duas propositiones simplices, ut unam alteri opponamus, quasi utraque simul non possit esse vera: ut cum dicimus: *Peccator aut pœnitere debet, aut arde-re*: & in hoc casu, ut propositio disjunctiva sit vera, opus est ut una ex simplicibus sit vera, & altera falsa: volumus enim inter prædictas partes disjuncti nullum esse medium: Unde tunc erit falsa, cum utraque simplex est vera, vel utraque falsa. 2. Ita possumus propositiones disjunctivas effingere, ut nullatenus velimus significare inter simplices disjunctas oppositionem; sed solum quandam diversitatem: ut cum dicimus, *Petrus vel studet, vel sedet*: & in hoc casu, ut disjunctiva sit vera sufficit utramque, aut saltem unam ex propositionibus simplicibus esse veram: sic hæc propositio: *Petrus aut est homo, aut Leo*, est vera: Item hæc: *Petrus aut studet, aut sedet*, licet Petrus studeat simul, ac se-deat: Erit autem falsa si utraque propositio simplex sit falsa: ut *Petrus aut est Equus, aut Leo*. Hęc ut vides ex loquentis intentione dependent: Primus tamen disjungiendi modus est, qui in dissertationibus, ac divisionibus potentialibus solet usurpari; secundus verò raro venit in usum, est enim valde improprius.

3. Propositionum causalium illa est affirmativa, quæ rationem causalem affirmat; illa verò est negativa, quæ prædictam rationem negat: unde hæc est affirmativa, *Homo idèd est volitivus, quia est rationalis*: item ista, *Idèd homo non est brutum, quia est rationalis*. Hæc autem est negativa: *Non quia Petrus doctus est, Sanctus est*: negat enim rationem causalem. Veritas, aut falsitas causalium ab existentia, aut non existentia rationis causalis affirmata, aut negata unicè dependet.

4. Quoad propositiones verò conditionales advertendum est: ad hoc ut propriè conditionales sint, debere adesse aliquam connexionem inter conditionem, & rem conditionatam, seu quæ sub illa conditione affirmatur, aut negatur: ver. gr. *Si Sol lucet, dies est*: quoniam verè reperitur connexio inter præsentiam Solis, quæ est conditio, & existentiam diei, idcirco est propriè propositio conditionata; secus verò ista: *Si Petrus currit, Aquila volat*: cum enim nulla sit inter cursum Petri, & Aquilæ volatum connexio, impropriè solum, ac nomine tenus est conditionata. Quod itaque in propositionibus conditionalibus affirmatur, aut negatur, est præfata connexio: hincque provenit esse negantes, aut affirmantes, quidquid sit de Cathegoricis eam componentibus: ideoque hæc conditionalis est affirmans: *Si Petrus non est rationalis, non est homo*: Licet enim utraque Cathegorica sit negativa; cæterum affirmat connexionem repertam inter non esse rationalem, & non esse hominem.

Hinc harum propositionum veritas, aut falsitas ex prædicta connexionem ab ipsis affirmata, aut negata desumenda est: si enim ita se habeat connexio, ac per propositionem asseritur, vera est propositio; si verò fecus,

cus, est falsa: Ideoque hæc propositio: *Si Petrus currit, Aquila volat*, est falsa, licet accideret simul & Petrum currere, & Aquilam volare: propositio enim affirmat connexionem inter cursum Petri, & volatum Aquilæ, quæ non existit.

## CAPUT II.

## De proprietatibus respectivis Enunciationis.

EXPOSITIS jam in præced. cap. proprietatibus absolutis enunciationis, nunc explicandæ veniunt proprietates ejusdem respectivæ, quæ nempe illi conveniunt, quatenus alteri enunciationi comparatur: cumque enunciatio tripliciter possit ad aliam enunciationem comparari, vel quatenus illi opponitur, vel quatenus illi equivalet, vel quatenus in aliam potest converti: idèd triplex exurgit respectiva proprietates, nempe *Oppositio, Equipollentia, & Conversio*. De quibus breviter est agendum.

## PROPOSITIO VI.

*Propositio Oppositio, ejusque species exponuntur.*

Oppositio propositionum est: *Repugnantia inter duas propositiones idem subiectum, & prædicatum habentes*. Hæc autem repugnantia esse potest, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum utramque simul. Opponuntur propositiones secundum quantitatem, quando una est universalis, & alia particularis: secundum qualitatem, quando una est vera, & altera falsa; ac etiam quando una est affirma-

mativa, & altera negativa, ut enim dixi prop. 2. Affirmatio, & negatio possunt in aliquo sensu qualitates propositionum appellari. Opponuntur tandem secundum quantitatem, & qualitatem, quando una est universalis, & alia particularis: una item affirmativa, & alia negativa; aut una vera, & altera falsa: semper tamen habere debent idem subiectum, & idem prædicatum, seu ut communiter dicitur, esse debent ejusdem prædicati de eodem subiecto: imò & in utraque reperiri oportet easdem circumstantias, aliter enim non essent oppositæ, ut ex dicendis patebit.

Propositionum oppositio quadruplex est, scilicet *Contradictoria*, *Contraria*, *Subcontraria*, & *Subalterna*. Oppositio *Contradictoria* est, repugnantia duarum propositionum, quarum una est universalis, alia particularis: una item affirmans, & altera negans, quales sunt: *Omnis homo est animal*: *Aliquis homo non est animal*. Item: *Nullus homo est Philosophus*: *Aliquis homo est Philosophus*. Oppositio *contradictoria* etiam reperitur inter duas propositiones singulares: ut *Petrus currit*; *Petrus non currit*.

Oppositio *Contraria* est, quæ reperitur inter duas propositiones universales, quarum una est affirmans, & altera negans: ut *Omnis homo est Philosophus*: *Nullus homo est Philosophus*.

Oppositio *Subcontraria* est, quæ reperitur inter duas propositiones particulares, quarum una est affirmans, & altera negans: ut *Aliquis homo est Philosophus*: *Aliquis homo non est Philosophus*. Appellantur hujusmodi propositiones *Subcontraria*, quia sub propositionibus contrariis continentur.

Oppositio *Subalterna* est, quæ reperitur inter duas propositiones, quarum una est universalis, & alia parti-

cularis; utraque tamen affirmativa, aut utraque negativa: ut *Omnis homo est Philosophus*: *Aliquis homo est Philosophus*. Item: *Nullus homo est Philosophus*: *Aliquis homo non est Philosophus*. Cuncta in sequenti schemate sunt conspicua.

*Omnis homo est  
Philosophus.*

*Nullus homo est  
Philosophus.*

Contrariæ.

Subalterna

Contra

toriz.

Subalterna

dic

Contra

toriz.

Subcontrariæ.

*Aliquis homo est  
Philosophus.*

*Aliquis homo non est  
Philosophus.*

#### PROPOSITIO VII.

*Propositiones contradictoriæ nequeunt esse simul veræ, nec simul falsæ.*

**D**emonstr. Si contradictoriæ possent esse simul veræ, aut simul falsæ, idem simul esset, & non esset: sed hoc est impossibile, juxta illud metaphysicum axioma, *Impossibile est idem simul esse, & non esse*: ergo contradictoriæ nequeunt esse simul veræ, nec simul falsæ. Min. patet exem. gr. in his contradictoriis: *Omnis homo est Philosophus*: *Aliquis homo non est Philosophus*. Si enim sint simul veræ: ergo aliquis homo, ex gr. Petrus non erit Philosophus; dicit enim se; *Comp. Phil. Tom. I.*



cunda aliquem non esse Philosophum. Deinde si prima est vera, certè idem Petrus erit Philosophus; asserit enim omnem hominem esse Philosophum: ergo Petrus esset Philosophus, & non esset Philosophus, quod, ut dixi, est impossibile; non ergo contradictoriæ esse possunt simul veræ. Eodemque modo demonstrabitur non posse esse simul falsas.

LEGES CONTRADICTIONARIUM.

I. **P**ropositiones contradictoriæ sint ejusdem prædicati de eodem subiecto. Hinc sequentes propositiones, quia à prædicta regula deficiunt, non sunt contradictoriæ: *Omnis homo servans omnia præcepta Dei, salvabitur; Aliquis homo servans aliquod mandatum Dei, non salvabitur.* Subiectum enim primæ est homo servans omnia mandata Dei; secundæ verò est homo servans aliquod mandatum Dei: ideoque non sunt contradictoriæ, suntque simul veræ.

2. *Utraque propositio contradictoria attingat subiectum, ac prædicatum sub eisdem circumstantiis:* hoc est, in utraque eadem servetur terminorum suppositio, & appellatio. Hinc propositiones sequentes non sunt contradictoriæ: *Petrus magnus est Philosophus. Petrus non est magnus Philosophus,* quia variatur appellatio: in prima enim ly *magnus* supra Petrum; in secunda supra Philosophum appellat. Similiter non sunt contradictoriæ: *Nullus homo est terminus: Homo est terminus.* Variatur enim suppositio de formali in materialem: in prima enim ly *homo* sumitur pro suo significato; in secunda verò pro ipsa voce *homo*. Neque contradictoriæ sunt istæ: *Omnis Apostoli Christi sunt duodecim: Aliqui Apostoli Christi non sunt duodecim;* quia variatur suppositio à collectiva in distri-

bu-

butivam: hoc est, prima propositio loquitur de Apostolis collectivè, ideoque est vera, sunt enim collectivè duodecim; in secunda verò loquitur de quolibet, seu de aliquibus distributivè, sicque verificatur non esse duodecim.

Ob similem rationem non sunt contradictoriæ: *Nullus oculus requiritur ad videndum: Aliquis oculus requiritur ad videndum.* Variatur enim in ipsis suppositio à distributiva in conjunctivam: in prima enim ly *nullus oculus* sumitur distributivè; id est, neque dexter, requiritur ad videndum, cum sufficiat sinister; neque hic, cum dexter sufficiat, ideoque est propositio vera: in secunda verò sumitur *aliquis oculus* disjunctivè, cum asserat, aliquem ex ipsis requiri ad videndum; ideoque etiam est vera.

3. *Ut propositiones contradictoriæ sint, negativa id tantum neget, quod præcisè requiritur, ut affirmativa falsificetur.* Ratio autem est, quia aliter potius essent contrariæ, quam contradictoriæ, dareturque medium inter ipsas, & consequenter possent esse simul falsæ. Ob hujus regulæ defectum contradictoriæ non sunt, quæ sequuntur: *Petrus, & Paulus currunt: Nec Petrus, nec Paulus currit.* Secunda enim plus negat quam oporteat, ut prima falsificetur; asserit enim nec Petrum, nec Paulum currere, cum ut prima sit falsa sufficiat unum ex ipsis non currere: hinc solo Paulo currente utraque est falsa; prima, quia asserit utrumque currere; secunda, quia neutrum currere dicit. Ob eandem rationem non sunt contradictoriæ: *Omnis homo currit: Petrus non currit.* Plus enim secunda negat, quam oporteat, ut prima sit falsa: non enim ad id opus est Petrum determinatè non currere, cum sufficiat quemlibet non currere; ideoque si currente Petro;

G 2

Pau-

Paulus non currat, ambæ sunt falsæ. Similiter à contradictoriorum alio excludendæ sunt, quæ aliquid falsum supponunt; quales sunt: *Antichristus existens currit: Antichristus existens non currit.* Secunda enim plus negat, quam ad primam falsificandam requiritur: hæc enim duo saltem implicite affirmat, nempe & Antichristum existere, & currere: secunda verò asserit quidem existere, sed non currere: unde non existente Antichristo, ambæ sunt falsæ. Oportebat itaque secundam, non negare determinatè Antichristum currere, sed disjunctim; vel non existere, aut si existat, non currere, ut statim patebit.

## PROPOSITIO VIII. PROBLEMA.

*Data cuilibet propositioni, suam contradictoriam assignare.*

UT datæ cuilibet propositioni suam contradicentem assignes, hanc observato generalem regulam. Si data propositio sit affirmans, negantem oppones, negantem, inquam, id præcisè, quod ad affirmantem falsificandam sufficiat. Si data propositio negans fuerit, affirmantem oppones, quæ id tantum affirmet, quod ad illam falsificandam sufficere comperies. Ut autem hæc generalis regula præcticè observetur, sequentes regulas particulares attende.

1. Universalis affirmans contradictoriam habet particularem negantem, & è converso: sic contradictoria hujus, *Omnis homo est albus*, est, *Aliquis homo non est albus*, & è converso. Item, universalis negans contradictoriam, habet particularem affirmantem. Ideoque contradictoria hujus, *Nullus homo est albus*, est, *Aliquis homo est albus*, & è converso.

2. Contradictoria propositionis singularis est etiam sin-

singularis, una affirmans, & altera negans: ut hujus *Petrus est albus*, contradictoria est *Petrus non est albus*.

3. Contradictoria propositionis copulativæ est disjunctiva, & è contra. Sic contradictoria hujus, *Petrus, & Paulus currunt*, est, *aut Petrus, aut Paulus non currit*, & è contra. Similiter contradictoria hujus, *Petrus est Philosophus, & Mathematicus*, est, *Petrus, aut non est Philosophus, aut non est Mathematicus*. Item huic: *Petrus currit, & Paulus dormit*, contradicit hæc, *Aut Petrus non currit, aut Paulus non dormit*.

4. Propositioni conditionali opponitur contradictoriè, propositio negans connexionem inter conditionem, & rem sub illa affirmatam. Sic huic, *Si Petrus currit, movetur*; contradicit hæc, *Licet Petrus currat, non movetur*. Idem dicendum est de causali.

5. Si data propositio fuerit exponibilis, exponetur primum assignando illi propriam exponentem, hocque redacta erit ad aliquam ex prædictis, eritque facile juxta præfatas regulas genuinam illi contradictoriam assignare. *Exemplum.* Data sit hæc propositio, *Solus Petrus currit*, eritque exponens, *Petrus currit, & nullus alius currit*, quæ ut vides, copulativa est: ergo per Regulam 3, ejus contradictoria erit sequens disjunctiva: *Aut Petrus non currit, aut aliquis alius præter ipsum etiam currit*.

6. Ut propositionibus modalibus suæ assignentur contradictoriæ eadem regulæ prædictæ observandæ sunt: id tamen est advertendum, in utraque contradictoria idem servandum esse dictum: contradictio namque non in dicto, sed in modo reperitur, quatenus nempe una propositio illum affirmat; altera verò illum negat. Sic hu-

hujus propositionis : *Petrus non loqui, est possibile;* contradictoria est, *Petrus non loqui, non est possibile;* & sic de cæteris.

7. Generatim, si data propositioni negationem præponas, contradictoriam habebis; ver.gr. *Omnis homo est albus,* contradictoria est, *Non omnis homo est albus.* Similiter hujus, *Petrus currit, & Paulus dormit,* contradictoria est, *Non Petrus currit, & Paulus dormit.* Frequenter tamen contradictoria, quæ hoc modo assignantur subobscuræ sunt, & exponibiles.

## PROPOSITIO IX.

*Propositiones contrariæ nequeunt esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ.*

**D**ICO 1. Propositiones cõtrarias nõ posse esse simul veras. *Demonstratur.* Sint enim contrariæ sequentes : *Omnis homo currit : Nullus homo currit.* Si prima, nempe *Omnis homo currit,* est vera, certè vera quoque erit hæc *Petrus currit.* Similiter si vera sit secunda, nempe *Nullus homo currit,* etiam erit vera, *Petrus non currit.* Ergo si utraque contraria est vera, erunt etiam veræ, *Petrus currit, & Petrus non currit;* sed hoc est impossibile (7.) sunt enim contradictoria: ergo propositiones contrariæ nequeunt esse simul veræ.

**D**ICO 2. Propositiones contrarias posse esse simul falsas. *Demonstratur.* Nam negativa plus negat, quam opus sit ad affirmativam sibi oppositam falsificandam: & consequenter inter ipsas potest assignari medium, quo utraque reddatur falsa, ut patet in his : *Omnis homo currit ; Nullus homo currit.* Si enim tantum aliquis homo currat, utraque est falsa : prima, quia dicit omnem hominem currere, cum tamen unus tantum

currat; secunda, quia dicit nullum currere, cum unus sit, qui currat. Id autem ita contingit in propositionibus contrariis de materia contingenti; in illis verò quæ sunt de materia necessaria, aut impossibili, evenire non potest, quod quidem provenit ratione materiæ circa quam hujusmodi propositiones versantur; non ratione formæ, seu contrarietatis. Ideo sequentes contrariæ nequeunt esse simul falsæ. *Omnis homo est rationalis; Nullus homo est rationalis;* non enim potest accidere aliquem hominem non esse rationalem: similiter nec istæ, *Nullus homo est lapis; Omnis homo est lapis:* neque enim aliquis homo, qui lapis sit, potest inveniri, prout ad utriusque falsitatem requirebatur.

## PROPOSITIO X. PROBLEMA.

*Data propositioni contrariam assignare.*

**I**D quidem facillimum est: si enim affirmes quidquid data propositio negat, aut neges quidquid illa affirmat, ejusdem contrariam assignasti. *Exemp. Omnis homo currit;* contraria est, *Nullus homo currit.* Item: *Petrus, & Paulus sunt Philosophi;* contraria est, *Nec Petrus, nec Paulus sunt Philosophi;* & sic de aliis.

## PROPOSITIO XI.

*Subcontraria possunt esse simul veræ, non verò simul falsæ.*

**D**ICO 1. Subcontrarias esse posse simul veras. Patet in istis. *Aliquis homo est justus; Aliquis homo non est justus.* Ratio autem est, quia cum subiectum *aliquis homo,* vagum sit, ac indeterminatum, eo præcisè, quod aliquis reperiat homo justus; & aliquis alius injustus, utraque propositio est vera. Hinc colliges subcontrarias non loqui de eodem subiecto, & consequenter

ter nec esse proprie oppositas. Sepissime tamen accidit ratione materiæ non posse simul verificari; idque semper evenit in his quæ sunt de materia necessaria: ut *Aliquis homo est animal; Aliquis homo non est animal.* Prima enim est vera, secunda verò falsa; quia circa materiam necessariam versantur. Idem etiam contingit in eis, quæ sunt de materia impossibili: ut *Aliquis homo est lapis; Aliquis homo non est lapis.*

Dico 2. Propositiones subcontrarias nunquam esse simul falsas. Ratio est, quia ut hæc, *Aliquis homo est justus*, falsa sit, requiritur nullum hominem esse justum: ergo alia quæ dicit, *Aliquem non esse justum*, vera erit: ergo eo præcisè, quod una falsa sit, alia est vera.

#### PROPOSITIO XII. PROBLEMA.

*Data cuilibet subalternæ, illi oppositam subcontrariam assignare.*

**D**ixi *Subalternæ*, ut enim possit aliqua propositio esse alteri subcontraria, necesse est ut alicui universali subalternetur. Hoc posito, datæ subalternæ sic ejusdem subcontraria assignabitur. Reperitur (8.) ejus contradictoria; huic autem sua subalternæ assignetur, quod facillimum est; est enim particularis sub prædicta contradictoria universali contenta, & hæc erit subcontraria, quæ desideratur. *Exemplum.* Sit data propositio, *Aliquis homo currit*, cujus petitur subcontraria: inveniatur ejus contradictoria, quæ (8.) est, *Nullus homo currit*; cujus subalternæ, *Aliquis homo currit*, est subcontraria quæ sita.

#### PROPOSITIO XIII.

*Subalternans, & subalternæ proprie non sunt oppositæ.*

Ra-

**R**atio est, quia solum opponuntur in quantitate, quatenus nempe subalternans universalis est; subalternæ verò, particularis sub illa contenta. Hinc si subalternans vera sit, etiam & subalternæ erit vera; possunt itaque esse simul veræ: ut *Omnis homo est animal; Aliquis homo est animal.* Possunt item esse simul falsæ: ut *Nullus homo est animal; Aliquis homo non est animal.* Casu tamen quo subalternans falsa sit, potest aliquando subalternæ esse vera: ut *Omnis homo est Philosophus; Aliquis homo est Philosophus.* Prima est falsa, secunda autem vera.

#### PROPOSITIO XIV.

*Harum oppositionum maxima est contradictoria, cæteræ verò seriatim minores.*

**A**sfero juxta Logicam inspectionem, maximam oppositionem inter duas propositiones esse contradictoriam; deinde contrariam, postmodum subcontrariam, omniumque minimam esse subalternam. Ratio est, quia contradictoriæ in nullo eventu possunt esse simul veræ, nec simul falsæ; quod quidem est quod à Logica præcipue spectatur. Contrariæ autem, licet nunquam esse possint simul veræ; possunt tamen (9.) aliquando esse simul falsæ. Subcontrariæ item esse valent simul veræ; ac tandem subalternæ possunt aliquando esse simul veræ; & aliquando item simul falsæ: (13.) ergo tenet propositio. Id autem ita esse dixi, *juxta Logicam considerationem*, si enim physicè spectentur magis opponuntur propositiones contrariæ, quam contradictoriæ. Contraria enim totum id negat, quod sibi opposita affirmat. Contradictoria verò tantum id negat, quod sufficit ad oppositam falsificandam; nec enim dubitari posse videtur, dicenti, *Omni hominem esse*



esse album, plus opponi eum, qui dicit, *Nullum esse album*, quam qui tantum *Aliquem non esse album* opponit, convenit enim cum primo in eo, ut ceteri homines sint albi.

## PROPOSITIO XV.

*Æquipollentia propositionum, modusque eam instituendi explicatur.*

**I**D inutile pene esse videtur, ideoque breviter me expediam. *Æquipollentia* nihil aliud est, quam *Æquipollentia propositionum quoad veritatem, & sensum*. Inventa autem est ad obscuras propositiones clariore reddendas: instituitur autem *Æquipollentia* per quandam particulam negantis additionem, in quo observato tres regulas sequentes.

1. Ut una propositio fiat *æquipollens* suę contradictorię, particula *Non* præponatur signo universalitatis, aut particularitatis: sic ut hæc propositio, *Aliquis homo est justus*, fiat *æquipollens* suę contradictorię, nempe *Nullus homo est justus*. Addatur particula *Non* ante signum *Aliquis*, eritque *Non aliquis homo est justus*, quę eundem sensum habet, ac *Nullus homo est justus*. Similiter *Non nullus homo est justus*, *æquipollens* alteri *Aliquis homo est justus*.

2. Ut una propositio fiat *æquipollens* suę contrarię, particula *Non* postponatur signo. *Exemplum*. Ut hæc propositio, *Omnis homo est justus*, reddatur *æquipollens* suę contrarię *Nullus homo est justus*: additur particula *Non* post verba *Omnis homo*, eritque *Omnis homo non est justus*, idem ac *Nullus homo est justus*. Similiter *Nullus homo non est justus*, *æquivalens* dicenti, *Omnis homo est justus*.

3. Ut subalternę suam *æquipollentes*, addatur alteri ex ipsis particula *Non* tum ante, tum post signum,

*Exem-*

*Exemplum*. Ut hæc *Aliquis homo est justus*, *æquipollens* suę subalternanti *Omnis homo est justus*, addatur ante, & post signum particula negans, eritque *Non aliquis homo non est justus*, idem ac *Omnis homo est justus*. Similiter subalternans *Omnis homo est justus*, *æquipollebit* suę subalternę *Aliquis homo est justus*, si dicamus, *Non omnis homo non est justus*. Hæc autem *Regulæ facilitatis gratia* in hoc versu continentur.

*Præ contradic, Post contra, Præpostque subalter.*

Id est, in propositionibus contradictoriis particula *Non* præfigenda est signo; in contrariis, postponenda; anteponenda autem, & postponenda in subalternis, ut dictarum propositionum *æquipollentia rectè* instituat.

Subcontrarię autem non fiunt *Æquipollentes*: ad id enim opus erat particulam negantem signo postponere, quæ si in negativa postponatur, inepta quędam fiet repetitio; si verò in affirmativa, non aliqua negativę *æquipollens*, sed ipsa propositio negativa consurget. Patet hoc in his subcontrariis, *Aliquis homo est justus; Aliquis homo non est justus*: ut enim secunda primę *æquipolleat*, addita negatione, erit *Aliquis homo non est justus*, quod est ineptum: si autem primę addatur negatio, erit *Aliquis homo non est justus*, quæ est ipsa propositio negans, non verò ipsi *æquipollens*.

## PROPOSITIO XVI.

*Propositionum conversio, modusque eam instituendi exponitur.*

**C**ONVERSIO propositionum est, *Transmutatio unius in aliam, mutando subiectum in prædicatum, & prædicatum in subiectum, servata eadem qualitate*. Id est, servata eadem affirmatione, aut negatione, veritate

tate item, aut falsitate. Propositio autem, quæ in aliam convertitur, appellatur *Convertibilis*, aut *Conversa*: illa verò in quam fit conversio, seu quæ ex conversione resultat, dicitur *Convertens*: semper autem tenet consequentia à conversa ad convertentem, ut in exemplis statim afferendis patebit.

Triplex est propositionum conversio, nempe *Simplex*, *Accidentalis*, & *per Contrapositionem*. Conversio Simplex est illa, qua una propositio in aliam convertitur, servata eadem quantitate; ita ut, vel utraque sit universalis, vel utraque particularis. Hac conversionis specie convertuntur universales negativæ, ut *Nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo*. Tum & particulares affirmativæ, ut *Aliquis homo est Philosophus: ergo aliquis Philosophus est homo*, & è converso; non tamen aliæ.

Conversio accidentalis, seu per accidens est illa, qua una propositio in aliam convertitur, variata quantitate. Ita ut si una sit universalis, alia sit particularis, & è contra. Sic convertitur universalis affirmans in particularem affirmantem; & universalis negans in particularem negantem: ut *Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo*. Item: *Nullus homo est lapis: ergo aliquis lapis non est homo*. Hic tamen ad veritas oportet, in hac conversione per accidens non valere mutuò consequentiam; licet enim teneat: *Omnis homo est animal: ergo aliquod animal est homo*; non tamen tenet, *Aliquod animal est homo: ergo omnis homo est animal*.

Conversio per contrapositionem est illa, in qua termini propositionis, qui erant finiti, redduntur infiniti, servata tamen eadem quantitate. Sic convertitur universalis affirmans in aliam etiam universalem affir-

mantem; & particularis negans, in particularem negantem: ut *Omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo*, & è contra; in hac enim semper reciprocatur consequentia. Similiter: *Aliquod animal non est homo: ergo aliquod non homo non est non animal*. Ut præfatum convertendi artificium promptius habeatur, his versibus continetur.

*Simpliciter, feci; convertitur Eva, per acci:*

*Asto per contra, sic fit conversio tota.*

In his versibus tres sunt adnotandæ dictiones, nempe *Feci*, *Eva*, & *Asto*, & in ipsis quatuor vocales A, E, I, O. Quarum A, significat propositionem universalem affirmantem: E, universalem negantem: I, particularem affirmantem: & O, particularem negantem, juxta sequentes versus.

*Afferit A, negat E; verum generaliter amba:*

*Afferit I, negat O; sed particulariter amba.*

In primis itaque versibus, prima dictio est *Feci*, quæ duas continet vocales: nempe E, quæ significat universalem negantem; & I, quæ denotat particularem affirmantem. Hujusmodi itaque propositiones convertuntur simpliciter, prout exprimitur per verba *Simpliciter feci*. Secunda dictio est *Eva*, duas continens vocales: nempe E, quæ significat universalem negantem; & A, quæ significat universalem affirmantem. Hæc convertuntur per accidens, juxta illud *Convertitur Eva per Acci*. Tertia dictio est *Asto*, cujus binæ vocales sunt A, significans universalem affirmantem; & O, designans particularem negantem. Et harum propositionum conversio fit per contrapositionem, juxta illud *Asto per contra*. Ratio autem, in qua prædictæ regulæ fundantur, pendet ex distributione terminorum, ut lib. 3. prop. 12. patebit.

Id tandem advertendum est, ut propositionum conversio legitima sit, terminos in convertente debere sumi eodem modo, quo in conversa: id est, easdem proprietates logicas retinere debent, eandem nempe *Suppositionem, Ampliationem, & Appellationem*, in conversa, quæ in convertente; ob hujus defectum non tenet hæc conversio: *Aliquis puer erit senex: ergo aliquis senex erit puer*: non enim in convertente, & conversa servatur eadem ampliatio: nam ly *puer* ampliatur in prima ad significandum quod est, & erit; in secunda verò restringitur ad id tantum quod erit: præfata itaque propositio, *Aliquis puer erit senex*, sic est convertenda: *Ergo aliquis, qui erit senex, est puer*. Et sic de cæteris.

## LIBER III.

## DE TERTIA INTELLECTUS OPERATIONE, SIVE DE DISCURSU.

**H**ANC tertiam mentis operationem esse omnium perfectissimam, nemo est, qui dubitet: est enim aurea veluti clavis, qua penitiora sapientia sacraria referantur. Dicitur *Discursus*, quod illius ope mens felici gressu ab unius rei cognitione in alterius cognitionem currat, discurrat, tandemque deveniat. Vocatur etiam *Illatio*, quod unum ex alio inferat, novasque veritates detegat. Appellatur item *Argumentatio*, quod adversus errores pugnans, eos rationis gladio perimat. Hinc ne micris Aristotelem totum

tam penè fuisse in iis, quæ ad tertiam mentis operationem pertinent: nam cum de cæteris per pauca in libro de Interpretatione dedisset, in hac quatuordecim libros insumpsit, in quibus ingentem ingenii vim, & acumen maximè patefecit: quatuor nempe, quos Analyticos, seu de Resolutione nominavit, quòd in eis artem resolvendæ argumentationis in sua principia potissimum explicet, quorum duo priores Syllogismi; posteriores, demonstrationis expositioni dedit. Octo insuper conscripsit de Syllogismo probabili, quæ libros Topicorum nuncupavit: tandemque alios duos, in quibus Sophistarum cavillationes complexus est. In præfati igitur, quæ ad hanc tertiam mentis operationem spectant, prout Logicum institutum exposcit, breviter exponam.

## CAPUT I.

## De Argumentatione, ejusque speciebus:

## PROPOSITIO I.

*Argumentatio est oratio, in qua unum inferitur ex alio.*

**E**X dictis lib. 1. prop. 2. & 3. constat Discursum esse actum intellectus inferentem, unum ex alio, qualis est actus, qui ex eo quod virtus bona sit, inferit esse amabilem: hic autem discursus, quatenus exterius profertur, propriè appellatur *Argumentatio*, quæ nihil aliud est, quam *Oratio in qua unum inferitur ex alio*: ut. gr. *Aves respirant: ergo habent pulmones. Petrus currit: ergo movetur*. Hinc in omni argumentatione tria necessario reperiuntur, nempe *Antecedens, Consequens, & Consequentia, seu*

*illatio.* Antecedens est id ex quo aliquid inferitur. *Consequens* est, quod ex antecedenti inferitur. *Illatio* autem, seu *Consequentia* in abstracto, est dependentia illa, quam habet consequens ab antecedente, ratione cujus ex illo deducitur. *Exemplum.* In hac argumentatione *Petrus currit : ergo movetur*, Petrum currere, est antecedens ; ex hoc enim inferitur, Petrum moveri, quod est consequens : connexio autem, seu dependentia quam habet motus Petri cum ejusdem cursu, ratione cujus nequit currere, quin moveatur, est illatio, seu consequentia : vocatur etiam communiter *Antecedens* propositio illa *Petrus currit* : illa autem *ergo movetur* dicitur *Consequens* : ly verò *ergo* denotat illationem, seu consequentiam in abstracto : Licet frequenter ipsa etiam propositio, *Ergo Petrus movetur*, appelletur *Consequentia*, in concreto scilicet, quatenus idem est ac consequens, seu aggregatum ex propositioe illa, & illatione, seu consequentia.

## PROPOSITIO II.

*Argumentatio in septem species dividitur.*

**A**rgumentatio dividitur in *Syllogismum*, *Enthymema*, *Prosyllogismum*, *Exemplum*, *Inductionem*, *Soritem*, & *Dilemma*. *Syllogismus*, juxta Arist. lib. 1. *Priorum Analyt. cap. 1.* est, *Oratio in qua, quibusdam positis, aliud ab his, que posita sunt, necessario sequitur.* Hoc est, *Syllogismus* est *Oratio in qua ex duabus propositionibus, alia inferitur.* Hinc tres in quolibet *Syllogismo* propositiones reperiuntur, ex quibus duo, que primo loco adjacent, vocantur *Premissa*, que simul supra *Antecedens* sunt in *Syllogismo*, quod idcirco *Antecedens compositum* dicitur : Tertia autem propositio *Consequens, seu consequentia* appellatur. Ex dua-

duabus premisis prima communiter dicitur *Major*, secunda *Minor*, cui nempe præponi solet dictio *Atqui*, vel *Sed* ; tertia verò, cui præponitur particula *Ergo*, quod ex premisis inferatur, nominatur *Consequens, seu Consequentia*, ut supra diximus. Exem. gr. In hoc *Syllogismo*, *Omnis homo est animal ; sed Petrus est homo : ergo Petrus est animal*, prima propositio est *major*, secunda *minor*, tertia verò, quæ ex prædictis inferitur, est *consequentia*.

*Enthymema* est *Argumentatio duabus propositionibus constans, quarum secunda inferitur ex prima* : ut *Petrus est homo : ergo est animal.* Constat itaque *Enthymema* antecedenti simplici, & consequentia : sic in adlato exemplo, *Petrus est homo*, est antecedens, consequentia verò : *ergo Petrus est animal.* Hinc perspicue patet *Enthymema* esse *Syllogismum truncatum*, ac imperfectum, quatenus nempe, neglecta altera præmissarum, veluti festinanter conclusionem deducit : illa autem præmissa neglecta semper subintelligitur, neque enim aliter *Enthymema* quicquam concluderet : certum est enim non alia ratione ex eo quod *Petrus sit homo*, inferitur esse *animal*, nisi quia *omnis homo est animal*, quæ est præmissa, quæ reticetur, ac subintelligitur.

*Prosyllogismus* vocatur *Argumentatio ex Syllogismo, & Enthymemate adjuncto coalescens*, in quo aliquid inferitur ob *Syllogismum*, qui præcessit : ut si quis dicat : *Omnis qui studet virtuti, placet Deo ; sed Petrus studet virtuti : ergo placet Deo ; sed omnis qui placet Deo est beatus : ergo Petrus est beatus.*

*Exemplum* est *Argumentatio, in qua unum inferitur ex alio, propter similitudinem, aut rationis equalitatem, inter ipsa repertam.* Ut *Christus pepercit latroni penitenti : ergo etiam parcat mihi penitenti.* Hic ar-  
Comp. Phil. Tom. I. H guendi



guendi modus familiare est plus Rethoricis, quam Dia-  
lecticis.

*Inductio est Argumentatio, in qua ex pluribus pro-  
positionibus singularibus, propositio universalis colli-  
gitur: ut hic homo est mortalis, & iste, & ille, &c.  
ergo omnis homo est mortalis.* Quoties, ut dixi, ex plu-  
ribus singularibus infertur propositio universalis, seu fit  
inductio, appellatur *Ascensus*, ut in exemplo adducto:  
quoties verò ex universali plura singularia colliguntur,  
appellatur *Descensus*: ut si dicamus: *Omnis homo est  
mortalis: ergo & iste, & ille, &c. est mortalis.*

*Sorites* est Argumentatio ex coacervatis plurimis  
propositionibus constans, ita seriatim ordinatis, ut præ-  
cedentis prædicatum sit subsequenti subiectum, donec  
ad ultimam perveniatur, cujus prædicatum per illatio-  
nem uniuari primæ propositionis subiecto: ut in exem-  
plo sequenti.

*Peccatum mortale privat nos Cælo:*

*Quod privat nos Cælo, addicat nos tartaro;*

*Quod addicat nos tartaro, reddit nos infelices;*

*Quod reddit nos infelices, est detestandum:*

*Ergo peccatum mortale est detestandum.*

*Dilemma est Argumentatio ex duabus propositioni-  
bus disjunctivè pro antecedente statutis, eandem infe-  
rens consequentiam.* Talis à Christo Domino facta est  
Pharisæus argumentatio: *Aut Baptismus Ioannis erat  
de Cælo, aut ex hominibus: quidquid responderit Pha-  
risæis, concludetur iniquus: idcirco Dilemma Argu-  
mentum cornutum, seu bifurcatum rectè dicitur, quod  
utrinque capiat adversarium.*

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

## PROPOSITIO III.

*Omnes species Argumentationis revocantur ad Syllo-  
gismum.*

**D***Emonstratur.* 1. Enthymema ad Syllogismum  
reduci, constat ex præcedenti prop. non enim  
concluderet, ni propositio illa neglecta subintellige-  
retur.

2. Prosyllogismum ad Syllogismum revocari, patet:  
constat enim ex Syllogismo, & adjuncto Enthymemate:  
sed Enthymema, ut dixi, reducit ad Syllogismum:  
ergo & totus Prosyllogismus. Ratio autem generalis  
evidens est: nequit enim intellectus ad deducendam  
conclusionem determinari, nisi videat duo extrema  
idemificari cum aliquo medio; ex hoc enim deducit  
ea extrema esse idem inter se: sed duo extrema idem-  
tificari cum medio requirit duas præmissas, quarum una  
proponat idemnitatem unius extremi cum illo medio;  
& alia cum eodem medio alterius idemnitatem enun-  
ciat: ergo omnis argumentatio, saltim implicite duas  
præmissas includit: & consequenter est virtualiter Syl-  
logismus.

3. Ob eandem rationem *Exemplum* ad Syllogis-  
mum revocatur; semper enim illa propositio subintel-  
ligitur: *Ea in quibus eadem circumstantia concurrunt,  
eodem modo se habent;* cui propositioni loco majoris  
subintellectæ, adjungitur alia: ver. gr. atqui ego  
penitus eodem modo me habeo, ac se habuit latro: er-  
go quemadmodum ille, ita & ego consequar peccato-  
rum veniam.

4. *Inductio* similiter ad Syllogismum revocatur:  
cum enim dicimus, *Hic homo est mortalis, & iste, &  
ille, &c.* Quædam alia propositio subintelligitur, quæ

*Constantia* appellatur, scilicet: atqui *Hi sunt omnes homines*: unde recte inferitur: ergo *Omnis homo est mortalis*.

5. *Sorites* verò est Syllogismus, ut patet in supra alato *Sorite*, si hoc modo disponatur: *Illud quod nos privat Calo, addicat tartaro, & reddat infelices, est detestandum: atqui peccatum mortale sic se habet: ergo est detestandum.*

6. *Dilemmam* esse Syllogismum disjunctivum, patet in supraposito *Dilemmate*, si ita disponatur: *Unum è duobus necessario debetis concedere*, nempe aut *Baptisimum Joannis de Calo fuisse*, aut ex hominibus: sed *quidquid concedatis inexcusabilem reddit vestram impietatem: ergo impietas vestra est inexcusabilis*. Hinc demum vides Syllogismum esse perfectam, ac rigorosam argumentationem, in eoque totam concludendi vim, & energiam positam esse: quidquid itaque ad ejsdem essentiam, ac dispositionem spectat, prosequamur.

CAPUT II.

*De Materia, & Forma Syllogismi.*

PROPOSITIO IV.

*Syllogismus ex materia, & forma coalescit.*

**S**UPPONO 1. Cuncta artefacta ex materia, & forma coalescere. Materia sunt ea ex quibus componuntur; forma verò est dispositio illa, qua ea quæ artefactum componunt, invicem ordinantur, ac connectuntur.

Suppono 2. Materiam aliam esse *proximam*, aliam *remotam*. Materia proxima artefacti sunt ea ex quibus

immediate componitur; remota verò est id ex quo prædicta materia proxima componitur: unde est materia materiæ illius Artefacti. Omnia sequenti exemplo fiunt perspicua.

Horologium est quoddam artefactum, ideoque ex materia, & forma componitur. Materia sunt dentatæ rotæ, Axes, Elateria, &c. Forma horologii est mirificus ille ordo, concinnaque dispositio, qua præfatæ rotæ invicem nectuntur, ita ut ordinatissimo motu horas demonstrent. Hujusmodi autem rotæ, axes, &c. sunt proxima Horologii materia, quia ex eis immediate componitur; Chalybs verò, Orichalcum, &c. ex quibus præfatæ rotæ, axes, &c. constant sunt Horologii materia remota: sunt enim materia proxima rotarum, axium, &c. quæ sunt proxima materia Horologii. Hoc supposito.

Affero Syllogismum ex materia, & forma componi. Ratio est, quia Syllogismus est artefactum quoddam Logicum; id est, Logicæ legibus dirigentibus constructum: sed omne Artefactum constat ex materia, & forma, ut dictum est: ergo & Syllogismus.

PROPOSITIO V.

*Materia proxima Syllogismi sunt præmissæ, & conclusio.*

**R**ATIO est, quia materia proxima Syllogismi (4.) est id ex quo immediate componitur: atqui Syllogismus immediate componitur ex præmissis, & conclusione: non enim alia ejsdem materia proximior potest assignari: ergo prædictæ tres propositiones sunt ejsdem materia proxima.

## PROPOSITIO VI.

*Materia remota Syllogismi sunt termini.*

**R**atio est, quia termini sunt id ex quibus componuntur propositiones, id est, præmissæ, & conclusio, quæ sunt materia proxima Syllogismi: nec aliter Syllogismum componunt, nisi quatenus partes sunt prædictarum propositionum: ergo (4.) sunt illius materia remota.

## PROPOSITIO VII.

*In quolibet Syllogismo tres, nec plures, nec pauciores, reperiuntur termini.*

**A**Sfero in quolibet Syllogismo tres reperiri terminos, qui *Majus extremum, Minus extremum, & Medius terminus* appellantur. Ex his majus extremum, & minus extremum reperiuntur in conclusione; unus scilicet tamquam prædicatum, & alius tamquam subiectum: illud autem extremum dicitur majus, quod reperitur in præmissa majori, minus verò, quod in minori. Medius autem terminus, seu ut alii loquuntur, medium verbum, reperitur quidem in utraque præmissa, nunquam verò in conclusione. In præmissis autem existit, ut ibidem utraque extrema secum connectat, & uniat, ac deinceps legitima illatione inferantur connexa, seu potius idemptificata inter se in conclusione: ut in Syllogismo sequenti: *Omne rationale est docile; sed omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est docilis.* Ubi vides tres terminos, nempe *Docile, Homo, & Rationale.* Ex quibus *Homo, & Docile*, qui in conclusione reperiuntur, sunt extrema: terminus verò *Rationale*, qui non in conclusione; sed in præmissis reperitur, est medius terminus.

Demum Syllogismi terminos tres tantum esse, & nec plu-

plures, nec pauciores esse posse, demonstratur: & primo quidem nequeunt esse pauciores, opus enim omnino est, duos terminos in præmissis idemptificari, ac neci cum aliquo tertio, seu medio, ut in conclusione legitime inferantur connecti, ac idemptificari inter se: non ergo duo termini sufficiunt, sed tertius terminus insuper necessarius est. Secundo nec esse posse plures, quam tres est evidens. Licet enim majus extremum idemptificetur in majori cum uno, & minus extremum in minori cum alio diverso, non ideò poterunt inferri in conclusione prædicta extrema idemptificata inter se: ad hoc enim opus erat, utraque extrema cum eodem in præmissis idemptificari, & connecti: ergo si adsint quatuor termini, nulla erit consequentia. Patet in exemplo: Si enim dicerem, *Omnis homo est substantia; atqui lapis est corpus: ergo lapis est substantia.* Nulla certè esset consequentia, adsunt enim in hoc ficto Syllogismo quatuor termini; nempe *Substantia, Lapis, Homo, & Corpus*: & licet homo idemptificetur cum substantia, ut asseritur in majori: & lapis cum corpore, ut asseritur in minori; non inde inferitur lapidem esse substantiam, quemadmodum inferitur, si ablato termino *Homo*, dicamus: *Omne corpus est substantia; atqui lapis est corpus: ergo lapis est substantia.*

## PROPOSITIO VIII.

*Forma Syllogismi est recta suarum propositionum, ac terminorum dispositio, apta ut legitima inferatur consequentia.*

**D**emonstr. Nam forma Horologii Auctomati nihil aliud est, nisi recta suarum partium dispositio, qua ita constituitur, ut concinne, ac fideliter horas demonstrare possit: ergo & forma Syllogismi nihil aliud

aliud erit, quam recta partium ipsium componentium dispositio, qua ita constituitur, ut aptum sit legitimam inferre conclusionem: hoc enim commune est omnibus artefactis; sed partes Syllogismi sunt propositiones, ac termini, ut in precedenti diximus: ergo in horum dispositione stat Syllogismi forma.

Hæc autem dispositio ad id tandem reducitur, quod medius terminus exhibeatur in præmissis idemptificatus cum utroque extremo: ut legitime exhibeantur in conclusione hujusmodi extrema idemptificata inter se. Hæc insuper dispositio diversis modis potest contingere, quæ diversæ dispositiones, *Figura Syllogistica* à Dialecticis appellantur. Imò & in qualibet ex his figuris aliæ reperiuntur Syllogismorum differentia, licet minus præcipuæ, qui ab eisdem *Modi* nominantur. Hinc forma Syllogistica est *Propositionum, ac terminorum Syllogismi recta dispositio, quoad figuram, & modum, idonea ad conclusionem inferendam*. Cujus explicationem exhibent propositiones sequentes.

## PROPOSITIO IX.

*Figura Syllogistica est triplex.*

**F**igura Syllogistica est, *Recta quedam dispositio medii termini cum extremis, apta ut legitima conclusio inferatur*. Erit autem ad id muneris apta, si in altera ex præmissis inveniatur majus extremum; in altera, minus: & utraque in conclusione: ac præterea medius terminus jungatur præfatis extremis in præmissis, numquam tamen conclusionem ingrediatur. Hoc posito, assero cum communi tres tantum esse figuras Syllogisticas. Ratio est, quia tripliciter tantum possunt disponi extrema cum medio in præmissis, ita ut recta conclusio possit inferri. Aut enim medium est subie-

ctum

ctum in una, & prædicatum in alia, hæcque est prima figura: aut est in utraque præmissa prædicatum, estque secunda figura: aut est in utraque subiectum, estque tertia figura; juxta illud.

*Sub. præ. prima. Sed altera bis præ. Tertia bis sub.*  
Hanc diversam triplicis figure dispositionem exhibent exempla sequentia.

## PRIMA FIGURA.

*Omne animal est docile,*

*Omnis homo est animal:*

*Ergo omnis homo est docilis.*

## SECUNDA FIGURA.

*Omne animal est corpus,*

*Nullus Angelus est corpus:*

*Ergo nullus Angelus est animal.*

## TERTIA FIGURA.

*Omne animal est corpus,*

*Aliquod animal est rationale:*

*Ergo aliquod rationale est corpus.*

Galenus, quem aliqui sequuntur quartam addit Figuram, illam scilicet, in qua medium verbum est prædicatum in majori, & subiectum in minori. Sed hæc Figura communiter rejicitur: quòd non distinguatur à prima, nisi sola translocatione præmissarum; qua facta, cum præmissa, quæ erat major fiat minor, & minor major, inde resultat (immutatis aliis omninò terminis) medium verbum, quod antea erat subiectum in majori, fieri subiectum in minori, & quod erat prædicatum in minori, fieri prædicatum in majori: quæ differentia, cum nimis accidentalitatis sit, ad novam Figuram statuendam insufficientis merito censetur.

PRO-



## PROPOSITIO X.

*Quid modus Syllogisticus, & quotuplex sit explicatur.*

**M**odus Syllogisticus est, *Dispositio propositionum secundum quantitatem, & qualitatem essentialem, ad concludendum idonea.* Nomine quantitatis intelligitur universalitas, aut particularitas; nomine verò qualitatis essentialis, affirmatio, aut negatio, ut alibi diximus: unde perspicua manet definitio. Modi autem Syllogismorum alii sunt *Directi*, alii *Indirecti*. Modi *Directi* sunt illi, in quorum conclusione, minus extremum est subiectum, & majus prædicatum. *Indirecti* verò è contra, illi sunt, in quorum conclusione minus extremum est prædicatum, & majus subiectum: & primi quidem appellantur *Directi*, quod modus ille concludendi frequenter connaturalior sit; secundi verò ob oppositam rationem *Indirecti* dicuntur: horum enim conclusio conversa est illius, quæ ex præmissis infertur directè; ut patet in sequenti Syllogismo.

*Omne animal est vivens,*

*Omnis homo est animal:*

*Ergo omnis homo est vivens. Directa.*

*Ergo aliquod vivens est homo. Indirecta.*

## PROPOSITIO XI.

*Modi Syllogistici communes sunt novemdecim.*

**A**sfero modos Syllogisticos, qui communiter à Dialecticis assignantur, esse novemdecim, quos nunc breviter exponam: utrum enim alii præter istos sint admittendi, postea discutiendum relinquo. Ex his autem novemdecim modis, quinque sunt indirecti; ceteri verò quatuordecim sunt directi: & indirecti quidem

dem ex iis sunt, qui ad primam figuram spectant; in cæteris enim figuris nullus est modus indirectus. Sunt itaque in prima figura novem modi, quatuor directi, & quinque indirecti. In secunda quatuor, sexque in tertia, qui omnes sequentibus verbis includuntur.

*Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baralipon.*

*Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum.*

*Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti.*

*Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

*Explicatio.* Singulis novemdecim dictionibus in præfatis verbis contentis, singuli Syllogismorum modi notantur: ideoque totidem sunt, quot modi: in qualibet autem ex illis dictionibus tres primæ vocales sunt observandæ, quibus tres propositiones Syllogismi suo ordine denotantur; si quæ verò vocales aliquando supersint, contemnuntur; solum enim ad versus integritatem sunt appositæ. Vocales autem semper sunt aliqua ex his quatuor A, E, I, O, quarum A, ut alibi dixi, significat universalem affirmantem; E, universalem negantem; I, particularem affirmantem; & O, particularem negantem. Hinc facile erit determinare, in quo cujusque figuræ modo, datus quivis Syllogismus existat: tum & Syllogismum in dato modo datæ figuræ construere. Quod ut facilius percipiatur, inspice sequentia Syllogismorum exempla in singulis trium figurarum modis.

## MODI DIRECTI PRIMÆ FIGURÆ.

Bar *Omne animal est vivens;*

ba *Omnis homo est animal:*

ra. *Ergo omnis homo est vivens.*

Ce *Nullum animal est lapis;*  
 la *Omnis homo est animal:*  
 rent. *Ergo nullus homo est lapis.*

Da *Omne animal est vivens;*  
 ri *Aliqua substantia est animal:*  
 i. *Ergo aliqua substantia est vivens.*

Fe *Nullum animal est lapis;*  
 ri *Aliqua substantia est animal:*  
 o. *Ergo aliqua substantia nō est lapis.*

## MODI INDIRECTI PRIMÆ FIGURÆ.

Ba *Omnis spiritus est substantia;*  
 ra *Omnis Angelus est spiritus:*  
 lip. *Ergo aliqua substantia est Angelus.*

Ce *Nullum animal est lapis;*  
 lan *Omnis homo est animal:*  
 tes. *Ergo nullus lapis est homo.*

Da *Omne animal est vivens;*  
 bi *Aliqua substantia est animal:*  
 tis. *Ergo aliquod vivens est substantia.*

Fa *Omne animal est substantia;*  
 pef *Nullus lapis est animal:*  
 mo. *Ergo aliqua substantia nō est lapis.*

Fri *Aliquis homo est musicus;*  
 fe *Nullus lapis est homo:*  
 fom. *Ergo aliquis musicus nō est lapis.*

## MODI SECUNDÆ FIGURÆ.

Cæ *Nulla iniustitia est bona;*  
 fa *Omnis virtus est bona:*  
 re. *Ergo nulla virtus est iniustitia.*

Ca *Omne honestum est expetibile;*  
 me *Nullum vitium est expetibile:*  
 stres. *Ergo nullum vitium est honestū.*

Fe *Nullus iniustus est bonus;*  
 sti *Aliquis homo est bonus:*  
 no. *Ergo aliquis homo nō est iniustus.*

Ba *Omne animal est vivens;*  
 ro *Aliqua substantia non est vivens:*  
 co. *Ergo aliqua substantia non est animal.*

## MODI TERTIÆ FIGURÆ.

Da *Omne animal est vivens;*  
 rap *Omne animal est substantia:*  
 ti. *Ergo aliqua substantia est vivens.*

Fe *Nulla arbor est sensitiva;*  
 lap *Omnis arbor est corpus.*  
 ton. *Ergo aliquod corpus nō est sensitivū.*

Di *Aliquod animal est vivens;*  
 fa *Omne animal est substantia:*  
 mis. *Ergo aliqua substantia est vivens.*

Da *Omne animal est vivens;*  
 ti *Aliquod animal est substantia:*  
 si. *Ergo aliqua substantia est vivens.*

- Bo. *Aliquod vivens non est animal;*  
 car. *Omne vivens est substantia:*  
 do. *Ergo aliqua substantia nō est animal.*
- Fe. *Nullum animal est lapis;*  
 ri. *Aliquod animal est substantia:*  
 son. *Ergo aliqua substantia non est lapis.*

Solent aliqui pro majori dilucidatione subungere exempla modorum quartæ Figuræ: sed ab eis superfluum existimavi, cum sint totidem, & eadem, quæ attulimus pro prima Figura, traslocatis tantum præmissis. Hoc tamen silendum non est, cum traslocatis præmissis major fiat minor, & minor major, necessam esse majus extremum fieri minus, & minus fieri majus: consequenterque modos, qui erant *Directi* in prima Figura esse *Indirectos* quartæ, *Directos* autem, qui erant *Indirecti*. Exemplum habes in *Barbara*, qui est primus inter modos *Directos* primæ Figuræ, sed traslocatis præmissis fit modus *Indirectus* quartæ, in hunc modum:

*Omnis homo est animal;*  
*Sed omne animal est vivens:*  
*Ergo omnis homo est vivens.*

Fit modus quartæ, quia medium verbum *Animal* est prædicatum in majori, & subiectum in minori. Fit verò *Indirectus*, quia majus extremum *Homo* est subiectum, minus extremum *Vivens* est prædicatum in conclusione.

Sit etiam exemplum in *Baralip*, modo *Indirecto* primæ Figuræ, qui mutatis solum præmissis, fit *Directus* quartæ ob eandem rationem, ut hic vides.

*Omnis Angelus est spiritus;*  
*Sed omnis spiritus est substantia:*  
*Ergo aliqua substantia est Angelus.*

*Determinare autem an præter novemdecim modos Syllogisticos, possint alii assignari; ex principiis, legibusque Syllogisticis pendet, quæ sequenti capite explicantur.*

## CAPUT III.

## De Principiis, ac Legibus Syllogisticis.

## PROPOSITIO XII.

*Qualiter in propositionibus distribuuntur termini, explicatur.*

**U**T ea, quæ in præsentibus pertractanda sunt, rectè percipiantur, maximè opus est prænoscere, qualiter termini in diversis propositionum speciebus distribuuntur. Recolendum autem est quod prop. 10. lib. 1. dixi, distributionem nempe terminorum, seu terminos distributivè sumi, nihil aliud esse quam accipi pro omnibus singulisque in eorumdem generali significatione contentis: ut cum dicimus, *Omnis circulus est rotundus*, quod de omnibus, & singulis circulis verificatur. Quo supposito.

Dico 1. In propositione universali affirmativa solum subiectum distribui, non verò prædicatum. Ratio est, quia nota universalitatis, quam hujusmodi propositiones ferunt, solum subiectum afficit, non verò prædicatum: atqui nota universalitatis solum distribuit terminum, quem afficit: solum ergo subiectum non verò prædicatum, in prædictis propositionibus distribuitur.

Patet hoc in hac propositione, *Omnis homo est animal*, in qua nota universalitatis *Omnis*, solum distribuit subiectum, scilicet *Homo*: & sensus est, cuicumque homini, nullo excepto, convenire esse animal: non tamen æque distribuitur vi particulæ *Omnis*, prædicatum *Animal*: non enim omne animal convenit homini: alias in huiusmodi propositionibus valeret conversio simplex: *Omnis homo est animal: ergo omne animal est homo*: contra leges conversionum, lib. 2. prop. 15. assignatas.

Dico 2. In propositione universalî negativa distribui tam subiectum, quam prædicatum: ut si dicamus, *Nullus homo est lapis*. Subiectum, scilicet *Homo*, distribuitur: nulli enim homini convenit esse lapidem. Similiter prædicatum *Lapis* distribuitur, quia nullus est etiam lapis, qui homini convenire possit: aliter enim verificaretur aliquem hominem esse lapidem, contra id quod asserit propositio: ob hanc causam in propositione universalî negativa valet conversio simplex: *Nullus homo est lapis: ergo nullus lapis est homo*.

▷ Dico 3. In propositione particulari negativa, non quidem distribui subiectum, ut per se patet; distribui tamen prædicatum vi negationis: ut in hac *Aliquis homo non est lapis*, licet enim subiectum, scilicet *Homo* vi vocis *Aliquis* non distribuat; cæterum prædicatum *Lapis* distribuitur, quia sumitur in tota sua latitudine pro omni esse lapidem: ita ut illi cuidam homini, nullatenus conveniat esse ullum lapidem; aliter non esset vera prædicta propositio.

Dico 4. In propositione particulari affirmativa, neque distribui subiectum, neque prædicatum; ut in hac, *Aliquis homo est animal*, non distribuitur subiectum *Homo*, quia non sumitur illa vox pro omnibus, & sin-

gulis hominibus: similiter nec distribuitur prædicatum *Animal*, quia non sumitur pro omni animali; aliter enim falsa esset propositio; non enim est verum aliquem hominem esse omne animal. His intellectis, facile erit agnoscere, quis terminus in Syllogismo, & qualiter distribuatur, quod ad consequentiæ valorem agnoscendum, non parum conducere, postea patebit.

## PROPOSITIO XIII.

*Principia, quibus Ars Syllogistica insitit explicantur.*

PRIMUM Artis Syllogisticæ principium est illud, quod Dialectici communiter vocant, *Dictum de omni*, & *dictum de nullo*. Quod quidem duas habet partes: Prima est, *Dictum de omni*, id est, *Quidquid universim affirmatur de aliquo subiecto distributive sumpto, affirmatur hoc ipso implicite de omnibus, & singulis, qua sub eo subiecto continentur*. In hacque prima huius principii parte fundatur communiter omnes Syllogismi, quorum conclusio est affirmativa. Ratio autem est, quia altera ex præmissis horum Syllogismorum affirmat prædicatum convenire subiecto universalî distributo; altera autem præmissa constituit sub illo subiecto universalî aliquod, vel aliqua particularia: unde necesse est huic, vel his particularibus illud idem prædicatum convenire.

*Exemplum.* Hic Syllogismus, *Omnis virtus est amabilis; sed humilitas est virtus: ergo humilitas est amabilis*, fundatur in principio, *Dictum de omni*: cum enim in majori affirmemus universaliter omnem virtutem esse amabilem, implicite affirmamus humilitatem, charitatem, &c. si virtutes sint, esse amabiles: dum igitur concedimus minorem asserentem humilitatem esse



virtutem, si simul negemus esse amabilem, certè negamus in conclusione, quod in majori concessimus; duasque contradictorias simul veras asserimus; nempe *Omnis virtus est amabilis*: & *aliqua virtus*, scilicet humilitas, *non est amabilis*; quod est impossibile: ergo ex vi præfati principii in Syllogismis affirmativis legitime concluditur.

Secunda ejusdem principii pars est, *Dictum de nullo*, id est, *Quidquid universim negatur de aliquo subiecto distributive sumpto, negatur hoc ipso implicite de omnibus, & singulis, quæ sub eo subiecto continentur*. In hoc autem fundantur omnes Syllogismi, quorum conclusio est negativa, ut patet in hoc Syllogismo: *Nullus homo est lapis; atqui Petrus est homo: ergo Petrus non est lapis*. Ubi apertum est in majori de omni homine negari esse lapidem, ideoque implicite id ipsum negari de Petro, Paulo, &c. Si ergo in minori asseratur Petrum esse unum ex hominibus, necesse est in conclusione inferri non esse lapidem; neque id posse negari quin asseratur aliquem hominem, scilicet Petrum, esse lapidem, quod non nisi ab admittente has duas contradictorias, *Nullus homo est lapis; aliquis homo est lapis*, dici potest.

Diximus autem subiectum in prædictis propositionibus sumi oportere distributive; si enim collective sumeretur, non teneret consequentia: non enim ex eo quod omnes Apostolos esse duodecim affirmemus; simulque asseramus Petrum, & Paulum esse Apostolos, licet nobis inferre Petrum, & Paulum esse duodecim, quia nempe majoris subiectum, nempe omnes Apostoli, non sumuntur distributive, sed collective. Syllogismi autem expositorii, qualis est iste: *Petrus est homo; sed Petrus est justus: ergo aliquis homo est justus*, non

fundantur in prædicto principio; sed in sequenti, quod omnibus Syllogismis est commune.

Secundum principium Syllogisticae artis est: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. Et ea quorum unam idemptificatur cum tertio, & alterum ab illo distinguitur, distinguuntur inter se*. Qualiter principium istud in rebus divinis locum habere possit, Theologis relinquimus discutiendum: In rebus tamen creatis est indefectibile. Ejus etiam duæ sunt partes, quas seorsim explicari oportet.

Prima pars asserit, res quæ cum eodem tertio idemptificantur, idemptificari etiam inter se: In qua fundantur omnes Syllogismi, quorum conclusio est affirmativa: horum enim scopus est ostendere in conclusione duo extrema esse idem inter se; ad quod concludendum utraque illa extrema in præmissis ostenduntur, cum uno eodemque tertio idemptificari, quod idcirco *Medius terminus* appellatur: quod patet in hoc Syllogismo: *Omne animal est sensitivum; sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensitivus*. Ubi apertè patet duo extrema, nempe *Homo*, & *Sensitivum* affirmari in præmissis esse idem cum medio termino *Animal*: ex quo legitime in conclusione colligitur esse idem inter se.

Secunda hujus principii pars asserit. Quoties è duabus rebus, altera idemptificatur cum tertio, à quo altera distinguitur, prædictas res distingui inter se: hocque principium deservit Syllogismis, quorum conclusio est negativa: horum enim scopus est ostendere in conclusione duo extrema non esse idem inter se: & idcirco ostendit in præmissis alterum illorum extremorum non esse idem cum quodam tertio, quod alteri extremo idemptificatur, ut patet in hoc Syllogismo: *Petrus non*

*est doctus; sed Petrus non est dives: ergo aliquis dives non est doctus;* cuius duo extrema sunt, *Divitem esse, & doctum esse:* divitem autem esse idem significatur cum Petro in præmissis, à quo distinguitur esse doctum: unde rectè infertur in conclusione aliquem divitem non esse doctum; seu aliquod subiectum reperiri quod dives sit, non verò doctus.

In prædictis itaque principiis Ars Syllogistica fundatur: atque ex eisdem sequuntur Syllogismorum regulæ, in eorumdem constructione omnino observandæ, quarum aliquæ omnibus Syllogismis sunt communes; aliæ verò singulis Syllogismorum figuris sunt peculiare, omnesque nunc singulatim expendo.

#### REGULÆ OMNIBUS SYLLOGISMIS COMMUNES.

1. *Syllogismus debet constare tribus terminis, & non pluribus.* Constat ex prop. 7.

2. *In Syllogismorum terminis eadem servantur proprietates Logicæ, quales sunt, Suppositio, Appellatio, & Ampliatio:* si enim eisdem termini varietur *Suppositio, Appellatio, aut Ampliatio,* non valet Syllogismus, ut patet in sequentibus: *Petrus est rationalis; sed rationale est nomen; ergo Petrus est nomen:* hic certè non concludit, quia variatur suppositio termini *Rationale* ex formali in materialem. Similiter non valet: *Omnis homo periiit in diluvio; sed Petrus est homo: ergo periiit in diluvio,* quia variatur ampliatio, ab uno tempore in aliud. Neque istud: *Petrus est magnus; sed Petrus est Philosophus: ergo Petrus est magnus Philosophus:* variatur enim appellatio termini *Magnus,* nam in majori appellat supra *Petrum;* & in conclusione supra *Philosophum.*

3. *Medius terminus in altera præmissarum debet semper distribui.* Distribui autem ut dixi prop. præced. est accipi pro omnibus, & singulis sub ejus significato contentis. Ratio autem est, quia si in neutra ex præmissis acciperetur medius terminus pro omnibus, & singulis sub ejus significato contentis; in altera præmissa summi posset pro aliquibus, & in alia pro aliis: unde duo media essent in Syllogismo; & consequenter quatuor termini contra regulam 1. Idè non valet hic Syllogismus: *Omnis homo est sensitivus; sed omnis leo est sensitivus: ergo aliquis leo est homo.* Ubi patet hominem esse aliquod sensitivum; leonem verò esse aliud sensitivum; & consequenter duplex adest terminus medius.

4. *Medius terminus ingredi nequit in conclusionem.* Constat ex prop. 7.

5. *Nullus terminus distribui debet in conclusione, qui non fuerit distributus in præmissis.* Hæc regula sic demonstratur: conclusio quæ plus continet, quam præmissa, non potest ex præmissis inferri: atqui conclusio quæ continet terminum distributum, quem non distributum continent præmissæ, plus continet quam præmissæ: ergo ex ipsis nequit inferri. Major est certa: minor autem patet: nam terminus distributus sumitur pro omnibus suis significatis; non distributus verò, tantum pro aliquibus: ideoque plus continet distributum, quam non distributus: ergo conclusio continens terminum distributum plus continet, quam præmissæ, quæ eundem terminum continent non distributum. Hinc tritum illud emanavit dictum. *A non distributo ad distributum non valet consequentia:* ut patet in hoc Syllogismo: *Omne animal est sensitivum; sed omne animal est substantia: ergo omnis substantia est* sen-

*sensitiva*; in quo non tenet consequentia, quia arguitur à termino *Substantia* non distributo in minori; ad ipsum distributum in conclusione, quæ esse oportebat: *ergo aliqua substantia est sensitiva.*

6. *Ex puris negativis nihil infertur. Demonstr.* Nam primo nequit inferri conclusio negativa: Si enim utraque præmissa est negativa, in utraque significatur medium distingui ab utroque extremo: sed ex hoc non sequitur prædicta extrema distingui inter se; ut patet in ratione marmoris, & lapidis, quæ distinguuntur ab homine, cum tamen non distinguantur, inter se: ergo ex præmissis negativis non sequitur conclusio negativa, ut patet in hoc Syllogismo: *Nullus homo est lapis; sed nullus marmor est homo: ergo nullus marmor est lapis.* Deinde multo minus inferri valet conclusio affirmativa: hæc enim necessario requirit utraque extrema affirmari in præmissis idemprædicata cum medio, ut in conclusione inferatur esse idem inter se: ergo ex puris negativis nihil infertur.

Sed objicies aliquos Syllogismos, qui ex puris negativis legitimè concludere videntur. Primus sit: *Qui non amat Christum, non amat Virginem; sed Judas non amat Christum: ergo Judas non amat Virginem.* Sed respondeo majorem esse affirmativam, est enim copulativa affirmans idemprædicatam subiecti non amantis Christum, cum illo qui non amat Virginem: ex quo fit reliquas etiam propositiones esse affirmativas, licet modo negativo sint prolata: est ergo ille Syllogismus idem ac iste: *Homo non amans Christum, est homo non amans Virginem; sed Judas est homo non amans Christum: ergo Judas est homo non amans Virginem;* qui est in Darii. Secundus Syllogismus est: *Si hoc non est illud, neque illud est istud; sed hoc nō est illud: ergo il-*

*lud non est istud.* Respondeo similiter majorem esse affirmativam, quemadmodum & aliæ, si qualiter ad Syllogismum requiritur, exponantur; erit enim: *Unum non esse aliud, est aliud non esse illud; sed hoc est unum quod non est aliud: ergo aliud est aliquid quod non est illud.*

7. *Ex puris particularibus nihil infertur. Demonstr.* Si medium in nulla præmissa distribuitur, non est bona consequentia: sed nisi saltem una ex præmissis sit universalis, medium in nulla distribuitur: ergo una saltem debet esse universalis. Major constat ex dictis in principiorum expositione. Minor etiam est certa; solum enim distribuitur in illa propositione, quæ notam fert universalitatis, & consequenter est universalis: hinc sequens Syllogismus non concludit: *Aliquis homo est albus; sed aliquis homo est niger: ergo aliquis niger est albus.* Dixi ex præmissis particularibus nihil inferri; ex præmissis enim singularibus optimè deducitur conclusio, ut patet in hoc Syllogismo: *Christus resurrexit; sed Filius B. Virginis est Christus: ergo Filius B. Virginis resurrexit.* Ratio verò discriminis est evidens; particulare enim, cum vagum sit ac indeterminatum, potest pro diversis supponi, & consequenter in una præmissa potest supponi pro aliquo, vel aliquibus, pro quibus in altera præmissa non supponitur: sic in supra posito exemplo, medium in majori supponitur pro aliquo homine, de quo asseritur esse album, diversum scilicet ab eo, de quo in minori asseritur esse nigrum; unde duplex est medium, ideoque consequentia valere non potest; secus verò est in singularibus: cum enim singulare sit unum tale determinatum; si duo extrema idemprædicentur cum illo in præmissis, rectè infertur in conclusione ea idemprædicari inter se.

8. *Si altera præmissarum sit particularis, conclusio nequit esse universalis. Demonstr.* Nam si in hoc casu conclusio esset universalis, plus in ea infereretur ex præmissis, quam possit ex ipsis inferri: ergo esset mala consequentia. Antec. prob. Nam una præmissa existente particulari, nequit in præmissis asseri totalis idemptitas extremorum cum medio, aut omnimoda illorum ab eodem medio distinctio: atqui conclusio universalis asserit, aut negat totalem idemptitatem extremorum inter se: ergo plus assereret, quam continetur in præmissis: ergo plus inferret, quam ex ipsis inferri potest: & consequenter non teneret consequentia, ut patet in hoc Syllogismo: *Omnis homo est rationalis; sed aliquis rationalis est albus: ergo omnis homo est albus.*

9. *Aliqua præmissarum existente negativa, conclusio nequit esse affirmativa. Demonstr.* Nam præmissa negativa dividit in præmissis unum extremum à medio: & consequenter implicite dividit illum ab alio extremo, quod cum illo medio idemptificatur: ergo conclusio nequit ex illis inferre extrema esse idem inter se; sed potius id negare tenetur.

Hic tandem advertendum est vulgare illud veluti proverbium, nempe *Conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum*, intelligendum quantum ad quantitatem, & qualitatem earum essentialem; id est, si altera præmissa sit particularis, conclusionem necessario fore particularem: & si altera præmissa sit negativa, conclusionem necessario fore negativam, ut constat ex dictis; non tamen intelligitur quoad veritatem, & falsitatem, potest enim altera, imò & utraque præmissa esse falsa; & conclusio vera, ut in hoc Syllogismo: *Omnis lapis est vivens; sed omnis homo est lapis: ergo omnis homo est vivens.* Sed de his iterum postea.

REGULÆ SPECIALES PRO SYLLOGISMIS,  
in prima Figura constitutis.

10. **I**N modis directis, si minor sit negativa, nihil sequitur. Ratio est, quia à termino non distributo ad distributum non valet consequentia, (Reg. 1.) sed si minori existente negativa, valeret in his Syllogismis consequentia, valeret à termino non distributo ad distributum: ergo, &c. Min. prob. Nam minori existente negativa, major necessario est affirmativa, (Reg. 6.) & conclusio negativa (Reg. 9.): atqui in prima figura major affirmativa non distribuit majus extremum; & conclusio negativa illud distribuit: ergo valeret consequentia à non distributo ad distributum. Min. prob. Nam propositio affirmativa, licet universalis sit, nunquam distribuit prædicatum (12.): atqui in modis directis primæ figuræ majus extremum est in majori prædicatum, & etiam in conclusione: ergo in modis directis primæ figuræ majus extremum non distribuitur in majori affirmativa: sed distribuitur in conclusione, utpote negativa: ergo in casu proposito argueretur à termino distributo ad non distributum, contra Regulam 5.

11. *In modis directis primæ figuræ, si major sit particularis, nihil sequitur. Demonstr.* Nam per Reg. 3. Medius terminus in altera præmissarum semper debet distribui: sed in his modis, majori existente particulari, in nulla præmissa distribueretur medius terminus: ergo nequit esse particularis. Min. prob. Nam in propositione particulari subiectum non distribuitur, nec in universalis affirmativa prædicatum (12.): atqui in modis directis primæ figuræ medius terminus est subiectum



ctum in majori, & prædicatum in minori: ergo majori existente particulari, medius terminus non distribuere-  
tur in majori, neque in minori affirmativa: cum hæc  
(Reg. 10.) nequeat esse negativa: ergo non distribuere-  
tur in præmissis; & consequenter non teneret conse-  
quentia, juxta Reg. 3.

REGULÆ SPECIALES PRO SYLLOGISMIS,  
in secunda Figura constitutis.

12. **I**N secunda figura ex utraque præmissa affirma-  
tiva nihil sequitur. Ratio est, quia in secunda  
figura medius terminus est in utraque præmissa prædi-  
catum: sed in affirmativis (12.) prædicatum non di-  
stribuitur: ergo si utraque præmissa esset affirmativa,  
medium in ipsis non distribuere-  
tur; & consequenter ar-  
gueretur à termino non distributo ad distributum, con-  
tra Reg. 3. Non ergo potest utraque præmissa esse affir-  
mativa; sed altera debet esse negativa. Hinc fit in se-  
cunda figura conclusionem semper fore negativam, jux-  
ta Reg. 9.

13. *Majori existente particulari, nihil sequitur.*  
Ratio est, quia majus extremum, scilicet subiectum, non  
distribuere-  
tur in majori: cumque (Reg. 12.) in hac fi-  
gura conclusio semper sit negativa, idem majus extre-  
mum in conclusione, ubi est prædicatum, distribuere-  
tur, contra Reg. 5.

REGULÆ SPECIALES PRO SYLLOGISMIS  
tertiæ Figure.

14. **M**inori existente negativa, nihil sequitur.  
Ratio est, quia minori existente negativa,

major necessario est affirmativa (Reg. 6.): ergo in hac  
prædicatum non distribuere-  
tur: atqui in tertia figura,  
prædicatum est majus extremum, cum medius terminus  
sit in utraque præmissa subiectum: ergo majus extre-  
mum non distribuere-  
tur in majori: atqui distribuere-  
tur in conclusione, quæ (Reg. 9.) est negativa: ergo majus  
extremum non distribuere-  
tur in majori; bene verò in  
conclusionem, contra Reg. 5. Non ergo in hac figura mi-  
nor esse potest negativa.

15. *In tertia figura Syllogismis, conclusio est neces-  
sario particularis.* Ratio est, quia in hac figura minor  
necessario est affirmativa (Reg. 14.): ergo hujus prædi-  
catum non distribuitur (12.): atqui in hac tertia figura  
prædicatum minoris est minus extremum: ergo minus  
extremum in minori non distribuitur: ergo neque di-  
stribui potest in conclusione (Reg. 5.); sed si conclusio  
esset universalis, distribuere-  
tur in ea minus extremum,  
est enim illius subiectum (12.): ergo in tertia figura  
conclusio nequit esse universalis.

PROPOSITIO XIV.

*Determinatur juxta prædictas regulas, quot esse pos-  
sint modi syllogistici cum directi, tum  
indirecti.*

**I**terum ad ea, quæ de modis syllogisticis dixi prop.  
10. revertimur, non quidem ut recoctam crambem  
exhibeamus, sed potius ut rationem ostendamus, cur  
communiter Dialectici novemdecim tantum Syllogis-  
morum modos assignent, quatuordecim nempe dire-  
ctos, & quinque indirectos, illos scilicet, quorum exem-  
pla in præfata propositione dedimus.

## MODI DIRECTI DETERMINANTUR:

**M**odorum syllogisticorum diversitas non aliunde petitur, quam ex varia diversaque combinatione propositionum, ex quibus Syllogismi coalescunt: cumque in hac combinatione quantitas, ac qualitas essentialis propositionum debeat attendi, (10.) sequitur quatuor propositionum genera ad ipsam necessario concurrere: sunt enim propositiones aut universales, aut particulares; & insuper quælibet, aut affirmans, aut negans: unde hæc quatuor propositionum genera combinanda necessario proveniunt, scilicet, *Universalis affirmans*, quam designat A; *Universalis negans*, quam significat E; *Particularis affirmans*, quam denotat I; & *Particularis negans*, signata per O, ut sæpius dixi. Ex his itaque quatuor generibus propositionum juxta regulam, quam adduxi in Comp. Mathem. tract. 2. lib. 6. prop. 23. facta combinatione, exurgunt combinationes, quas modos possumus appellare, prout in sequenti Tabula continentur.

(\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)  
 (\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)  
 (\*\*\*)

	4	5	5.4
3	4	3	4
3	3	3	3
4	1	4	5.1
4	1	5	5.1
4	1	4	1
			1
5	5.4	2	4.2
3	5	3.2	2
3	4	2	4.2
3	3	3.2	2
5.4	5.1	4.2	2.1
5	5.1	2	2.1
4	1	4.2	2.1
3	1	2	2.1

Ex his autem 64. modis, quamplurimi, ceu illegitimi excluduntur, quòd nempe alicui, aut aliquibus regulis syllogisticis, præc. prop. demonstratis, contraveniant, quæ quidem ad quinque sequentes revocantur.

1. Ex utraque præmissa negativa nihil infertur.
2. Ex utraque præmissa particulari nihil infertur.
3. Ex utraque præmissa affirmativa non sequitur negativa.
4. Si vel una præmissa sit negativa, non sequitur affirmativa.
5. Si vel una præmissa sit particularis, non sequitur universalis.

Modi autem qui excluduntur sunt, qui in supra posita Tabella, aliquem, seu aliquos numeros ad latus ferunt, qui denotat cui, vel quibus ex quinque præfatis regulis opponantur, illis enim opponuntur, quæ simili numero sunt designatæ. Ex.gr. Modus a a e, cujus lateri numerus 3. est affixus, excluditur ut illegitimus ob Regulam 3. ex quinque prædictis asserentem: *Ex affirmativis non sequi negativam*; & sic de reliquis.

Exclusis itaque juxta præfatas regulas combinationibus illegitimis, solummodo probantur sequentes, quæ nullum numerum ad latus habent.

a a a	e a e
a a i	e a o
a e e	e i o
a e o	i a i
a i i	i e o
a o o	o a o

Hæ itaque combinationes, cum juxta regulas generales Syllogismorum probatæ sint, alicui ex tribus figuris sunt adaptabiles; dum modo tamen peculiaribus illius figuræ regulis non prohibeantur. Uteriori itaque adhibita discussione, excluduntur, ac probantur pro qualibet figura modi syllogistici, ut sequitur.

## IN PRIMA FIGURA.

1. **M**inor nequit esse negativa: (10.) unde non potest esse e, nec o.  
 2. Major nequit esse particularis: (11.) unde non potest esse i, nec o.

Patet ergo ex duodecim combinationibus prædictis, solum posse primæ figuræ adaptari sex nempe, quæ majorem habent a, vel e; & minorem a, vel i.

## IN SECUNDA FIGURA.

1. **U**traque præmissa nequit esse affirmativa: (12.) nequit itaque esse altera a, & altera i.  
 2. Major nequit esse particularis: (13.) unde nequit esse i, neque o.  
 3. Conclusio semper est negativa, (9.) nempe e, aut o.

Juxta has regulas tantum sunt secundæ figuræ adaptabiles modi illi, quorum præmissæ sunt a e, a o, aut e i; & conclusio e, vel o.

## IN TERTIA FIGURA.

1. **M**inor negativa esse non potest: (14.) nequit itaque esse e, nec o.  
 2. Conclusio semper est particularis: (15.) sicque esse nequit a, nec e.

Unde huic figuræ tantum aptari possunt modi, quorum præmissæ sunt a a, a i, e a, e i, i a, o a; & conclusio i, vel o.

Hinc fit modos syllogisticos directè concludentes esse 24. ut dixi in Comp. Mathem. loco citato; sex videlicet in qualibet figura, casu quo quarta à prima distinguitur: suntque sequentes.

Fig. 1.	Fig. 2.	Fig. 3.	Fig. 4.
a a a	a e e	a a i	a a a
a a i	a e o	a i i	a a i
a i i	a o o	e a o	i a i
e a e	e a e	e i o	a e e
e a o	e a o	i a i	a e o
e i o	e i o	o a o	i e o

Præterea ex his 24. modis aliqui communiter rejiciuntur, sequentibus rationibus non contemnendis.

1. Quoties conclusio est universalis a, aut e, potest quidem inferri loco illius conclusio præfata conclusio universali subalterna: hoc est inferri potest i, pro a, cui subalternatur: & o, loco e, cujus est subalterna: verum enim verò cum id profus inutile sit, quòd nempe subalterna in subalternante universali contineatur, meritò à Dialecticis prædicti modi omittantur. Patet hoc in his Syllogismis: *Omnis homo est rationalis; sed omne rationale est vivens: ergo omnis homo est vivens*; etiamque ex eisdem præmissis inferitur: *Ergo aliquis homo est vivens*. Item: *Nullum animal est lapis; sed omnis homo est animal: ergo nullus homo est lapis*, similiterque deducitur: *Ergo aliquis homo non est lapis*. Verum isti modi, ut dixi, tamquam inutiles contemnuntur.

2. Similiter omittuntur omnes illi modi, qui sola permutatione præmissarum quo ad locum distinguuntur; hoc enim insufficienter judicatur; ut diversi statuantur modi. Unde sex illi rejiciuntur, qui quartæ figuræ adjudicabantur, juxta ea, quæ prop. 9. diximus. Ablatis itaque ex 24. modis directis supra assignatis, omnibus illis in quibus aliqua ex præfatis rationibus concurrat, tantummodo 14. pro modis directis retinentur, pro singulis nempe tribus figuris, ut sequitur.

Fig. 1.	Fig. 2.	Fig. 3.
Barbara.	Cæsare.	Darapti.
Celarent.	Camestres.	Felapto.
Darii.	Festino.	Disamis.
Ferio.	Baroco.	Datifi.
		Bocardo.
		Ferison.

Scio quidem duos in secunda figura reperiri modos; nempe *Cæsare*, & *Camestres*: totidemque in tertia, scilicet *Disamis*, & *Datifi*, qui solum præmissarum quoad locum permutatione distinguuntur: & consequenter ad ea quæ diximus, unus in qualibet ex dictis figuris omittendus erat: quemadmodum & in secunda rejiciuntur i e o, & o a o; & in tertia a e o, & i e o. Cur autem his quinque rejectis, illi duo retineantur peritioribus judicandum relinquo.

#### MODI INDIRECTI DETERMINANTUR.

Modi indirecti solummodo à directis in conclusione differunt, quod nempe conversa sit illius, quæ ex eisdem præmissis inferitur directè, ut diximus prop. 10. ut enim constat ex prop. 18. lib. 2. à convertibili ad conversam tenet consequentia; & consequenter à qualibet conclusione valet etiam consequentia ad indirectam, quæ est ejusdem conversa: ergo ex eisdem præmissis, ex quibus conclusio directa deducitur, deducitur etiam indirecta.

Hinc tot saltem possent admitti modi indirecti, quot esse possunt in qualibet figura modi directi: cumque ut supra vidimus, juxta regulas combinatorias, exurgere possint 24. modi directi, possent etiam assignari 24. indirecti: quævis enim conclusio directa converti potest aut simpliciter, aut per accidens, aut per contrapositionem, prout ejusdem natura requirit: ergo saltem tot esse poterunt modi indirecti, quot sunt directi: poterant itaque assignari 24. indirecti: ablatis tamen primo modis illis directis, qui sunt profus inutilis, reductisque ad 14. ut supra vidimus, tantum esse poterunt 14. modi indirecti: ex his præterea relegantur.



tur modi indirecti secundæ, ac tertiæ figuræ, quod nullius censeantur utilitatis, quique decem sunt, tot scilicet, quot directi, remanent itaque tantum quatuor modi indirecti, quibus, ut statim dicam, additur quintus: sunt ergo solummodo quinque modi indirecti, ad primam pertinentes figuram communiter admisi, nempe *Baralip, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Frisefo*.

Ex his quinque modis *Baralip*, est indirectus modi *Barbara*, conversa nempe conclusione A per accidens in I. *Celantes* est indirectus correspondens ipsi *Celarent*; quemadmodum & *Dabitis* ipsi *Darii* correspondet; conversis scilicet eorumdem conclusionibus simpliciter: primi quidem E in E; secundi verò I in I. In his autem tribus modis directis eisdem præmissis infertur conclusio directa, ac ejusdem conversa, seu indirecta; quod nempe teneat consequentia à conclusione directa ad ejus conversam per accidens, & simpliciter: ob eandem item rationem modo directo *Ferio* responderet indirectus e i o, si illius conclusio converteretur per contrapositionem, prout nempe converti debuerat; est enim particularis negativa: cæterum cum hujusmodi conversio parum familiaris sit, idcirco loco illius adinventus est modus indirectus *Frisefo*, cujus conclusio particularis negativa indirectorum more ex præmissis deducitur: ita nempe quod majus extremum sit in dicta conclusione subiectum, & minus extremum prædicatum, ut patet in hoc Syllogismo.

*Fri* Alquis homo est rationalis;

*se* Nullus lapis est homo:

*fo* Ergo aliquod rationale non est lapis.

Qui quidem Syllogismus legitimus est, fundaturque in secunda parte principii secundi, prop. 13. expositi.

Demum quatuor prædictis modis indirectis additus

est

est quintus, nempe *Fapesmo*, qui in eo tantum à *Frisefo* differt, quod nempe loco majoris, quæ particularis est affirmans, ac subalterna universali affirmativæ, hæc ipsa subalternans substituitur: indubium enim est illationem à particulari subalternata deductam, multo melius ex universali subalternante deduci: rectè itaque hæc illius loco est supposita, quod patet in hoc Syllogismo.

*Fa* Omnis homo est rationalis;

*pef* Nullus lapis est homo:

*mo* Ergo aliquod rationale non est lapis.

Vides itaque rationem cur tantum quinque illi modi indirecti ad primam figuram pertinentes, nempe *Baralip, Celantes, Dabitis, Fapesmo, & Frisefo* admittantur: & consequenter novemdecim esse modos syllogisticos, quatuordecim nempe directi, & quinque indirecti.

## CAPUT IV.

*Reliqua ad artem syllogisticam spectantia exponuntur.*

**P**RÆTER ea quæ præcedenti cap. explicuimus, alia sunt in præsentī exponenda, quæ ad Syllogisticam artem perfectè intelligendam maxime conducunt: qualia sunt peculiare quædam consequentiæ leges: Ars inveniendi medium; locique dialectici communes, è quibus, ceu promptuariis, expedite eruantur argumenta: quæ omnia sequentibus propositionibus breviter comprehendo.



K 2

PRO-

## PROPOSITIO XV.

*Consequentia leges exponuntur.*

**C**onsequentia, ut alibi diximus, est dependentia illa vi cuius consequens ab antecedente deducitur. Est autem duplex, *Materialis* scilicet, & *Formalis*. Consequentia *Formalis* est, quæ in ipsa forma, seu dispositione argumentationis consistit, ita scilicet, ut illa dispositione persistente, teneat in qualibet materia consequentia: ut *Omnis homo est animal; sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Consequentia *Materialis* est, quæ solum valet ratione materiæ; non verò ratione dispositionis, seu artificii, ita ut in alia materia, licet servetur eadem dispositio, non persistat: ut, *Homo est rationalis: ergo omnis homo est rationalis.* Ubi valet quidem consequentia, quia versatur in materia necessaria, in qua licet arguere ab indefinitis ad universalia: ceterum eadem arguendi forma jam non tenet, si applicatur materiæ contingenti: ut, *Homo currit: ergo omnis homo currit.* Ut consequentia autem legitima sit, præter regulas syllogisticas in præcedentibus expositas, sequentes sunt etiam observandæ, quæ bonæ consequentiæ leges appellantur.

1. *Ex verò semper verum: falsum, non nisi ex falso: ex falso tamen aliquando sequitur verum.* Dico 1. Ex verò non posse inferri, nisi verum. Ratio est evidens, nam consequens inferri ex antecedenti in eo stat, ut nequeat antecedens esse verum, quin consequens sit etiam verum: ergo si antecedens sit verum, nequit consequens esse falsum. Dico 2. Consequens falsum non nisi ex antecedenti falso posse deduci. Sequitur ex nuperrius dictis: nam consequens falsum nequit deduci ex antecedenti verò: ergo solum ex falso. Dico 3. Ex

antecedenti falso posse aliquando deduci consequens verum: idque vi dispositionis syllogisticæ. Ratio autem est, nam duæ perfectiones realiter inter se idemptificatæ, possunt asseri in præmissis idemptificari cum aliquo medio, cum quo minime idemptificantur, quo fit ut in conclusione inferantur idemptificari inter se, ut patet in hoc Syllogismo: *Omnis lapis est animal; sed omnis homo est lapis: ergo omnis homo est animal.* Cujus præmissæ falsæ sunt, falso enim affirmant idemptitatem animalis, & hominis cum lapide; inferitur tamen conclusio vera, quia verè homo, & animal idemptificantur inter se.

2. *Quidquid sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti.* Patet evidenter in hoc exemplo: *Petrus est homo: ergo est vivens.* Quoniam verò ex eo quod vivens sit, sequitur esse substantiam; etiam ex eo quod homo sit, sequitur esse substantiam; ideoque valet *Petrus est homo: ergo est substantia.*

3. *Quod repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti.* Ratio est, quia quod repugnat consequenti, falsificat consequens: sed quod falsificat consequens, falsificat antecedens: falsum enim non nisi ex antecedenti falso potest deduci, juxta Reg. 1. ergo quod repugnat consequenti, falsificat antecedens: sed quod falsificat antecedens, illi repugnat: ergo quod repugnat consequenti, repugnat antecedenti. Ideò *Ab opposito consequentis valet consequentia ad oppositum antecedentis.* Exem. gr. Quia valet consequentia: *Petrus est homo: ergo Petrus est animal;* etiam valet: *Petrus non est animal: ergo non est homo.*



## PROPOSITIO XVI. PROBLEMA.

*Methodus pro medio probativo reperiuudo.*

**N**imium Auctores aliqui insudant in assignanda artificiosa methodo, qua medium expedite reperiant, quo data quęcumque Thesis dialectice probetur: Quę tamen ad usque presens tempus assignatę sunt, ferme inanes esse, satis testatur experientia: compertum est enim rudiores mentes nihil ipsis juvari, quę verò subtiliores sunt, citius naturali acumine ad hunc scopum pervenire, quam populari illa artis ambagine. Est itaque inveniendi medii optima methodus assiduum studium, frequens ingenii in dissertationibus, & argumentis exercitatio: ac sedula ad rerum essentias, causas, proprietates, & effectus animi intentio: sequentem tamen exhibeo, quę rudior licet sit; tyronibus tamen ad argumenta facilius paranda auxiliatur.

Statuatur super chartam probanda propositio illa, quę contradictorie opponitur ei, quam adversarius defendit. Dicat ex.gr. Adversarius virtutem non esse amandam: scribat itaque in charta argumentaturus hanc propositionem: *Virtus est amanda.* Deinde apud se inquirat rationem, qua virtus amanda est, idque reperiet discurrens, aut per virtutis definitionem, aut per ejusdem proprietates, ac effectus, sicque reperiet esse amandam, *quia est bona*, subscribat itaque hanc propositionem priori. Deinde eodem modo inquirat, cur sit bona, reperietque, *quia est utilis*, quam propositionem præcedentibus subscribet: similiter inveniet esse utilem, *quia est via ad salutem*, quod prioribus subscribet; habebitque media probativa ad convincendum assumptum, hoc ordine disposita.

1. Vir-

1. *Virtus est amanda,*
2. *Quia virtus est bona,*
3. *Quia virtus est utilis,*
4. *Quia est medium ad salutem.*

Ex hac sic disposita mediorum serie, facillimè suo ordine syllogismi conficiuntur: ex prima enim, & secunda propositione formabitur prior: ex secunda, & tertia, secundus: ex tertia tandem, & quarta, tertius, &c. hoc modo: primi nempe syllogismi conclusio semper sit prima propositio; minor, secunda; major verò ex utraque conficiatur; quia verò prima propositio est universalis affirmativa, syllogismus formabitur in *Barbara*, sumendo nempe medium inventum, scilicet *bonum*, eumque statuendo subiectum in majori: prædicatum autem conclusionis probandę, scilicet *amandum*, fiatetur in eadem majori pro prædicato, eritque Syllogismus.

*Omne bonum est amandum,*  
*Omnis virtus est bona:*  
*Ergo omnis virtus est amanda.*

Deinde ad probationem minoris similiter procedes, assumens nempe medium ex propositione tertia, quę quidem erit minor; conclusio verò secunda: ex utraque autem majorem conficies; si nempe è tertia sumas medium, scilicet *utilis*, ut illud jungas cum majori extremo, scilicet *bonum*: eritque secundus Syllogismus.

*Omne utile est bonum,*  
*Omnis virtus est utilis:*  
*Ergo omnis virtus est bona.*

Eodem modo tertium Syllogismum conficies, ut probes præcedentis minore per quartam propositionem, diceisque.

Quod

TRACTATUS I. DE LOGICA:  
*Quod est via ad salutem est utile;*  
*Sed virtus est via ad salutem:*  
*Ergo virtus est utilis.*

Eodem artificio argumentum ulterius produces, exco-  
 gitando semper aliquod medium ad propositionem il-  
 lam probandam, quam tibi negandam prævideas: Id-  
 que sufficit ut totum pateat artificium, sine quo tamen  
 mediocre saltim ingenium facilius media probativa re-  
 periet, & integrum argumentum disponet: ad id autem  
 non modicum conducit locorum dialecticorum cogni-  
 tio, quam sequens propositio exhibet.

PROPOSITIO XVII.

*Explicantur loci dialectici.*

**L**oci *dialectici* sunt quædam veluti promptuaria, &  
 quibus ad Thefes probandas argumenta desumi-  
 mus: de his latè satis agit Aristoteles in *Topicis*. Loci  
 itaque alii sunt *intrinseci*, alii *extrinseci*. Loci *intri-*  
*seci* ea argumenta continent, quæ in rerum essentia fun-  
 dantur, aut in iis, quæ eidem intrinsecus adherent. Lo-  
 ci vero *extrinseci* sunt, qui ea continent argumenta,  
 quæ in his, quæ rebus extrinsecus adjacent stabiliuntur  
 præcipui sunt sequentes.

LOCI INTRINSECI.

**P**rimus locus intrinsecus est *Definitio*, in qua se-  
 quentes Maxime continentur.

1. Quidquid convenit definitioni, convenit defi-  
 nito.
2. Quidquid non convenit definitioni, non convenit  
 definito.
3. Cui tribuitur definitio, tribuitur definitam.
4. Cui non tribuitur definitio, non tribuitur defini-  
 tum.

Se-

Secundus locus intrinsecus est *Genus*, ex quo maxi-  
 mæ sequentes possunt deduci.

1. Affirmato genere, non est necesse affirmare hanc  
 speciem præ alia: unde per genus non probatur species:  
 ideoque non valet consequentia; *Est figura: ergo est*  
*circulus.*

2. Negato genere, negantur omnes species: ideoque  
 valet; *Non est figura: ergo non est circulus.*

3. Per speciem probatur genus: ut, *Est justitia: er-  
 go est virtus.*

4. Ex negatione speciei, non sequitur negatio gene-  
 ris: ut, *Non est justitia: ergo non est virtus:* potest  
 enim esse alia virtus, diversa à justitia. Hinc ut negetur  
 genus, necesse est negari omnes species.

Tertius locus intrinsecus est *Totum integrale*: cu-  
 jus maximæ sunt.

1. Posito toto integrali, ponuntur partes.
2. Sublata quacumque parte integrante, tollitur to-  
 tum.

Quartus locus intrinsecus est *Causa*: ejusque maxi-  
 mæ sunt.

1. Si causa est potens, possibilibus est effectus.
2. Si causa actualiter operatur, effectus est actu.
3. Si effectus est possibilibus, possibilibus est etiam causa.
4. Ex effectu colligitur causa.

LOCI EXTRINSECI.

**P**rimus locus extrinsecus est *Similium*. Ex quo hæ  
 maxime colliguntur.

1. Quod in uno similibus valet, valet & in cæteris.
  2. Quod in uno similibus non valet, nec in cæteris.
- Secundus locus extrinsecus est *Oppositorum*. Cujus  
 hæ sunt maximæ.

1. De



1. De quocumque affirmatur alterum oppositorum, negatur reliquum : ut, *Petrus est albus : ergo non est niger.*

2. Ex opposito consequentis inferitur oppositum antecedentis, ut alibi diximus. Aliâ loca omitto, quôd aut Dialectica non sint, aut inutilia.

PROPOSITIO XVIII. PROBLEMA.

*Syllogismos imperfectos ad perfectos revocare.*

**S**yllogismi perfecti dicuntur ii, quorum consequentia ita clara est, ut solo naturæ lumine innotescat: tales sunt Syllogismi illi, qui ad quatuor modos directos primæ figuræ pertinent : ceteri verò omnes imperfecti dicuntur ; licet enim eorumdem conclusio bona sit ; non tamen ita perspicua est, quin speciali egeat inspectione, ut ne quis concessis præmissis, negare audeat consequentiam : ut itaque, si id contigerit, ostendat Dialecticus consequentiæ negatæ bonitatem ; artificiosus quidam modus excogitatus est, quo prædicti Syllogismi imperfecti, ad aliquem ex præfatis quatuor perfectis reducantur : quorum nempe modi sunt *Barbara, Celarent, Darii, & Ferio.*

Duplex itaque communiter assignatur reductio. Prima dicitur *Ostensiva* ; secunda verò *Reprehensiva*, seu *per impossibile*. Et quidem primam exponemus, quam scitu dignam judicamus ; secundam verò cum aliis Auctorebus mitâ facimus, quod nempe perobscura sit, raroque, ac ferè numquam in usum veniat. Reductio itaque ostensiva in eo stat, ut Syllogismus imperfectus taliter ad aliquem ex prædictis quatuor modis perfectis reducatur, ut eadem conclusio in eo inferatur, quæ fuerat conclusio Syllogismi imperfecti, aut saltem ejus conversa : ex qua tandem sua convertibilis deducatur. En artificium.

No-

Notentur primo hæc quatuor consonantes B, C, D, F, è quibus illa novemdecim vocabula incipiunt, quibus novemdecim modi syllogistici supra assignati exprimuntur. Nam modus quilibet imperfectus ad modum illum perfectum reducendus est, qui ab eadem consonante incipit. Observandæ præterea sunt aliæ quatuor consonantes, quæ in medio, aut fine cujusque vocabuli ex prædictis reperiuntur : suntque S, P, M, C, quarum hæc est significatio. S, ostendit propositionem illam, quam designat vocalis ante ipsam S, constituta, convertendam esse *simpliciter*. P, denotat prædictam propositionem convertendam esse *per accidens*. M, ostendit mutandas esse, seu loco permutandas præmissas. C, tandem significat modos illos, in quibus reperitur, nempe *Bocardo, & Baroco* non posse ostensivè reduci, sed tantum reprehensivè, sive per impossibile ; quæ omnia sequentibus versibus continentur.

*S, vult simpliciter verti ; P, verò per accid.*

*M, vult transponi ; C, per impossibile duci.*

His intellectis, facillimè fit reductio ostensiva, ut patet in exemplo. Sit sequens Syllogismus in *Fapesmo*.

Fa Omne animal est substantia,

pef Nullus lapis est animal:

mo. Ergo aliqua substantia non est lapis.

Hic itaque Syllogismus juxta regulam prædictam revocandus est ad *Ferio*, quia nempe est in *Fapesmo* incipiente ab F : & quia post primam vocalem sequitur P, palam fit propositionem majorem convertendam esse *per accidens* : manifestum etiam est minorem esse convertendam *simpliciter*, quia nempe post secundam vocalem sequitur S : quia tandem in *Fapesmo* etiam occurrit M, liquet transponendas esse præmissas : hocque præfuto, prædictus Syllogismus, qui erat in *Fapesmo*,

re-

reductus erit ad sequentem in *Ferio*.

Fe *Nullum animal est lapis,*

ri *Aliqua substantia est animal:*

o. *Ergo aliqua substantia non est lapis.*

Diximus supra Syllogismos in *Baroco* non posse ostensivè reduci. Ratio est, quia si major convertatur *per accidens*, qualiter tantum converti potest, resultat Syllogismus ex folis particularibus coalescens, qui ut illegitimus rejectus est, Reg. 6. Si verò præmissæ transponantur, major fit particularis contra Reg. 11. Similiter nec reduci potest ostensivè *Bocardo*: nam si sola præmissarum conversio fiat, utraque fit particularis; si verò ad earum transmutationem recurratur, minor oritur negativa, qualiter juxta Reg. 14. nulla esse potest in prima figura. Sed de his satis.

## CAPUT V.

### De aliquibus speciebus Syllogismorum in particulari.

#### PROPOSITIO XIX.

*Syllogismi in varias species dividuntur.*

1. **D**ividitur Syllogismus in *Universalem*, cujus nempe conclusio est universalis; & *Particularem*, cujus conclusio est particularis; & *Singularem*, seu *Expositorium*, cujus scilicet medius terminus est singularis: ut, *Petrus est albus; sed Petrus est homo; ergo aliquis homo est albus.* 2. Dividitur in *Affirmativum*, cujus nempe conclusio est affirmativa; & *Negativum*, cujus conclusio est negativa. 3. Dividitur in *Simplicem*, & *Compositum*: *Simplex* is dicitur, cujus

tres

tres sunt propositiones, eaque simplices; *Compositus* verò est, cujus una saltim præmissa est composita, seu hypothetica. Hic insuper dividitur in *Copulativum*, *Disjunctivum*, & *Conditionalem*, juxta naturam nempe propositionis compositæ in ipso repertæ, ut sequenti propositione patebit, ubi eorum forma, & dispositio explicatur.

#### PROPOSITIO XX.

*Syllogismorum compositorum dispositio, & energia explicatur.*

**P**rimus Syllogismus compositus est *Copulativus*, illè scilicet cujus major propositio est copulativa: hujus Syllogismi forma, & energia in eo stat, quod nempe major propositio simultatem Cathegoricarum, seu simplicium eam integrantium neget, ut scilicet qualibet ex illis asserta in minori, tollatur, seu removeatur altera in conclusione: unde conclusio semper est negativa, ut patet in hoc Syllogismo.

<i>Nemo servit Deo, &amp; mammona.</i>	
<i>Avarus servit mammona:</i>	<i>Misericors servit Deo:</i>
<i>Ergo avarus non servit Deo.</i>	<i>Ergo non servit mammona.</i>

Advertendum autem omnino est, minime sufficere minorem negare aliquam ex Cathegoricis majoris, ut inde inferatur altera in conclusione: ut patet in Syllogismo sequenti, in quo neutra conclusio tenet.

<i>Nemo servit Deo, &amp; mammona.</i>	
<i>Sed prodigus non servit mammona:</i>	<i>Sed prodigus non servit Deo:</i>
<i>Ergo servit Deo.</i>	<i>Ergo servit mammona.</i>

Se-

Secundus Syllogismus compositus est *Disjunctivus* & est ille, cujus major propositio est disjunctiva: ejus autem forma, rectaque dispositio in eo consistit, quod nempe una pars disjuncti in majore propositi, affirmatur determinate in minori; ut altera pars, legitima consequentia, negetur in conclusione: aut etiam una disjuncti prædicti pars negetur in minori, ut altera legitime affirmetur in conclusione: ut patet in his exemplis.

*Aut dies est, aut nox est.*

*Sed dies est:*

*Sed nox est:*

*Ergo non est nox.*

*Ergo non est dies.*

*Aut dies est, aut nox est.*

*Sed non est dies:*

*Sed non est nox:*

*Ergo est nox.*

*Ergo est dies.*

Tertius Syllogismus compositus est *Conditionalis* estque ille, cujus major propositio est conditionalis. Hæc autem propositio duas continet partes: illa cui præponitur particula *si*, appellatur *Antecedens*; alia verò dicitur *Consequens*. Dupliciter autem tantum potest Syllogismus conditionalis efformari. 1. Cum affirmato antecedenti in minori, affirmatur consequens in conclusione: ut, *Si est circulus, est figura; atqui est circulus: ergo est figura.* 2. Cum negato consequente in minori, negatur antecedens in conclusione: ut, *Si circulus est, est figura; sed non est figura: ergo non est circulus.*

Consulto dixi duobus tantum prædictis modis concludere Syllogismum conditionalem; si enim aliter disponatur, mala erit consequentia: ut si negato antecedenti in minori, velimus necessario concludere negationem consequentis, ut patet in hoc Syllogismo: *Si est*

cir-

*circulus, est figura; atqui non est circulus: ergo non est figura.* Ubi non tenet consequentia: idque necessario eveniet, quoties consequens latius patebit, quam antecedens. Similiter non tenet in hujusmodi Syllogismis consequentia, quoties in minori affirmatur consequens, & inde in conclusione deduci præsumitur antecedens, ut patet in Syllogismo sequenti: *Si est circulus, est figura; sed est figura: ergo est circulus.* Licet enim ex eo quod aliquid circulus sit, inferatur esse figuram; non verò è contra: potest enim esse Triangulum, Quadratum, &c.

Adverto tandem petiores Logicos usum Syllogismorum conditionalium in dissertationibus reputare abusum: & merito, certum est enim melius, ac clarius contexi argumentum absolutis Syllogismis, quam conditionalibus; præcipue cum facillimum sit hos in absolutos convertere; ut in hoc exemplo: *Si rationale est, vivens est; atqui homo est rationalis: ergo est vivens:* hunc autem facies absolutum, si dicas: *Omne rationale est vivens; sed homo est rationalis: ergo est vivens.*

#### PROPOSITIO XXI.

*Syllogismus dividitur in alias species.*

**D**ividitur insuper Syllogismus in *Apodicticum*, seu *Demonstrativum*: *Topicum*, seu *Probabilem*: & in *Sophisticum*, seu *Fallacem*. Syllogismus *Demonstrativus*, qui & *Demonstratio* appellatur, est *Syllogismus generans scientiam*: aut etiam est ille, *cujus præmissæ sunt evidenter veræ*: talis est iste: *Omne corpus, quod lumen impedit, est opacum; atqui Luna est corpus quod lumen impedit, ut patet in eclipsibus Solis: ergo Luna est corpus opacum.* Syllogismus *Topicus*, opinativus, seu *probabilis est, qui opinionem*

tan-

*tantum efficit*; aut etiam est *Syllogismus*, *cujus una saltim præmissa est tantum probabilis, seu opinativa.* Illud autem *probabile, seu opinativum* dicimus, quòd nobis quidem verosimile apparet, ideoque verum esse judicamus, cum formidine tamen oppositi, eaque sufficienti, ut præfatum judicium non sit omninò firmum, ac certum. Exemplum sit sequens Syllogismus: *Omnis mater diligit suum filium; sed Berta est mater: ergo diligit suum filium.* Ubi patet majorem certam non esse, esse tamen verosimilem: & similiter conclusionem; ideoque est Syllogismus Topicus, seu probabilis.

Syllogismus *Sophisticus*, qui & *Sophisma* appellatur, est qui errorem parit in intellectu, ideoque merito *fallax* nominatur, solumque apparenter est Syllogismus: talis est iste: *Omnis canis latrat; sed fulgentissimum in firmamento Sydus est canis: ergo hoc Sydus latrat.* Cum itaque *Sophisma* solum sit Syllogismus apparens, quo nempe *Sophista* ludere, & illudere solent, monitum esse volo Logicum, ut Regulas huc usque expositas probe calleat, his enim quascumque *Sophistarum* cabillationes facillimè eludet, nec opus esse judico in hoc amplius immorari. Syllogismi autem tum demonstrativi, tum Topici, seu probabiles iisdem regulis diriguntur, quas supra jam demonstravimus: cetera verò, quæ circa hos Syllogismos pertractanda supersunt, quæve sunt Logico digna, sequentibus capitibus seorsim exponam, præmissis tamen aliquibus definitionibus.

## DEFINITIONES.

I. **A**ssensus est actus intellectus aliquid affirmans de obiecto; *Dissensus* verò est actus intellectus aliquid de obiecto negans. Assensus, quemadmodum & dissensus potest esse verus, aut falsus; certus, aut

aut probabilis; clarus, aut obscurus.

2. *Assensus, aut dissensus verus* est, qui cum obiecto conformatur, seu cujus obiectum ita se habet sicut per actum exprimitur. *Assensus, aut dissensus falsus* est, qui cum obiecto non conformatur, seu cujus obiectum aliter se habet, quam per actum exprimitur: unde *veritas formalis* est conformitas prædicta actus cum obiecto, falsitas verò est ejusdem cum obiecto disformitas.

3. *Judicium certum* est, quod firmiter, ac constanter adhæret obiecto, absque ulla prorsus hestitatione, aut falsitatis formidine: hæc autem firma, fixa, & constans mentis adhæsiò ad id quod judicat, est certitudo judicii, seu potius mentis immobiliter assentientis, aut dissentientis, quæ & passim. *Certitudo subiecti* solet appellari, ut distinguatur à certitudine, quam vocant *Obiecti*, quæ consistit in vi, ac pondere rationum validissimè impellentium ad assensum.

4. Hæc mentis, seu subiecti certitudo potest esse aut *Moralis, aut Physica, aut Metaphysica.* Certitudo *Moralis* est adhæsiò quædam mentis ad obiectum, qua judicat rem illam juxta prudentem judicium non aliter se habere posse, quam per actum attingitur. Sic certi moraliter sumus esse Constantinopolim, quia sic tot sæculis homines prudentes contestantur. *Certitudo Physica* est adhæsiò intellectus ad obiectum ita firma, ut judicet rem naturaliter non posse aliter se habere, quam per actum exprimitur. Sic cum Petram currentem aspiciamus de ipsius cursu sumus physicè certi, quia licet miraculose possit contingere, ut nobis currens appareat, cum tamen quiescat; cæterum id naturaliter evenire non potest. *Certitudo Metaphysica* est ita constans, firmaque mentis ad obiectum adhæsiò, ut absolutè

Comp. Phil. Tom. I. L ju-



judicet impossibile esse, ut aliter se habeat, ac per actum exprimitur: talis est cognitio dicens, *Totum esse majus sua parte*, & alia similes.

5. *Judicium probabile, seu opinativum*: quod *Opinio* simul appellatur, est illud, quo intellectus aliquid de obiecto judicat, non firmiter, ac constanter; sed cum formidine oppositi: unde quo major est comitans illa de opposito formido, eo minor est probabilitas assensus, seu judicii; quo verò minor ea fuerit, eo est probabilitas judicii major. De quibus alibi.

6. *Judicium, seu cognitio evidens* est, quæ ita clarè, ac perspicuè obiecti veritatem intuetur, quemadmodum obiectum meridiana luce illustratum oculis cernitur: unde ita mens evidenti obiecto assentitur, ut nullam assentiendo patiatur difficultatis caliginem. Obiectum autem etiam appellatur evidens, quod nempe veluti nitida quadam luce refulgens, ita intellectum perfundit, & occupat, ut ad assensum inducat, atque ab eo jam præstito nullatenus valeat resillire. Tale est judicium quo assentimur huic veritati: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*; aut huic: *Totum est majus sua parte*. Hinc colligitur judicium evidens semper esse certum; licet non eo quod certus sit, debeat esse evidens; potest enim esse certum, & obscurum: ut patet in actibus fidei divine, qui cum in infallibili Dei revelantis auctoritate fundentur, certissimi sunt; licet obscuri, quòd nempe naturale nostri intellectus lumen superexcedant.

## CAPUT VI.

### De Syllogismo Topico, seu Opinativo.

**S**YLLOGISMUS Topicus, seu Opinativus, ut dixi, est ille, cujus conclusio tantum est probabilis: & consequenter non scientiam, sed opinionem ingenerat: licet autem ejusdem artificium idem sit, quod in ceteris Syllogismis; aliqua sunt tamen circa ejus conclusionem, & præmissas advertenda, quæ sequentibus propositionibus continentur.

### PROPOSITIO XXII.

*Ex una præmissa certa, & altera probabili, conclusio deducitur solum probabilis.*

**D***Emonstr.* Quoad certitudinem, aut probabilitatem conclusio sequitur debiliorem partem præmissarum: sed conclusio probabilis debilior est certa: ergo conclusio in hoc casu erit tantum probabilis. Major prob. Licet enim præmissa certa certo jungat unum extremum cum medio; alia verò quæ solum probabilis est, non certo, sed tantum probabiliter unit aliud extremum cum prædicto medio: ergo conclusio tantummodo poterit inferre illa extrema probabiliter unita inter se. Hoc autem ita intelligendum est, ut prædicto modo contingat ratione illius medii: certum est enim posse eandem conclusionem certo deduci per aliud medium, cujus cum extremis connexio sit certa in præmissis.

### PROPOSITIO XXIII.

*Ex utraque præmissa probabili, solum deduci potest conclusio probabilis.*

**C**onstat ex præcedenti. Si enim unam præmissam esse certam non sufficit ad conclusionis certitudinem, multo minus poterit conclusio certa deduci, si nulla sit præmissa certa; sed utraque sit tantum probabilis.

## PROPOSITIO XXIV.

*Ut conclusio ex duplici præmissa probabili deducta, sit probabilis necesse est præmissas esse com-  
probabiles.*

**P**atet hoc in Syllogismo sequenti: *Deus prædeterminat voluntatem humanam*, ut valde probabiliter defendit Schola Thomistica: *Sed hæc prædeterminatio tollit libertatem*, ut ab Schola Antithomistica probabiliter defenditur: *Ergo probabile est Deum tollere libertatem humanam*: est pessima consequentia. Licet enim præmissa seorsim sumptæ sint probabiles, simul tamen non sunt comprobabiles: prima enim asserit Deum prædeterminare voluntatem absque libertatis læsione: secunda verò ait id fieri minimè posse absque libertatis læsione; ideoque prædeterminationem physicam non esse admittendam: ubi apertè patet præmissas nullatenus unire extrema cum medio: ideoque nec probabiliter possunt inferri in conclusione unita inter se.

## PROPOSITIO XXV.

*Conclusio quæ ex utraque præmissa probabili inferitur, minus probabilis est qualibet præmissa seorsim accepta.*

**D**emonstr. Conclusio quæ ex duabus præmissis probabilibus deducitur, potest à veritate deficere ex duplici saltim capite: cum enim ejusdem veritas à veritate præmissarum dependeat, potest eidem deficere, vel eo quòd major falsa sit, licet vera fuerit minor; aut etiam eo quòd falsa sit minor, licet vera fuerit major: ergo prædicta conclusio magis exposita est falsitati, quam quælibet ex præmissis: ergo minus probabilis evadit, quam sit quælibet præmissa seorsim accepta:

eget

eget enim utriusque verificatione, ut ipsa sit vera. Confirmatur. Nam eisdem rationibus, quibus major falsificari potest, potest etiam falsificari conclusio: ex eisdem item quibus minor potest esse falsa, potest & reddi falsa conclusio: ergo pluribus causis esse potest falsa conclusio, quam quælibet ex præmissis: ergo illius assensus magis formidolosus evadit, magisque de verò suspectus, quam quælibet ex præmissis: ergo evadit minus probabilis.

## PROPOSITIO XXVI.

*Ex præmissis verè probabilibus inferri potest conclusio, quæ non sit probabilis.*

**D**emonstr. Probabilitas, ut est certum, suscipere potest magis, & minus. Supponamus itaque præmissas ita modicum probabilitatis habere, ut quælibet infimum veræ probabilitatis gradum possideat: in hoc itaque casu, cum (25.) conclusio minus probabilis sit quam quælibet præmissa, minus probabilis erit quam sit propositio infimum tenens probabilitatis gradum: erit igitur infra infimum, ultimumque gradum probabilitatis; & consequenter non erit probabilis. Quod quidem maximè attendendum est, quoties alicujus propositionis probabilitas ad examen vocatur, fortè enim ex hoc capite reperietur, aut nullius esse probabilitatis, aut ita esse tenuiter probabilem, ut in moralibus ad praxim revocari non possit, juxta damnationem prop. 3. factam à SS. Domino Innocentio XI.

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

## CAPUT VII.

*De Demonstratione, seu Syllogismo demonstrativo.*

**D**UPLICEM Aristoteles affert demonstrationis definitionem: prima est per causam: *Demonstratio*, inquit, *est Syllogismus pariens scientiam*: quemadmodum enim effectus Syllogismi Sophistici est error: & opinio est effectus Syllogismi Topici: ita & scientia est demonstrationis effectus. Altera definitio, quam Philosophus affert, ex variis constat conditionibus, quas ad exquisitam demonstrationem requirit: *Est*, inquit, *Syllogismus constans ex veris, primis, & immediatis, notioribus, & prioribus, causisque conclusionis*. Quas quidem conditiones sequentibus propositionibus expendo.

## PROPOSITIO XXVII.

*Præmissæ demonstrationis debent esse veræ.*

**D***emonstr.* Præmissæ demonstrationis, ut diximus; debent generare scientiam, quæ est cognitio vera: sed cognitio vera nequit generari ex præmissis falsis, sed solum ex veris (15.): ergo præmissæ demonstrationis debent esse veræ.

Sed objicies. Ex præmissis falsis potest deduci conclusio vera, ut diximus prop. 15. Non ergo ex eo quòd demonstrationis conclusio vera sit, deducitur ejusdem præmissas necessario fore veras. Resp. Distinguens antecedens: ex præmissis falsis potest deduci conclusio

ma-

materialiter vera, concedo; formaliter vera, seu quæ vera sit quatenus est conclusio, nego. Ad demonstrationem autem opus est conclusionem veram esse, tum materialiter, tum formaliter; id est, assensus conclusionis debet esse verus quatenus asserit prædicatum convenire subiecto, non utcumque; sed propter rationem, quæ in præmissis exprimitur. Sit exemplum: *Omnis equus est rationalis; sed omnis homo est equus: ergo omnis homo est rationalis*: hæc inquam conclusio vera est in se, licet præmissæ sint falsæ; non est tamen vera quatenus conclusio est, seu ob rationem in præmissis assertam: falsum est enim asserere hominem esse rationalem, quia est equus, qui est rationalis; sed est vera ob alias rationes multo diversas.

## PROPOSITIO XXVIII.

*Præmissæ demonstrationis debent esse certæ.*

**D***emonstr.* Conclusio demonstrationis est certa, certitudine nempe subiecti, de qua supra def. 3. sumus loquuti: sed conclusio nequit esse certa, si præmissæ prædicta certitudine careant: ergo præmissæ demonstrationis debent esse certæ. Major constat, nam conclusio demonstrationis est scientia, quæ est cognitio certa certitudine subiecti: aliter non distingueretur ab opinione, seu conclusione Syllogismi Topici. Min. autem patet, nam conclusio assentitur idempnitati extremorum inter se, propter idempnitatem eorundem cum medio cognitam in præmissis: si ergo præmissæ non certo cognoscerent prædictam idempnitatem extremorum cum medio, non posset intellectus certo assentiri in conclusione idempnitati extremorum inter se. Confirmatur: Nam si vel altera tantum præmissa sit probabilis, conclusio solum est probabilis (22.): ergo utraque

que

que præmissa debet esse certa, ut certa conclusio deducatur; & consequenter præmissæ demonstrationis debent esse certæ.

## PROPOSITIO XXIX.

*Præmissa demonstrationis debent esse evidentes.*

**D**emonstr. Si vel una ex præmissis sit obscura, ortur ex illis conclusio obscura; sequitur enim conclusio, quantum ad hoc, & debiliorem præmissarum partem: non enim potest intellectus assentiri in conclusione clarè, & evidenter idempretati extremorum inter se, propter idempretationem eorundem cum medio, quam obscure tantum in præmissis cognoscit; sed demonstrationis conclusio est evidens, utpotè scientifica: ergo necesse est eisdem præmissas fore evidentes.

## PROPOSITIO XXX.

*Præmissa demonstrationis, aut sunt propositiones prima, & immediatæ, aut ex istis evidenter deducuntur.*

**S**upponendum est illas propositiones esse primas, seu esse principia, quæ nullam habent aliam propositionem priorem, per quam possint demonstrari; quæ idcirco appellantur etiam *Immediatæ*; carent enim medio quo probentur: tum & *per se notæ*: ita enim sunt per se, & ex terminis intellectui perspicuæ, ut sola terminorum penetratione illarum veritas evidenter appareat. Sic hæc propositio: *Totum est majus sua parte*, est propositio prima, seu principium, quia nullam habet propositionem per quam probetur, imò ipsa principium est ad plurima demonstranda: est etiam *immediata*, quia nullum habet medium, quo probetur:

est

est tandem *per se nota*, quia si semel intellectus cognoscit quid totum, quidvè pars sit, veritas præfatæ propositionis eidem latere non potest. Hoc supposito.

Dico præmissas demonstrationis necessario debere esse, aut primas, & immediatas, aut quæ ex aliis primis, immediatisque sint evidenter deducæ. *Demonstr.* Præmissæ demonstrationis debent esse evidentes, (29.) sed nisi sint primæ, immediatæ, ac per se notæ; aut saltim ex primis, immediatis, ac per se notis evidenter deducæ, nequeunt esse evidentes: ergo, &c.

Hinc cum Aristoteles dicit demonstrationem esse *ex veris, primis, & immediatis*, ita intelligendus est, ut asserat, demonstrationem, seu conclusionem scientificam, necessario ex prædictis propositionibus deduci, sive mediatè, sive immediatè, ita ut præmissæ Syllogismi demonstrativi, vel sint propositiones illæ immediatæ, aut saltim ex ipsis sint evidenter deducæ, taliter ut si analysis, seu assensus fiat à conclusione demonstrata, tandem deveniatur ad prima illa principia, ut Geometris est satis familiare: ut tamen quis aliquam propositionem demonstrativè, seu evidenter cognoscit, opus est ut omnes præmissas, quæ ad usque prima principia per assensum perveniunt, evidenter, ac perspicuè cognoscit.

## PROPOSITIO XXXI.

*Præmissa demonstrationis debent esse propositiones necessarie.*

**S**upponendum est illam dici propositionem necessariam, cujus prædicatum necessario convenit subiecto. Hoc autem fit 1. Quoties prædicatum dicitur essentialiter de subiecto, vel eo quod fit tota illius essentia, aut saltim illius pars: ut cum dicimus, *Homo est ratio-*

tio-



*tionalis*; aut *Homo est animal rationale*. 2. Quoties prædicatum est proprietatis, vel quasi proprietatis essentialis subiecti, ut cum dicimus: *Homo est risibilis*; quolibet ex his modis si se habeant præmissæ, erunt necessariæ. Dicitur etiam solent præmissæ necessariæ illæ, quæ ut effectum demonstrant, causam illius necessariam, experimento cognitam, assumunt; aut quæ effectum assumunt, ut existentiam deducant causæ, ex qua solum provenire potest prædictus effectus.

Dico itaque præmissas demonstrationis debere esse propositiones necessarias: ita sentire Aristotelem patet ex dictis initio hujus capituli. *Demonstratur*. Conclusio demonstrationis debet esse necessaria, seu necessario vera: in hoc enim Syllogismus demonstrativus à Topico distinguitur, quod ille conclusionem necessariam; hic verò solum probabilem deducat: atqui conclusio nequit esse necessaria, si præmissæ non fuerint necessariae: ergo præmissæ demonstrationis debent esse necessariae. Min. prob. Nam esse conclusionem necessariam, est prædicatum ejus necessario convenire subiecto: atqui nequit inferri in conclusione prædicatum necessario convenire subiecto, si in præmissis subiectum, & prædicatum non conveniunt necessario cum medio, ut constat ex dictis: ergo conclusio nequit esse necessaria, si præmissæ necessariæ non sint. Verum hæc ex infra dicendis amplius patebunt.

## PROPOSITIO XXXII.

*Demonstratio in varias species dividitur.*

1. **D**ividitur demonstratio in duas species, quarum una dicitur, *Demonstratio quia*, & alia, *Demonstratio propter quid*. Demonstratio quia est illa, quæ solum probat rem ita esse, ad hoc autem convin-

endum assumit pro medio probativo effectum, aut etiam causam remotam illius rei. Demonstratio autem *propter quid* est illa in qua ostenditur, non solum ita esse rem, verum etiam quare ita sit, unde assumit pro medio probativo proximam, & immediatam ipsius rei causam. *Exemplum*. Vult quis probare esse nunc eclipsim Lunæ: assumensque pro medio probativo effectum, dicat: *Quoties Luna à Sole separata, cernitur sine nubibus obscurata, est ejus eclipsis; sed id nunc ita contingit: ergo nunc est Luna eclipsis*. Aut etiam assumens pro medio causam remotam, idem probet, dicens: *Quoties Luna est Soli diametraliter opposita, contingit ejus eclipsis; sed nunc sic se habet: ergo est ejusdem eclipsis*. Duplex hæc demonstratio est quia, nam prima demonstrat eclipsim per effectum; & secunda per causam remotam. Si verò hoc idem demonstraret, assumens pro medio probativo causam immediatam, & proximam eclipsis Lunaris, nempe Terræ positionem Solem inter, & Lunam, talis demonstratio erit *propter quid*: ut si dicat, *Quoties Terra interponitur Solem inter, & Lunam, datur eclipsis Luna; sed nunc ita accidit: ergo datur eclipsis Luna*.

2. Dividitur demonstratio in demonstrationem à priori, & à posteriori. Demonstratio à priori est, quæ rem per causam demonstrat; hoc est, quæ pro medio probativo rei causam assumit, sive immediatam, & proximam, sive mediatam, & remotam, qualis est quæ calorem ex ignis præsentia deducit. *Demonstratio à posteriori* est, quæ rem per effectum demonstrat, ut cum ex calore, ignis existentiam colligimus. Hinc patet omnem demonstrationem *propter quid* esse à priori: cæterum non omnem demonstrationem à priori esse *propter quid*: ad hoc enim non sufficit rem utcumque per

causam demonstrare; sed opus est hanc demonstrationem per causam proximam, & immediatam institui. Similiter neque omnis demonstratio quia est à posterioribus, illa enim quæ rem per causam remotam demonstrat, dicitur quidem demonstratio quia, cum tamen sit demonstratio à priori.

## PROPOSITIO XXXIII.

*Explicantur causa, quæ tamquam medium probativum in demonstratione possunt assumi.*

Cum demonstratio à priori subiecti proprietates, & attributa per suas causas demonstrat, opere pretium est nunc exponere, quænam sint, quæ ad id muneris possunt assumi. Supponendum itaque est quintuplicem communiter causam assignari: *Finalem* nempe, *Exemplarem*, *Effectricem*, *Formalem*, & *Materialem*, de quibus suo loco fusius agemus. *Causa Finalis* est illud cuius gratia aliquid fit. *Exemplaris* rerum agendarum veluti exemplar est, & idea. *Effectrix*, quæ aliquid producit, qualis est Sol respectu lucis. *Materialem* est id ex quo aliquid fit, ut argentum respectu statuæ. *Formalis* denique est id quod rem ipsam constituit, estque ratio formalis, cur res talis sit: ut statuæ dispositio, ac symmetria.

Assero itaque omnes causas prædictas posse in demonstrationibus à priori pro medio probativo deferre. 1. *Causa Finalis* in rebus moralibus, & politicis præcipuum locum tenet, neque ea prorsus est à Physicis ableganda: multa sunt enim in natura corporea, quæ ex fine cui à summo rerum Opifice aptata sunt, apertissime colliguntur. Sic quoniam Cor in animalibus eo fine positum est, ut sanguinem recipiat, perficiat, mox-

que

quæ remittat, ac per arterias in totum corpus diffundat; inde ejus mirabilem structuram colligimus, rationemque assignamus, cur diversis valvulis, ac motibus coalescat. 2. *Causa Exemplaris* Platonicis admodum familiaris est, neque enim tam res considerant prout in se sunt, quam ut esse debent, suntque quodammodo in ideis divinis. Sic Geometra non circulum, aliaque figuras intuentur, ut in corporibus ipsis reperiuntur; sed prout sunt in ideis, quas de ipsis efformant, in quibus insuper ab omni imperfectione, & accidente physico secernuntur. 3. *Causa Efficiens* frequens est in demonstrationibus medium: sic Ætatis calorem ex Solis ad Zenith propinquitate: motumque Maris ex ventorum motu colligimus. 4. *Causa Formalis* frequentissima etiam est in demonstrationibus: hanc enim adhibemus, quoties rerum attributa, vel ex definitione, vel ex genere, aut differentia essentiali colligimus: sic ex rationali admirativum, ac risibile deducimus: ex animali sensitivum, mortale, &c. 5. *Causa tandem Materialis* maximi usus est in Philosophia naturali: mira enim naturæ phænomena per ipsam demonstrantur: sic ex fibrarum musculos componentium textura, animantium motus exponimus: ex tunicis, humoribusque oculorum, qualiter visio fiat, quo in loco, aliaque pene innumera in Opticis explicamus: nullum ergo genus causæ à genuina demonstratione rejicitur.

## PROPOSITIO XXXIV.

*Demonstratio causat scientiam.*

Id apertè ex ipsa ejus definitione ab Aristotele adducta satis colligitur: ut enim supra diximus, demonstrationem esse asserit *Syllogismum gignentem scientiam*. Præterea scientia est cognitio certa, & evidens

dens deducta ex præmissis certis, & evidentibus: atque demonstratio ejusmodi cognitionem causat; ejus enim conclusio est certa, & evidens, quæ non nisi ex certis, evidentibusque præmissis deducitur: ergo causat scientiam. Et quidem si conclusio demonstrata sit per causam proximam, & immediatam, erit rigorosius scientia; minus verò rigorosè si per causas remotas, aut effectus fuerit instituta. Nobilissimum hunc demonstrationis factum exponendum suscipimus, qui jure sequentem librum sibi peculiariter vendicat.

~~~~~

## LIBER IV.

DE SCIENTIIS IN COMMUNI, AC DE IPSA  
LOGICA SPECIATIM.

**Q**UEMADMODUM humana voluntas moribus virtutibus instruitur, ita & mens intellectualibus virtutibus perficitur: & illa quidem voluntatem in bonum inclinant, intellectuales autem mentes hominum in verum adducunt: unde virtus intellectualis est, *habitus inclinans, ac facilitans intellectum ad veritatem capefcendam*. Quinque communiter virtutes mentis enumerantur cum Aristot. 6. *Ethic. cap. 3.* nempe *Intelligentia, Sapientia, Scientia, Ars, & Prudentia*. *Intelligentia* est habitus primorum principiorum, seu innata illa facilitas, qua intellectus prima principia, seu Axiomata, sola terminorum penetratione cognoscit; qualia sunt, *Impossibile est idem simul esse, & non esse. Totum est majus sua*  
par-

*parte, &c.* *Sapientia* est habitus facilitans intellectum ad res altissimas per altissimas causas cognoscendas. *Scientia* est habitus facilitans ad res per suas causas certò, & evidenter cognoscendas. *Ars*, juxta Aristotelem, est habitus cum vera ratione effectivus, seu intellectum certis regulis dirigens ad aliquas operationes efficiendas. *Prudentia* tandem est recta ratio rerum agendarum: seu habitus facilitans, ac dirigens hominis actus.

Ex his quinque enarratis virtutibus mentis, tres solummodo primæ ad præfens conducunt institutum: cumque Sapientia, & Scientia solum in majori, minorivè extensione, ac perfectione distinguantur, satis erit nunc Intelligentiam, ac Scientiam considerare: illam quidem in ordine ad principia; hanc verò respectu conclusionum, quæ ex illis principiis deducuntur: utraque autem sub scientiarum complexarum nomine comprehenditur. Agimus itaque in hoc libro de omnibus his, quæ ad scientiarum encyclopediam generaliter spectant: qualia sunt scientiarum obiectum, Diversitas, Ordo, Methodus, &c. ut hinc finita Logica strenuus tyro longum scientiarum iter avidius arripiat.

### CAPUT I.

*De Scientiarum obiecto in communi, ejusque conditionibus.*

#### PROPOSITIO I.

*Obiectum scientiarum exponitur, ac dividitur.*

**A**licujus potentia obiectum est id, quod à potentia mediis suis actibus attingitur, Sic potentia visiva

væ obiectum est quicquid videtur: potentię auditive; quicquid auditur, &c. Unde obiectum intellectus est quicquid mediis suis actibus cognoscit: cumque scientię sint actus intellectus, si actuales sunt; aut etiam habitus per eosdem actus, acquisiti, si habituales; certę scientiarum obiectum est illud omne, quod per actus scientificos ad illam scientiam pertinentes cognoscitur, seu id quod per illos attingitur. Dividitur autem scientiarum obiectum multipliciter.

1. Dividitur in obiectum *Formale*, *Materiale*, & *Adequatum*, ex utrisque coalescens. Obiectum *Formale* est quod in conclusione scientifica demonstratur, & consequenter est prædictę conclusionis prædicatum. Obiectum *Materiale* est id de quo aliquid in conclusione scientifica demonstratur; ac per consequens est eiusdem conclusionis subiectum: ideoque dicitur communiter *Scientię subiectum*. Obiectum *Adequatum* alicujus scientię est aggregatum ex obiecto materiali, & formali, sive subiecti, & prædicati conclusionis scientificę: seu brevius, est conclusio obiectiva demonstrationis. Sic hanc rem explicat Mosnerius *Phil. tom. 1. lib. 1. cap. 2. art. 2.* & P. Honor. Fabry diversis in locis. Scio hæc communiter in Scholis aliter exponi: verum hic modus mihi semper magis arrisit, est enim verior, facilius, quam plurimamque discindens lites, quibus satis inutiliter tempus teritur.

Hujus autem explicationis ratio, ni fallor, est evidens: scientia enim actualis nihil aliud est, quam aggregatum ex conclusionibus demonstrativę deductis: sed conclusio nullum aliud obiectum explicatum habet, nisi subiectum, & prædicatum: ergo subiecti, & prædicati aggregatum, seu conclusio obiectiva est obiectum adequatum scientię, sive conclusionis formalis scientificę:

te: id autem de quo scientia tractat, seu de quo aliquid demonstrat, erit ejus obiectum materiale, seu subiectum; id autem quod de præfato subiecto demonstrat, erit ejusdem obiectum formale. Obiectum autem materiale scientię rectę quidem appellatur *Subiectum*, tum quod scientia de ipso tractat, de ipso loquitur, de ipsoque aliquid enunciat, ac demonstrat; tum etiam analogia sumpta ex materia: Quemadmodum enim hæc indifferens est ex se ad diversa composita; determinatur autem ad hoc præ alio per formam: ita & subiectum conclusionis scientificę indifferens est ex se, ut ad diversas scientias pertineat; determinatur autem ad hanc præ illam, per proprietates, & attributa, quę de ipso demonstrantur, quę ve consequenter sunt in prædicta conclusione prædicatum; ideoque hoc *obiectum formale* jure appellatur, quod nempe formam imitetur.

Advertendum est præterea capacitatem illam, quam obiectum materiale, seu subiectum scientię habet, ut de ipso illę proprietates, illaque attributa demonstrantur, quę ut dixi, sunt obiectum formale, illam, inquam capacitatem, appellari communiter *rationem formalem sub qua*: est enim ratio formalis, qua ad illam scientiam spectat, nisi enim de illo subiecto hujusmodi attributa demonstrari possent, nullatenus circa illud talis scientia versaretur. Sed id exemplo illustremus.

Humanum corpus capax est, ut circa ipsum diversę instituantur scientię, potestque illarum esse subiectum, seu obiectum materiale, determinatur autem ad hanc, aut illam scientiam ab attributis, ac proprietatibus, quę de ipso demonstrantur: dum enim de ipso demonstratur esse ens, esse substantiam, &c. fit obiectum materiale, seu subiectum Metaphysicę, quę in iis abstractis ra-



tionibus demonstrandis occupatur: dum autem de ipso demonstratur alterabile esse, mobile, &c. pertinet ad Physicam: dum verò de eodem ostenditur quibus remediis, cum infirmatur, ad salutem sit revocandum, sit Medicinæ obiectum, & sic de cæteris.

Hinc hujus propositionis, *Corpus humanum est substantia*, subiectum est corpus humanum, seu obiectum materiale: esse verò substantiam est obiectum formale: & utrumque simul est ejusdem propositionis obiectum adequatum: dicemusque hanc propositionem ad Metaphysicam spectare, ratio enim substantiæ, aliæque similes abstractæ, sunt quæ à Metaphysica demonstrantur: ratio insuper formalis sub qua corpus humanum ad Metaphysicam spectat, est ratio entis, ob hanc enim capax est, ut similia attributa de ipso demonstrantur. Præterea in hac propositione, *Corpus humanum est alterabile*, etiam corpus humanum est subiectum, seu obiectum materiale: esse autem alterabile, est illius obiectum formale: & quoniam hoc prædicatum *alterabile* ad Physicam spectat, quæ circa corpus naturale, ac mobile versatur, idcirco præfata propositio, Physicæ scientiæ est. Vides hæc quam sint facilia: sic enim in cæteris scientiis est discurrendum.

4. *Obiectum totale* est aggregatum omnium veritatum, quæ ab aliqua scientia attinguntur, ac demonstrantur, seu est aggregatum omnium conclusionum obiectivarum ad illam scientiam pertinentium.

5. *Obiectum partiale* est aliqua, seu aliquæ conclusiones obiectivæ, ex his quæ ad talem scientiam pertinent.

6. *Obiectum attributionis* alicujus scientiæ est obiectum nobilissimum, ac præcipuum, cui cætera, quæ in scientia illa pertractantur, ordinantur, ac diriguntur: sic in-

tellectus operationes ordinatæ, ac juxta regulas Dialecticas optime directæ, sunt obiectum attributionis Logicæ, huic enim diriguntur de Terminis, de Prædicabilibus Tractatus, ac cætera, quæ in Logica docentur. Alias obiecti divisiones mitas facio, quæ ad præsens nihil conducunt. Quænam autem attributa obiectis scientiarum competere debeant, sequentibus propositionibus determino.

### PROPOSITIO II.

*Obiectum scientiarum debet esse necessarium.*

**D***emonstr.* Scientia debet esse certa, nullam enim formidinem circa obiecti veritatem admittit, aliter ab opinione non differret: ergo ejus obiectum aliter esse nequit, quam per scientiam exprimitur: ergo esse debet necessarium; id est, prædicatum conclusionis scientificæ necessario debet convenire subiecto.

Sed objicies. Aliqui sunt Syllogismi demonstrativi, quorum conclusio est de materia contingenti, ut patet in isto: *Omne quod currit, movetur; sed Petrus currit: ergo Petrus movetur.* Cursus autem contingenter convenit Petro: ergo obiectum scientiæ potest esse contingens.

Ut huic difficultati satisfaciam, adverto dupliciter posse intelligi conclusionem Syllogismi demonstrativi esse necessariam, aut absolutè, aut sub aliqua hypothesi: absolutè quidem est necessaria quoties conclusionis prædicatum convenit necessario subiecto ex sua ipsius natura, & independentè à præmissis, eo scilicet quod aliquam participat conditionem ex his, quas prop. 31. lib. præced. assignavimus. Est autem conclusio necessaria sub aliqua hypothesi, quoties prædicatum de subiecto affirmat sub aliqua hypothesi saltim implicite asserita, qua posita, prædicatum non possit non convenire

subiecto : quemadmodum si dicamus , *Si paries albus sit, disgregat visum*, licet enim parietem album esse sit contingens ; & consequenter etiam sit absolute contingens parietem disgregare visum ; ceterum cum omne album disgregare visum, sit physicè, & absolute necessarium, etiam est necessario verum, quod si paries albus sit, visum disgreget.

Hinc facile obiectioni respondeo : In proposito illo Syllogismo conclusionem non esse quidem absolute necessariam, seu de predicato quod absolute necessario conveniat subiecto ; esse tamen necessariam ex hypothese cursus Petri : cum enim sit propositio absolute necessaria, *Quidquid currit movetur*, necessarium etiam erit Petrum moveri, casu quo currat, ut asseritur in minori, nec aliter in conclusione motus de Petro affirmatur, nisi sub illa hypothese, implicite etiam asserita.

Hinc colligitur verum esse quod communiter asseritur : *De contingentibus non dari scientiam* ; dummodo tamen intelligatur de his, quæ absolute contingentia sunt, & nec sub aliqua hypothese spectantur, sub qua reddantur necessaria.

### PROPOSITIO III.

*Obiectum scientiarum debet esse universale.*

**H**Æc est communis antiquorum sententia cum Aristotele, & Angelico Doctore, quos plures etiam ex Neotericis sequuntur. Prob. I. Nam obiectum scientiarum nequit esse singulare : ergo debet esse universale. Antecedens probatur, nam scientiarum obiectum debet esse necessarium, (2.) sed singularia non sunt necessaria, sed corruptibilia, mutabilia, ac contingentia : ergo obiectum scientiarum nequit esse singulare.

Ex

Ex hac autem ratione satis aperte colligitur, Deum licet sit essentialiter singularis, posse tamen, & de facto esse aliquarum scientiarum obiectum ; quamplurima enim Metaphysica realis de Deo demonstrat, quæ idcirco Theologia naturalis appellatur : ratio autem est, quia licet Deus singularis sit ; est tamen ens necessarium, æternum, immortale, ac prorsus indefectibile.

Prob. 2. Non dari de singularibus scientiam : nihil enim aliud de ipsis cognoscimus præter rationes illas communes, in quibus conveniunt ; differentia enim illa individualis, qua ab invicem distinguuntur, nobis prorsus est incognoscibilis : & consequenter nihil de ipsa possumus demonstrare : ergo singularia quatenus singularia sunt, nequeunt esse scientiarum obiectum ; ergo earum obiectum necessario est universale.

Prob. 3. Ueberiori ejusdem rei expositione. Cuncta enim, quæ à scientiis demonstrantur, aut demonstrantur de subiectis, rationibusque universalibus, ut cum ostendimus substantiam esse ens per se, subsistens, incapax intensionis, &c. aut si demonstrantur de singularibus, demonstrantur de ipsis, non quatenus singularia sunt, sed quatenus in aliqua ratione universali conveniunt : semper enim eorum attributa, & proprietates ostenduntur, quæ ad ipsa non quatenus singularia sunt spectant, sed quatenus rationem aliquam communem, universalemque participant, ut patet in hoc Syllogismo : *Omnis homo est admirativus ; sed Petrus est homo : ergo est admirativus*. Ubi vides attributum hoc *admirativum esse*, demonstrari de Petro, non quatenus singulare, sed quatenus rationem hominis, cæteris hominibus communem, participat : ac rursus ita de Petro demonstratur, ut eodem ratiocinio de Paulo, cæterisque naturæ humanæ individuis, demonstraretur : semper igitur de-

mon-

monstrativus discursus, seu scientia est, vel de subiecto universali, vel de ipso quatenus rationem aliquam universalem participat: idem dicam de prædicato conclusionis scientificæ, seu de obiecto formali: si enim conclusio sit de obiecto universali, indubium est prædicatum etiam esse universale, seu ut communiter asseritur, necesse est esse *de omni*, ita ut omnibus sub illo subiecto universali contentis, conveniat: idque sive prædicatum latius pateat quam subiectum, ut cum dicimus, *Omni homo est animal*; sive non latius, sed æque pateat ac subiectum, sitque, ut ajunt, *Prædicatum secundum quod ipsum*, ut cum dicimus, *Homo est rationalis*: ergo in his omnibus eventibus etiam prædicatum demonstrationis est necessario universale. Idem dicam licet subiectum demonstrationis singulare sit: nam in hoc casu licet prædicatum ad singularitatem quandam ratione prædicationis contrahatur: cæterum quatenus est ex se, semper est quid universale: aliter enim conclusio illa, non doctrinalis, sed potius esset ridicula, affirmaret enim de individuo ipsum individuum: absolute igitur scientiarum obiectum debet esse universale.

## COROLLARIUM.

**H**inc colligitur *cujusvis scientiæ obiectum esse unum unitate Logica; id est, cuncta illa de quibus scientia tractat, in ordine ad illam ita se habent, ac si unum quid essent: quod idem est ac asserere scientiarum obiectum esse universale, juxta ea que diximus lib. 1. prop. 13. & 14.*



## CAPUT II.

## De Divisione, Unitate, ac Distinctione Scientiarum.

## PROPOSITIO IV.

*Scientiæ in varias species dividuntur.*

1. **S**cientia in communi dividitur in *Actualem*, & *Habitualem*. Actualis sunt ipsi actus, seu conclusiones scientificæ. Habitualis verò est facilitas, quæ per repetitionem prædictorum actuum acquiritur, quæ facilitas *Habitus* appellatur. Quo autem major fuerit hujusmodi habitus, seu facilitas in aliquo subiecto, eo perfectius scientia illa ab eo possidetur.
2. Dividitur scientia in *Totalem*, & *Partialem*. Illa est aggregatum omnium conclusionum, & habituum ad obiectum talis scientiæ pertinentium. Partialis est pars aliqua prædictorum.
3. Dividuntur scientiæ in *Speculativas*, *Præcticas*, & *Præctico-Speculativas*. *Speculativæ* sunt, quæ in sola sui obiecti speculatione sistunt. *Præctica* verò, quæ stas legibus operationes circa suum obiectum dirigunt, ut nempe absque ullo errore in proxim deducantur. Illæ verò sunt *Præctico-Speculativæ*, seu partim præctica, partimque speculativæ, quarum aliqui actus in mera sui obiecti speculatione sistunt; alii verò ad aliqua ad proxim revocanda assignatis regulis procedunt.

4. Plerique Philosophi scientias in tres classes distribuunt, juxta triplicem abstractionem, qua circa primum

prium obiectum versantur. 1. Classis est earum, quæ à singularibus tantum præcindunt, seu à *materia*, ut ajunt, *individuali*: tales sunt omnes Physiologia, seu scientiæ corporis naturalis partes, quæ ens corporeum, & materiale considerant; accidentibus materialibus, sensibilibusque indutum: quæ cum materiam, ac materialia accidentia, & attributa speculantur, à sensibili materia nullatenus abstrahunt, & consequenter non aliam abstractionem præferunt nisi ab individuis, seu *materia individuali*. Ad secundam classem spectare dicuntur illæ scientiæ, quæ à *materia sensibili* præcindunt, non verò à materia intelligibili; id est, materiam quidem intelligunt; sensibilia tamen accidentia, quibus induta est, non attendunt. Hanc classem componere dicuntur scientiæ Mathematicæ, quæ quantitatem suæque dimensiones considerant; & consequenter materiam intelligunt, præcindunt tamen ab omni accidente sensibili eidem inherenti. Sic Geometria multa de Triangulis, ex.gr. demonstrat, multa de Sphæra, &c. omnino verò præcindit ab eo quod hæc alba sint, aut nigra: aurea, lignea, &c. quæ sunt accidentia sensibilia.

3. Classis est earum scientiarum, quæ omnimodam abstractionem habent à materia. Ad hanc revocatur tantum Metaphysica realis, quæ de rebus incorporeis, ac immaterialibus agit, qualia sunt Deus, Angeli, ac formæ humanæ separate: tum & Metaphysica intentionalis, quæ rationes illas tantum speculatur, quæ universalissimæ sunt, & ab ente corporeo, & incorporeo: materialibus, & immaterialibus præcisæ; & consequenter Metaphysica nullam in suo obiecto materiam intelligit, nec intuetur, ut suo loco patebit.

Hæc autem scientiarum tergemina partitio diminuta, ac inadæquata communiter habetur, non enim omnes

nes scientias comprehendit. Logica enim, ut hinc incipiamus, in nulla ex dictis classibus locum tenet: tum nec Moralis Philosophia, nec omnes insuper Mathematicæ ad secundam classem revocantur: illæ enim quæ *Physico-Mathematicæ* nuncupantur, quales sunt Musica, Optica, Perspectiva, Statica, &c. à materia sensibili non præcindunt, ut in Introduc. ad Comp. Mathem. dictum est: Scientiarum ergo divisio aliunde petenda est, ut postea patebit.

4. Dividuntur tandem scientiæ in *Subalternantes*, & *Subalternatas*, quarum secundæ à prioribus pendunt: conditiones autem, quæ ad hanc subalternationem requiruntur, propositio sequens expendit.

## PROPOSITIO V.

*Scientiarum subalternatio explicatur.*

UT aliqua scientia propriè alteri subalternetur, opus est ut seorsim ab illa rationem scientiæ habere non possit: hæcque dependentia unius scientiæ ab altera est ejus rigorosa subalternatio, quæ juxta communem Philosophorum tres, quæ sequuntur, conditiones requirit.

1. Obiectum scientiæ subalternatæ contineri oportet intra latitudinem obiecti subalternantis: sic Medicina Physicæ subalternatur; corpus enim humanum, quod est ipsius obiectum, species quædam est corporis naturalis, seu mobilis, quod est Physicæ obiectum.

2. Subalternata solum addere debet supra obiectum subalternantis differentiam aliquam accidentalem: sic corpus humanum, quatenus obiectum est Medicinæ, sanabilitatem solummodo addit supra rationem corporis naturalis, seu mobilis, secundum quam est Physicæ obiectum.



3. Principia scientiæ subalternatæ conclusiones esse debent à subalternante demonstratæ demonstratione à priori: sic conclusiones Physicæ tamquam præmissæ à Medicina accipiuntur, juxta illud ubi definit *Physicus incipit Medicus*: exemp. gr. Physicus sic arguit: *Illā quā ab eodem subiecto mutuo se expellunt, contraria sunt; sed frigus, & calor mutuo ab eodem subiecto se expellunt: ergo contraria sunt.* Hicque definit Physicus: verum & hinc incipit Medicus, sic arguens: *Calor, & frigus contraria sunt; sed contraria contrariis curantur: ergo calor per refrigerantia curari oportet.* Ubi vides hujus Syllogismi præmissam esse præcedentis conclusionem. Tres autem enumeratæ conditiones ad omninò perfectam subalternationem expetuntur; licet qualibet ex illis sufficiens sit, ut una scientia alteri subalternari dicatur, esto minus perfecte.

Hinc colligitur eos, qui subalternatam sine subalternante habent, non habere principiorum illius evidentiam: & consequenter neque subalternatam in ipsis esse scientiam; dummodo tamen aliundè præfata principia evidenter non caleant, demonstratione saltim à posteriori.

Colligitur etiam omnes scientias aliquatenus Metaphysicæ subalternari: quatenus nempe cunctarum obiectum sub illis abstractissimis rationibus continetur, quas Methaphysica speculatur. Logica aliqua sui parte Arithmeticæ subordinata est, ut enim suprā vidimus, ea non parum indiget analyticis illis combinationibus insituendis, quibus Syllogismorum modi reperiuntur. Physica Geometriæ, & Arithmeticæ subjicitur, ab his enim qui eas non valent, nullus ferè in physicis sperari potest provectus: Idcirco Plato Geometriæ profusus

ignaros è sua academia profcribi jubebat. Astronomia, & Statica, Geometriæ, & Arithmeticæ subordinantur. Optica, Geometriæ, & Physicæ. Musica, Arithmeticæ, & Physicæ. Nautica, Physicæ, & Astronomiæ. Architectura Civilis, & Militaris, Staticæ, Geometriæ, & Arithmeticæ subordinantur.

## PROPOSITIO VI.

*Scientiarum unitas exponitur.*

DICO 1. Scientiam totalem actualem, esse aggregatum ex omnibus conclusionibus ad obiectum illius scientiæ pertinentibus. Hæc assertio sola illius explicatione sufficienter probatur. Assertio itaque aggregatum omnium Theorematum, ac Problematum, quæ de illis obiectis in eodem genere proximo convenientibus demonstrantur, unam scientiam totalem constituturæ: hæc enim nihil est aliud quam certa quædam conclusionum classis: unde colligitur quamlibet scientiam esse unam unitate ordinis, aggregationis, ac Methodi, seu doctrinæ: ver.gr. Omnia Theoremata, ac Problemata geometrica unam scientiam constituunt, seu unam classem conclusionum, quarum obiecta in uno genere proximo quantitatis continuæ mensurabilis, ab omni materia, & accidente sensibili præcissa continentur. Similiter omnia Theoremata, ac Problemata Logicæ unam scientiam constituunt, quatenus omnia in eo tandem convenient, quod mentis operationes in rectum differendi modum dirigant. Tum etiam omnia Theoremata, quorum obiecta in ratione entis corporei, seu mobilis conveniunt, unam integram scientiam, quæ *Physica* appellatur; & sic de reliquis: hæcque est unitas cujuslibet scientiæ actualis.

DICO 2. Quamlibet scientiam habitualement totalem esse

esse aggregatum ex diversis habitibus, qui crebris actibus illius scientiæ propriis sunt adquisiti. Probatur, nam habitus, qui ex frequenti actuum repetitione gignuntur, solummodo facilitant potentiam ad eliciendos actus similes illis, quorum repetitione geniti fuerunt: cum igitur intra ejusdem scientiæ latitudinem, quamplurimi comprehendantur actus, tam diversis, tamque inequalis difficultatis, certè ex ipsis crebro repetitis, diversi gignentur habitus adquisiti: scientia ergo totalis habitualis erit aggregatum horum omnium habituum. Idque apertè experimento confirmatur: sæpius enim Logicus facillimè conficit Syllogismos in quovis ex quatuor modis directis primæ figuræ; cum tamen in cæteris modis difficultatem non modicam experiatur.

Volunt plerique Doctores quamlibet scientiam esse unicum, ac simplicem habitum, qui in dies eadem proportionè extenditur, qua novæ illius scientiæ veritates addiscuntur: ita ut quo plus mentem in ea quis exerceat, eo habitus scientiæ plus in illo subiecto extendatur; hoc tamen aut imperceptibile est, aut quæstio est de solo nomine, ac profusus inutilis.

## COROLLARIUM.

**H**inc colligitur distinctionem, ac diversitatem scientiarum ex hominum arbitrio magna saltim ex parte pendere, qui maturè inspecta obiectorum scibilibus varietate, cuncta in diversas classes distribuere, facilitati discentium consulentes.

## CAPUT III.

## De Methodo.

**M**ETHODUS, juxta nominis ethimologiam, brevis est, & expedita via: ab hac autem significatione ad ordinem doctrinæ significandum vox methodus translata est: quemadmodum enim via brevis, ac expedita, citius tutiusque nos ducit, quo tendimus: sic rectus in disciplinis discendis ordo efficit ut eas facilius, scelicusque comparemus. Hinc Methodus in presenti est recta quædam dispositio, qua scibilia disponuntur, ut facilius ab intellectu concipiantur. Methodus ita necessaria est, ut ipsa observata, quæ difficilia sunt, facilia reddantur; ipsa verò neglecta, quæ alioquin facilia sunt, appareant difficilia. Hinc recta methodus omninò servanda est, tum in discendis, tum in docendis, pertractandis, promovendisque scientiis, quæ omnia sequentibus propositionibus expono.

## PROPOSITIO VII.

*Methodus discendi.*

**L**icet ingenium subtile disciplinis comparandis, difficultatibusque vincendis capax sit; ni tamen ipsum recta methodus auxilietur, non ita facilè obscuritatis, erroris, ac confusionis scopulos devitabit, quibus ad veritatem assequendam præpediatur: ut itaque facile discat, discat primum sequentes regulas.

1. Non erit in judicando præceps; verum propositas difficultates studiosius inspiciat, quæstionisque terminos, non cumulativè; sed seorsim prius attendat, donec tandem nitidam eorundem ideam fuerit adeptus: quemadmodum enim qui pratium omnigena florum varietate decorum intuetur, confusam quandam amantitatem videt, florum tamen species sigillatim explicare nequit: ita mens cum plura simul obiecta inspicit, illa varietate veluti turbatus, claras, ac distinctas præfata-

rum rerum ideas efformare non valet. Hinc apertius animam solam humanam, quam hominem concipimus: dum enim illam solam attendimus, naturam quandam cognoscitivam, docente ipsa experientia, cognoscimus: in hominis verò cognitione duo simul animam nempe, & corpus nobis proponuntur, quæ cum ad ita diversa genera reducantur, si non seorsim prius spectentur, aliquam nobis confusionem ingerunt.

2. Ut cujuslibet rei clara, ac distincta adipiscatur idea, ad illius attributa, ac perfectiones attendere oportet, his enim eam facilius obtinebimus: perfectiones autem rei positivas, potius quam negativas inquirere juvat; illæ enim quid res sit; istæ verò quid ipsa non sit, ostendunt: hinc plenius animam nostram intelligimus, cum illam substantiam intellectivam, judicativam, volitivam, &c. cogitamus, quam cum incorpoream, immaterialem, invisibilem, &c. quæ prædicata sunt negativa.

3. Discens ab universalioribus ad minus universalia melius procedet: illa enim, cum immutabilia sint, plus luminis mentibus nostris offundunt.

4. Ideas illas, quas rectæ apprehensiones formare, judicium subsequatur: nam ferè numquam rei alicui assentiendum est, cujus non clara, distinctaque habeatur cognitio: exceptis tamen iis, quæ ad fidem divinam pertinent; horum enim certitudo, obscura licet, quamlibet evidentiam evincit: in re itaque litteraria, animus tantum submitendus est, vel demonstrationi, si conclusio est: vel evidentiæ obiecti, si principium; vel his quæ sunt fide divina tenenda: in rebus tamen civilibus, ac politicis aliter discurrendum est: in his enim multa multis credimus omnes. Optimus itaque ordo discendi exposcit, ut ad judicium præcedat clara, distinctaque

terminorum cognitio: prius enim patere menti debent subiectum, ac prædicatum per nitidam apprehensionem; ut postmodum rectum subsequatur judicium, prædicatum de subiecto affirmans, aut negans. Qualiter enim poterit quis certò judicare Solem calidum esse, nisi quid Sol, quidvè calor sit præcognoscat? Hinc non iis judiciis facile fidendum est, quæ in illis rerum ideis fundantur, quas cum infantes essemus efformavimus: cum enim hæ imperfectæ admodum fuerint, judicia in illis fundata, potius præjudicia sunt ad veritatem assequendam, ideoque sedula meditatione sunt corrigenda.

5. Doctorum hominum auctoritatem, qui discere cupit, non temere spernat; sed magnificat, non tamen solam: assertorum enim fundamenta, rationumque pondere aestimet: aliter enim credulus potius, quam sciens censeretur.

6. Denique scientiarum avidus, qui que in ipsis profectum desiderat, tranquillam mentem, ab omnique passionum perturbatione liberam retinere curet: hæ enim rationis lumen obnubilant, mentem obscurant, minusque habilem ad studia relinquunt. Superbiam insuper, ceteraque vitia omninò devitet: dum enim voluntatem insinciam, ingenii acumen obtundunt: cum certissimum sit dictum sapientis, *in malevolam animam non introibit sapientia*. Docilis item sit, in nulloque contumax: qui enim cognitæ veritati contradicit, se ipsum excecet: nec difficultatibus terreatur, nihil enim est quod improbus labor non vincat: speret autem in Deo, à quo est omnis sapientia, eamque affluenter postulantis impertitur.



## PROPOSITIO VIII.

*Methodus servanda in docendis, ac pertractandis scientiis.*

POST explicatam in præcedenti methodum, qua in rerum cognitione discens procedat, exponenda venit methodus, qua docens dirigere oporteat ea, quæ docet, atque pertractat. Est autem hæc methodus Ars bene ordinandi seriem multarum cognitionum, aut ad veritatem detegendam, cum eam ignoramus; aut ad eam aliis ostendendam, cum eam jam novimus.

Duplex communiter assignatur methodus: alia *Analytica, seu Resolutionis*; alia verò *Synthetica, seu compositionis*. Analysis, seu methodus resolutionis est via qua progredimur à magis compositis, & posterioribus, ad simpliciora, & priora: veluti si prius de triangulo, deinde de ejusdem angulis, lateribusque ageremus. Synthesis, seu methodus compositionis est via qua à simplicioribus, & prioribus progredimur ad magis composita, & posteriora. Sic Geometria prius agit de lineis, & angulis: deinde de triangulis, cæterisque figuris, quæ ex angulis, lineisque sunt compositæ. Hinc colliges has methodos esse inter se oppositas: Analysis enim veluti assensus est à valle ad montis fastigium; Synthesis verò descensus è fastigio ad vallem. Analysis insuper propriè adhibetur quoties aliqua scientia de novo est invenienda; aut latens aliqua veritas detegenda: Synthesis verò omninò adhibenda est, ut scientia jam inventa, debito ordine disponatur, ac doceatur: idcirco Analysis integræ scientiæ numquam applicatur, sed alicui illius veritati detegendæ, aut difficultati propostæ resolvendæ: Synthesis verò integræ scientiæ, verbo, aut scripto pertractandæ, optimè adhibetur: hac enim

enim quamplurimæ vitantur repetitiones, quæ ad nauseam usque in analytica methodo necessario essent faciendæ. In utraque autem methodo hæc regula est omninò tenenda: *A notioribus incipiendum, indeque ad minus nota progrediendum*. Quælibet autem suas habet peculiare regulas, quas sigillatim expono.

## PROPOSITIO IX.

*Methodus analytica in particulari explicatur.*

METHODUS hæc, ut mox diximus, optimè adhibetur quæstionibus resolvendis, veritatibus latentibus, tenebrisque involutæ adinveniendæ. Hujusmodi methodus Algebra est valde familiaris, quæ idcirco *Ars analytica* appellatur, de qua latè egimus in nostro *Comp. Mathem. tract. 4.* licet in ipsa tradenda, exponendaque methodum syntheticam, ut par erat, advocerimus. Quæstiones itaque, quæ resolvendæ proponuntur, aliæ circa terminos, aliæ circa res ipsas versantur.

Circa terminos id tantum inquiri potest, quid nempe per voces significetur: ex earum quippè ambiguitate innumeræ penè, & implacabiles ortæ sunt in Scholis lites, dum alii eas in uno sensu accipiunt; alii verò in alio diverso, qui si semel in terminorum significatione convenissent, ad concordiam procul dubio revocarentur.

Circa res autem singulas ea omnia inquirenda sunt, quæ in decem Categoriis continentur, ut dixi lib. 1. prop. 28. Primo enim inquirendum est *quid sit res*, an nempe tantum sit possibilis, an actualis, & existens, *Qualis sit*, an materialis, an spiritualis, &c. *Quanta sit*, mole nempe, si corporea sit, aut dignitate, &c. *A quo procedat*, an per creationem, an per generationem, &c.



*Quorum sit causa, radix, & origo; & alia, quæ loco citato explicuimus.*

Quadrupliciter autem circa quamlibet rem institui potest, disponique quæstio resolvenda. 1. Cum ex effectibus cognitis, causam inquiremus. Ex.gr. Experimur Solis radios, cum per vitreum prisma trajiciuntur, innumeros, gratissimosque formare colores, eosque certo, ac determinato ordine, cæruleum nempe, dein viridem, postea purpureum, &c. undè tam miri phænomeni causam inquiremus: hocque ferè est totum Philosophiæ naturalis munus. 2. Quando ex cognita causa ejusdem effectus inquiremus. *Exemplum.* Experientia patet compressum aerem magnam habere vim ad corpora, etiam gravissima movenda: ex quo innumeri penè fontes, aliaque hydraulica machinamenta Physico-Practica non sine ingenti fructu discurrunt. 3. Cum ex partibus cognitis ad totius cognitionem progredimur: sic Algebra ex magnitudinibus cognitis, ignotam, absconditamque magnitudinem sagaci indagine venatur.

4. Cum ex alicujus totius partibus jam notis, alias ejusdem partes ignotas inquiremus: quod etiam est Algebrae familiare; idque etiam in aliis scientiis frequens est, dum ex aliquibus proprietatibus, aliæ; tum & res illa, à qua oriuntur planè cognoscitur.

Hinc patet in præfatis inquirendi modis semper id quod latet, ex cognitis, datisque terminis inquire, ideoque omninò opus est terminos istos clarè cognosci: & insuper invicem combinari, idque diversimodè, ut tandem ad optatam quæstionis propositæ resolutionem perveniatur: quod ut perspicuum fiat sequens exemplum adhibemus.

Proponatur philosophicè investigandum *utrum anima humana sit immortalis.* Primum itaque quod occur-

currit est animam nostram cogitare, & cognoscere; idque ita certo, ut licet mens de alia quacumque re dubitare velit, nullatenus tamen dubitare possit *se cognoscere*, quum dubitatio ipsa sit quædam cogitatio. Deinde examinatur quid sit *cogitare*: & statim apparet nihil in hujus idea includi, quod in idea corporis, sive substantiæ extensæ impenetrabilis includatur: imò de *cogitatione* negari posse quiddam ad corpus, quatenus tale, pertinet, quin inde idea, quam de *cogitatione* habemus destruat: undè concluditur *cogitationem* non esse modum aliquem substantiæ corporeæ; cum de natura modi sit, ut concipi nequeat, negata, aut non concepta illa re, cujus est modus. Cum itaque non sit corporis modus, certè modus est, seu attributum alterius rei, quæ corpus non est: ergo res, seu substantia cogitans, quæ in nobis existit, quid diversum est à corpore: hæcque est anima humana: ergo licet corpus intereat, non ideo ipsa interit, nec destruitur: est ergo anima nostra immortalis.

Hic vides præfatum discursum, non ab Axiomatibus, seu Theorematis universalibus à nobis esse inceptum, ut in synthetica metodo fieri solet; sed ex notione cogitationis, ac rei cogitantis, ad universaliores notiones fuisse progressos, qualia sunt animam nostram à corpore distingui: & consequenter separatam persistere, esseque immortalem, quæ propriè est methodus analytica.

## PROPOSITIO X.

*Methodus synthetica, seu compositiva specialiter exponitur.*

**M**ethodus compositiva in hoc præcipuè consistit, ut à notionibus generalioribus, magisque simplicibus incipiens, ad minus generales, magisque com-

positas progrediatur. Hęc methodus, ut dixi, omninò assumitur ad scientias ordinatè tradendas, ac pertractandas, & idcirco *methodus scientifica* potest absolute nuncupari. Observatur autem exactissimè à Geometris: ideoque ab ipsis, rerum pertractandarum norma, pro aliis etiam scientiis est desumenda. Tria sunt autem potissimum præcepta, quæ à Geometris observantur, quæve in cæteris scientiis ritè ordinandis sunt retinenda.

1. *Nulla sit in terminis ambiguitas.* Ut hæc evitentur, terminorum definitiones cuilibet tractatui præmittantur; quæ perspicuæ sint, quantum fieri potest.

2. *Omnis ratiocinatio clara, & distinctis principiis innitatur:* quæ nempe ita sint perspicua, ut sola terminorum intelligentia eorum veritas appareat: hæc sunt; quæ communiter *Axiomata* dicuntur: suntque propositiones illæ immediatæ de quibus supra: apponunturque statim post definitiones in ipso tractatus initio.

3. *Omnis conclusio, quantum possibile est, demonstrativè probetur:* ita ut ejus præmissæ sint vel *Axiomata* prædicta, vel aliæ propositiones ex illis *Axiomatibus* jam per alias ratiocinationes deductæ.

Advertendum tamen est in aliquibus scientiis, Physica præsertim, & Astronomiâ, aliqua veluti principia præsupponi, quorum existentia positivè non affirmatur, quapropter *Hypotheses, seu Suppositiones* appellantur. Et hæc quidem ad absolutè demonstrandas conclusiones, quæ ex ipsis deducuntur, non sufficiunt; deserviunt tamen ad easdem hypotheticè ostendendas: hoc est demonstratur esse veras, sub illa hypothesi. Ad hujusmodi hypotheses necessario recurrendum est, quoties aliundè nulla suppetunt absoluta principia ad aliquos esse-

effectus demonstrandos: Idcirco Renatus Des-Cartes suorum vorticum hypothesim excogitavit, non quasi vellet ita absolute existere in natura vortices illos materiæ subtilis, prout ab ipso imaginantur, aut confinguntur: sed solum, ut ipsis suppositis, naturæ corporeæ phænomena exponeret, ostendens nempe hæc rectè explicari; si vortices illi verè existerent. Similiter Copernicus, aliique antiqui Philosophi, non Solem, sed Terram moveri effinxerunt, quod esto falsum sit, ut in *Comp. Mathem. tract. 2.4. lib. 1.* dixi, & suo loco iterum ostendam: cæterum ut hypothesi admittitur, ac communi Astronomorum consensu probatur, quod nempe ipsa supposita, cuncta caelestium motuum phænomena rectè explicantur. Conclusiones itaque ex similibus hypotheticis deductæ, evidentes esse possunt, non quidem absolute, sed tantum hypotheticè, seu conditionatè.

## PROPOSITIO XI.

*Due expeditæ methodi ad scientias promovendas exponuntur.*

**L**icet in tradendis, docendis, ordinandisque scientiis methodum syntheticam ritè adhibeamus; novisque veritatibus indagandis, Analyticam: ad id tamen expeditius exequendum geminæ deservient methodi, *Analogia* videlicet, & *Combinatio*.

*Analogiæ* methodus, seu ars analogica in eo consistit, ut ordo ille, respectus, ac proportio rectè inspicatur, quem res invicem gerunt: hinc enim non modica lux intellectui affulget, ut illud idem in unis verum esse discurrat, quod de aliis competam, ac demonstratum habet. Quam utilis sit hæc *Analogiæ* methodus, qualiterque in scientiis ad praxim ubertim revocetur, patet in sequentibus exemplis.

1. In rebus ad Physicam spectantibus, effectuum similitudo, causarum pariter similitudinem infert. Sic quoniam in sphaera vitrea Soli exposita, sub certis, determinatisque angulis, Iridis colores vividius, vegetiusque cernuntur; sub aliis vero majoribus angulis iidem iterum colores apparent, dilutiores tamen, ac ordine inverso, inde, inquam, colligimus idem omnino in singulis pluviae guttulis evenire: unde Iridis formationem evidenter explicamus; ut jam in *Comp. Mathem. tract.* 22. ostendimus, suoque loco iterum ostendemus. Similiter inquiritur à Philosophis in quo unio continuativa partium integranium in corporibus consistere possit. Et quoniam videmus in lignis, arborumque foliis, in telis item aliisque innumeris, quandam reperiri filamentorum texturam, partiumque sese mutuo capientium complicationem, hinc inquam, nec levi fundamento, colligimus cæterorum corporum partes non aliter physice inter se continuari, ac uniri, quam simili complicatione, ac textura, ut suo loco patebit.

2. In Mathesi. Quod quadrata sint in duplicata ratione laterum; idem de cæteris rectilineis: tum & de circulis in suarum diametrorum duplicata ratione esse, optimè demonstratur. Similiter ex hoc quod Pyramis polygoni sit tertia pars prismatis eandem basim, & altitudinem habentis, simile quid de conica pyramide concluditur, esse nempe tertiam partem cylindri ejusdem basis, & altitudinis. Similiterque analogicè in cæteris scientiis quamplurima possunt deduci.

Methodus combinationis est, qui Arte combinatoria utitur, hujus enim ope, cujuslibet questionis termini invicem comparantur, junguntur, ac diversimodè combinantur, ut de re proposita cuncta illa pertractentur, ac dicantur, quæ circa illam possunt resolvi, ita ut nihil, quod

quod scitu dignum sit, intactum relinquatur. Sic, ut supra vidimus, Logica artificiosè determinat in triplici figura Syllogismorum modos. Sic Physica dum diversos luminis radios, cum umbellarum lineis, innumeris modis misceri, ac combinari considerat, rationem probabiliter saltim assignat, cur tanta sit varietas colorum. Similiter Musica ex varia vocum combinatione, corporumque sonantium tremore, rationem infert, cur alia intervalla consona sint, alia verò dissona; & sic de aliis. Quantum verò hæc ars combinatrix omnibus scientiis utilis sit, quibusvè regulis ad praxim revocetur dixi in *Comp. Mathem. tract. 2. lib. 6.*

## PROPOSITIO XII.

*Exponitur ordo in discendis scientiis observandus.*

1. **I**lla scientia primum discenda est, quæ aliarum principia demonstrat; qui enim hanc ante illam disceret; principia scientificè non caleret: & consequenter, nec conclusiones.

2. Scientia facilior difficiliori præmittatur, dummodo tamen ex ista non dependeat: fortè enim difficultas, quæ in ipso itineris initio experitur, ab ejus perfectione tyrones avertet.

Particulatim autem in scientiis comparandis sequens ordo utiliter observabitur. 1. Addiscatur Arithmetica Elementaris, quæ ad cæteras scientias non modicum conducit. 2. Logica, est enim Ars sciendi, ac differendi. 3. Metaphysica intentionalis, quæ cum universaliora, abstractioraque speculetur, non parum luminis cæteris comparandis subministrat. 4. Geometria Elementaris, quæ omnino est Physicæ præmittenda; serè enim nul-

nullus est Physicæ tractatus, qui Geometria non indigeat. 5. Addiscatur Physica, seu rerum naturalium scientia. 6. Physicam sublequi potest Metaphysica intentionalis, Ethica, scientiæque illæ, quæ Physico-Mathematicæ appellantur.

## PROPOSITIO XIII.

*Methodus concertationis pro arguente.*


1. **A**rguens argumenta adhibeat, quibus syllogistica forma non desit: Sophismata fugiat: virum enim ingenuum non decet. 2. Directo ictu Adversantis fundamenta impetat, iis enim disiectis, quæ in eis stabilita est Thesis, profecto corruit. 3. Adversarium aggrediatur, non quasi per cuniculos, non fraudulenter, sed aperto Marte: ita ut adversarius ipse scopum in quem collimat, omnino perspiciat: neque enim argumenti vis in eo consistit, ut incautum cortripit respondentem, sed in rationis robore, ac efficacia. 4. Studeat semper id probare, quod negatum est. 5. A causalibus, quantum possibile sit, arguens absterneat: si enim negentur, difficile probabuntur: semper enim facilius probatur propositio Cathgorica, quam hypothetica. 6. Licet interdum aliqua syllogisticæ formæ interruptio, qua nempe brevis fiat, eorum, quæ negata sunt, aut concessa, recapitulatio, ut nempe ostendatur, quo loci sit status quæstionis, clariusque inde appareat, quid deinceps probandum incumbat. 7. A convitiis omnino abstineat: imò & clamorosas vociferationes fugiat: illa enim charitatem; ista verò modestiam maxime lædunt.



## PROPOSITIO XIV.

*Methodus concertationis pro respondente.*

1. **R**espondens fideliter repetere curet, si non eadem verba, integrum saltem argumenti sensum. 2. Singulis propositionibus directe respondeat, annuens, si vera sit: negans, si falsa; distinguens verò si fuerit ambigua. 3. Scopum, in quem collimat arguens, confestim inspiciat: sic enim nihil incaute concedet, quo ab arguente irretietur. 4. Habeat semper præ oculis illa principia, quibus Thesis, quam defendit, fulcitur; ut nempe cito rejiciat quidquid illis principiis adversari conspexerit: illa verò, quæ illis minimè adversantur, argumentanti ultro concedet. 5. Observet an Adversarius probeat, quod fuit ultimo negatum: si fecus faciat, liberè moneat non probare intentum. 6. Si quid obscure proponatur, postulet ut explanetur. 7. Quoties Syllogismus ob debitæ formæ defectum non concludit, concessis, aut permissis præmissis, negabit consequentiam: argumentumque in ipsum arguentem retorquebit, quod nempe non aliter faciet, quam similis formæ Syllogismus in alia materia proponendo, ut vel inde arguens ipse de male formato Syllogismo convincatur. In aliis verò casibus similes instantiæ locum non habent. 8. Sub finem tandem argumenti clarissimè quantum fieri possit, opinium mediorum brevi recapitulatione facta, ostendat respondens, quo argumenti vis tandem pervenerit, quæque fuerit eidem adhibita solutio.





## CAPUT IV.

## De ipsa Logica.

**P**OSTQUAM in præcedentibus actum est de scientiis in communi; de earumdem obiecto, & affectionibus; operè pretium judicavimus, ea quæ in communi dicta sunt, ad Logicam ipsam contrahere. Nec incongruè hujus rei tractationem ad Logicam calcem remissimus, licet in aliis scientiis in ipsa eorum fronte tradantur: prius enim oportuit prædicta in communi ostendere, quam quidquam eorum in ulla scientia, nec in ipsa Logica, determinare.

## PROPOSITIO XV.

*Obiectum Logicæ in communi statuitur.*

**E**X dictis prop. 15. hujus libri facillimè determinatur, quid in communi sit Logicæ obiectum. Dico enim obiectum materiale Logicæ, seu ejus subiectum esse omne illud, quod est, aut esse potest subiectum conclusionum, ac regularum ipsius Logicæ: obiectum autem formale ejusdem, esse omne illud, quod de prædicto subiecto demonstratur, probatur, ac præcipitur: unde est prædicatum conclusivum, ac regularum Logicæ. Quænam autem sint propria subiectum, ac prædicatum conclusionum, ac regularum Logicalium, & consequenter obiectum materiale, ac formale ipsius, breviter determino.



PRO-

## PROPOSITIO XVI.

*Conceptus obiectivi sunt obiectum materiale Logica.*

**C**onceptus obiectivi, qui melius *conceptuum obiectiva* appellarentur, sunt res illæ, quæ per conceptus mentales cognoscuntur, ac concipiuntur. Ad hujus insuper Theorematis intelligentiam supponendum est, quascumque res posse dupliciter considerari, vel *primo intentionaliter*, ut ajunt, vel *secundo intentionaliter*. Res *primo intentionaliter* sumptæ, sunt ipsæ prout sunt in se, & independenter ab intellectu: & quoniam in hoc statu obiectum sunt actus intellectus, eas primo, ac directè cognoscentis, qui & *intentio*, ac *tendentia* ad illud obiectum nuncupatur, idè sub hac consideratione dicuntur sumi res *primo intentionaliter*, seu prout sunt obiectum primarum intentionum. Res autem *secundo intentionaliter* sumptæ sunt quidem eædem, sed prout jam supponuntur cognitæ per actum supradictum, à quo quasdam susceperunt extrinsecas denominationes: prout itaque in hoc statu considerantur, iterum per secundum actum cognoscuntur: & quoniam quatenus jam cognitæ per primum, sunt obiectum secundi, qui *secunda intentio*, seu *tendentia* appellatur; idè res respectu hujus secundi actus sumi dicuntur *secundo intentionaliter*, seu quatenus obiectum sunt secundarum intentionum. Verum id sequenti exemplo amplius explicemus.

Petrus prout est in se, est obiectum actus dicentis *Petrus est homo*, qui est prima intentio, seu cognitio: unde

unde in hoc statu dicitur Petrus sumi *primo intentionaliter*, sive ut subest primæ intentioni. Idem autem actus prædictus dedit Petro denominationem extrinsecam *Subiecti*, fecit enim eum esse subiectum propositionis prædictæ, quatenus de ipso affirmavit esse hominem. Petrus itaque quatenus jam in ratione subiecti prædicto modo constitutus, dicitur sumi *secundo intentionaliter*: in hoc enim statu obiectum est alterius propositionis reflexæ afferentis: *In propositione dicente, Petrus est homo, Petrus est subiectum*: & quoniam hac propositio reflexa, eo quod primam supponat, est secunda, dicitur *secunda intentio*: & Petrus per illam cognitus, sumi dicitur secundo intentionaliter. His suppositis.

Dico conceptus obiectivos, seu res cognitæ, secundo tamen intentionaliter sumptas, esse obiectum materiale Logicæ. Ratio est, quia esse subiectum, prædicatum; antecedens, consequens; majus, extremum; minus, & medium; esse propositionem; argumentationem; esse genus, differentiam, &c. sunt termini secundæ intentionis, seu secundo intentionaliter sumpti; necessario enim cogniti supponuntur per illos actus intellectus, qui res illas fecerunt esse subiectum, prædicatum; genus, differentiam, &c. Atqui sub prædictis rationibus accepti, sunt obiectum materiale Logicæ: ergo conceptus obiectivi secundo intentionaliter sumpti sunt obiectum materiale Logicæ. Min. prob. Nam res in hoc statu sunt innumerabilium propositionum logicalium subiectum: Logica enim de illis, prædicto modo acceptis, Logicum artificium demonstrat, dirigit, ordinat, regulatque, ut ex præcedentibus constat: Omnes enim penè propositiones, ac regulæ Logicæ de illis prout sic acceptis loquuntur: neque enim actus intellectus, neque

que voces sunt subiectum, & prædicatum; genus, aut species, &c. quantumvis omnia prædicta significant: ergo in his omnibus conclusionibus, quæ dubio procul maxima sunt Logicæ pars, subiectum, seu obiectum materiale sunt præfati conceptus obiectivi secundo intentionaliter sumpti: eorundem autem passiva directio, seu artificium, est ejusdem Logicæ obiectum formale, ut statim patebit.

## PROPOSITIO XVII.

*Conceptus mentales, & voces sunt etiam obiectum materiale Logicæ.*

**D**ico 1. Conceptus mentales esse obiectum materiale Logicæ. Prob. Nam quamplurimæ sunt in Logica conclusiones, quæ de ipsis aliquid afferunt, tum & regulæ, quæ ipsos immediate artificiosè dirigunt: quod quidem artificium est obiectum formale Logicæ: ergo conceptus formales sunt ejus obiectum materiale. Anteced. prob. Omnia enim quæ de oppositione propositionum demonstrantur, tum & regulæ, quas Logica ad ejusdem cognitionem, ac formationem præscribit, de conceptibus formalibus immediate loquuntur: certum est enim actus mentales; non obiecta, esse quæ juxta diversos affirmandi, atque negandi modos, diversimodè opponuntur, nunc contrariæ, nunc contradictoriæ, &c. ergo multæ sunt tum conclusiones, tum regulæ Logicæ, quæ immediate de conceptibus formalibus loquuntur.

Dico 2. Etiam voces esse obiectum materiale Logicæ. Omnes enim conclusiones, quæ circa terminorum proprietates versantur, de vocibus, seu terminis vocalibus

bus loquuntur: tum & regulæ, quæ circa definitionem traduntur, de vocibus intelligi debent; ipsi enim inesse debet Logicum artificium, ut ex eis constructa definitio clara sit, ac perspicua; quod quidem artificium est obiectum formale Logicæ, ut statim patebit: ergo voces sunt obiectum materiale, seu subiectum Logicæ.

Confirmatur Architecturæ Civilis exemplo. Obiectum, seu materia hujus scientiæ sunt lateres, lapides, &c. non alia ratione, nisi quia Architectonicæ regulæ modum docent, quo secandæ, jungendæ, ac invicem sunt aptandæ, copulandæque, ut arcum, fornicem, compluvia, parietesque firmiter componant: atqui Logica eodem profus modo se gerit respectu vocum, illis saltim regulis, quibus formam expeditæ definitionis, divisionis, &c. dirigit: ergo quemadmodum lapides sunt obiectum materiale Architecturæ, ita & voces sunt obiectum materiale Logicæ.

## PROPOSITIO XVIII.

*Obiectum formale Logicæ est Artificium Logicum, seu Directio passiva.*

**A**rtificium Logicum est dispositio illa terminorum, id est, conceptuum tum obiectivorum, tum formalium, tum etiam vocum, quæ communiter *directio passiva* nominatur, & merito; illa enim dispositio, seu directio in ipsis terminis veluti recipitur, ac ob eandem scopus Logicæ tandem obtinetur, qui dispersa est ratio cinatio, rectusque, ac expeditus disserendi modus. Hoc itaque artificium, seu directionem passivam esse obiectum formale Logicæ probatur. Nam obiectum forma-

le cujusvis scientiæ est prædicatum conclusionis obiectivæ ad illam spectantis (1.): atqui præfatum artificium, ac directio est prædicatum conclusionum, ac regularum Logicæ: hoc enim est quod suis legibus præscribit, hoc etiam quod de suo obiecto materiali demonstrat: ut ex his, quæ in hoc Tractatu dicta sunt, satis colligitur: ergo hujusmodi artificium, ac directio passiva est obiectum formale Logicæ. Utrum autem hæc directio passiva sit ens rationis, vel potius ens reale intentionale, quæstio est omnino inutilis, nec quidquam ad Logicæ notionem conducit, ideoque in ea innotanda non immoror.

## PROPOSITIO XIX.

*Cætera ad obiectum Logicæ spectantia determinantur.*

**H**æc omnia ex dictis prop. 1. hujus lib. facillimè expediuntur. *Obiectum adæquatum* Logicæ est aggregatum ex obiecto materiali, & formali cujusvis conclusionis, seu regulæ Logicæ. *Obiectum totale* est aggregatum omnium obiectorum cunctarum conclusionum, regularumque logicalium. *Partiale* verò est obiectum unius, aut alterius conclusionis, aut regulæ. *Obiectum materiale proximum* sunt ea, quæ in præcedentibus conclusionibus assignavimus. *Remotum* autem sunt res secundum se consideratæ, seu, ut ajunt, *primo intentionaliter sumptæ*: sunt enim ut sic obiectum illarum cognitionum directarum, seu primarum intentionum ipsas constituentium in ratione obiecti materialis proximi. Ratio autem *sub qua* pertinent ad Logicam omnia illa, quæ juxta supra dicta sunt ejus ob-

obiectum materiale proximum, est eorundem dirigibilitas in rectum differendi modum, seu capacitas quam habent recipiendi artificium Logicum, ab eisdem regulis dirigentibus. Obiectum denique attributionis est recta intellectus operatio; ad hanc enim cuncta de quibus Logica agit, revocantur.

## PROPOSITIO XX.

*Logica est Scientia: & una unitate aggregationis, & distinctionis.*

**P**ROBATUR nam Logica conclusiones plerumque sunt certe, & evidentes, ex certis, & evidentibus principiis deducta: ergo Logica est scientia. Anteced. patet ex dictis: assignavimus enim Logicę principia certa, & evidentiā, ex quibus quamplurimas conclusiones deduximus certas etiam, & evidentes. Quod verò Logica una sit unitate ordinis, & aggregationis, quemadmodum & alia scientię constat ex dictis prop. 6.

## PROPOSITIO XXI.

*Logica est Scientia practica, & Ars.*

**S**CIENTIA Practica in eo ab Speculativa distinguitur, quod hæc in veritate sui obiecti contemplanda sistit; illa verò mentem ad aliquod opus agendum dirigit. Hoc autem opus esse potest, aut permanens, quales sunt Aedes, quæ Architectura dirigente, eriguntur: aut transiens, quod nempè tantum durat, quantum durat actio, seu operatio. Hæc insuper operatio, vel ab aliqua potentia extrinseca proficitur, ut in arte ca-

nen;

nendi, aut saltandi evenit; vel ab aliqua potentia interna provenit, qualis est in Philosophia morali voluntas, & in Logica intellectus: illa enim voluntatis operationes, ut honestatem, rectitudinemque retineant, dirigit; hæc verò intellectus operationes ordinat in rectum differendi modum.

His positis, assero Logicam esse scientiam practicam: tota enim ad id tandem ordinatur, in huncque scopum collimat, ut mentis operationes in rectum modum differendi disponat: & licet ipsæ respectu suorum obiectorum plerumque sint speculativæ; à Logica tamen artificiosè diriguntur, ac regulantur: ergo Logica est scientia practica.

Dices tamen, in Logica quamplurima esse Theoremata speculativa, ut ex dictis colligi potest: ergo saltem aliqua sui parte est speculativa. Sed respondeo, præfata Theoremata demonstrare quidem artefactum logicum, quod in esse obiectivo supponunt quasi jam factum: id autem minimè tollit Logicam esse absolute appellandam scientiam practicam: hæc enim Theoremata virtualiter saltem practica sunt, & ad praxim ordinantur: munus enim cuiusvis scientiæ practicę est, non solum regulas ad operationes ritè efficiendas instituire: verum etiam ipsas regulas, totumque artificium præscriptum, ad certa, ac indefectibilia principia reducere: ut inde regularum veritas, ac certitudo perspicue ostendatur: tota itaque Logica ad praxim collimat, & consequenter est scientia practica.

Hinc colligitur Logicam esse artem: certa namque ratione, certisque regulis, mentis operationes dirigit. *Artificium* autem Logicum est dispositio illa operationum mentis, quem Logica suis dirigentibus regulis inducit. *Artefactum* item Logicum est opus, ejus-



dem regulis dirigentibus factum, quales sunt Definitio, Divisio, Syllogismus, &c. Multa solent hic à Philosophis, de voce tamen disputari, quæ cum nullius ferè sint utilitatis, lubens omitto, huicque Tractatui finem impono.



COMPENDII  
PHILOSOPHICI.  
TRACTATUS II.

DE METAPHYSICA INTENTIONALI.



ÆC Philosophiæ pars, quam modo pertractandam suscipimus, mirum est quot ab Auctoribus laudibus afficiatur, nec immerito, cum animum ad altiora elevet fastigia, ut inde defæcatissima luce perfusus, cunctarum rerum universalissimas rationes,

totumque litterarium orbem, unico pene intuitu, abstractissimo licet, intueatur. Hanc Aristotelis sectatores Metaphysicam dixere, quasi transnaturalem, & ultra physicos limites prætergressam: à plerisque aliis prima Philosophia nuncupatur, cum quod ceteris Philosophiæ partibus præstantior sit: tum quod prima omnium disciplinarum principia complectatur, in quæ ceterarum scientiarum Theoremata tandem resoluntur.

Metaphysicam autem omninò bipartiendam judica-

vi, juxta geminatam sui obiecti abstractionem: prima siquidem ejus pars ea contemplatur, quæ solummodo intentionaliter, ut ajunt, seu intellectuali vi, à materia præscinduntur; altera verò pars, quæ Metaphysica realis, ac Theologia naturalis solet appellari, de iis agit, quæ secundum se sunt ab omni materia secreta, qualia sunt Deus, Angeli, & Animæ à corporibus separata: rectus autem docendi ordo requirit, ut modò primam, secundam post Physiologiam pertractemus.

Hinc clarissimè patet quanta sit hujus scientiæ utilitas, cum disciplinæ penè omnes ex ea pendeant, suaque principia ex ipsa mutuentur; imò antequam fiant scientiarum divortia, in eadem omnes, non secus ac in trunco rami, conjungantur. Cavendum tamen est, ne ita circa abstractas illas, & communes notiones occupemur, ut physicas, solidasque rationes oblitì, quæ physica sunt, metaphysicè solum pertractentur, ut non absque ingenti Philosophiæ naturalis incommodo, à plerisque fieri videmus: indubium est enim abstractissimarum rerum ideas, & quæ plerumque nihil sunt præter Logicas voces, abditis naturæ recessibus indagandis, licet non penitus sint inutiles, esse tamen profus infufficientes.

## PROLEGOMENA.

**P**Arum in his insudemus oportet, cuncta enim ex generalibus Theorematis, quæ in Logica stabilita sunt, facili negotio resolvuntur.

## PROPOSITIO I.

*Obiectum materiale Metaphysicæ intentionalis est quælibet ratio abstracta ab ente corporeo, & incorporeo; formale, ejus affectiones.*

**D**ICO 1. Obiectum materiale Metaphysicæ intentionalis esse quamlibet rationem ab ente corporeo, & incorporeo præcisam, eisdemque communem. Probat, quia obiectum materiale Metaphysicæ intentionalis est id, quod est subiectum suarum conclusionum; id est, id de quo Metaphysica agit, aliquid de ipso pertractans, ac demonstrans: sed ratio quælibet abstracta ab ente corporeo, & incorporeo est subiectum, de quo Metaphysica aliquid tractat, ac in suis conclusionibus aliquid demonstrat: ergo præfatæ rationes sunt subiectum materiale Metaphysicæ. Confirmatur, nam de rationibus illis abstractis ab ente corporeo, & incorporeo pleræque rationes, & proprietates possunt per principia certa demonstrari: sed hoc munus nulli alteri scientiæ competere potest quam Metaphysicæ, quæ generalissimas notiones ab omni materiæ concrezione liberas contemplatur: ergo prædictæ rationes sunt ejusdem obiectum materiale.

Hujusmodi autem rationes, utpote ab ente corporeo, & incorporeo præcisæ, latius pateant ente corporeo, necesse est; omnes autem ad quindecim sequentes revocantur. Ratio entis, ratio cogniti, ratio universalis, ratio substantiæ, ratio accidentis, ratio ordinis, seu respectus, ratio qualitatis, ratio causæ, ratio actionis, loci, temporis, motus, quantitatis, oppositionis, & negationis, de quibus agit Metaphysica intentionalis, ut in præsentì Tractatu patebit.

DICO 2. Obiectum formale Metaphysicæ esse affectiones omnes demonstrabiles de prædictis rationibus universalibus abstractis à corporeo, & incorporeo: hæc enim sunt quæ prædicantur, quæ dicuntur, quæ sciuntur, quæ demonstrantur de præfatìs rationibus, suntque prædicatum conclusionum Metaphysicæ, nec ob aliam

214 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
rationem agit Metaphysica de rationibus illis abstractis,  
nisi ut has proprietates, & affectiones de illis demon-  
stret: ergo juxta ea quę in Logica diximus, sunt ejus  
obiectum formale.

Hinc subiectum totale Metaphysicę est collectio illa-  
rum quindecim rationum communium, quas superiũs  
retulimus. Obiectum formale totale est collectio omnĩũ  
proprietas, & affectionum, quę de eisdem possunt  
demonstrari. Obiectum tandem adequatum est aggrega-  
tum ex obiecto materiali, & formali: sed hæc ex Lo-  
gica patent.

### PROPOSITIO II.

*Metaphysica est scientia, eaque speculativa.*

**M**etaphysicam secundum se spectatam esse scien-  
tiam, imò & scientiarum nobilissimam, nemo  
dubitatur, cũ de ejusdem obiecto quam plurimę possint  
proprietas ex certis, & evidentibus principiis demon-  
strari.

Esse autem merè speculativam est certum, cum in  
sola veritatis cognitione conquiescens, nullatenus suum  
obiectum dirigat, imò nec dirigere possit. Quid  
enim, amabo, dirigit? Quodnam artefactum ex ab-  
stractissimis illis ideis componere poterit? Certè nul-  
lum: ergo est scientia merè speculativa. Hinc Meta-  
physica sic definiri potest. *Scientia speculatrix agens  
de rationibus universalissimis, communibus enti cor-  
poreo, & incorporeo.* His positis.

Fores jam Metaphysicę attigimus; sed in ipso limi-  
ne paululum hareamus, dum aliqua tyronibus prælibo,  
ut plenius, atque scilicet per ejus semitas incedere  
possint. Occurreret fortasse statim netio quis timor, quo  
mens metaphysicas abstractiones, quasi reformidans, ad  
sublime illud humanę sapientię fastigium vix audebit

ad-

adrepere; præcipuè dum incedere incipiens, invium  
quasi tramitem cernet, innumeris penè terminorum, &  
distinctionum nominibus exasperatum in dies succres-  
centium, ubi nullus incessus sine hoste, vix una definitio  
sine lite; nulla ferè conclusio absque contradictione:  
demonstratio hæctenus nulla; sed cuncta disputationibus  
ita credita; ut unus tantummodo videatur totius Me-  
taphysicę finis, de qualibet videlicet re in utramque  
partem disputari. Ut itaque planior ad hujus sapientię  
culmen reddatur via, præfata scopula complanare co-  
nabor: idcirco definitiones præmittam more geometri-  
co constructas, id tantum exprimentes, quid videlicet  
tali nomine intelligatur: his succedent Axiomata, pau-  
ca certè; sed universalissima: Quæstiones insuper pror-  
sus inutiles rejiciam; cetera verò concatenata proposi-  
tionum serie enucleare curabo. Utinam feliciter.

~~~~~

## LIBER I.

### DE ENTE SECUNDUM SE.

**E**nti secundum se, & universalissimè sumpto,  
competunt Abstractio, seu Præcisio: Essen-  
tia, & Existentia: Actualitas itidem, & Possi-  
bilitas, quę omnia certa ratione, ac ordinata Methodo  
tradentur, ut facilius percipiuntur.

#### DEFINITIONES.

1. **E**Ns est id quod existit.
2. **P**ossibile est id quod potest existere.

3. Im:

3. *Impossibile est quod non potest existere.*  
 4. *Essentia rei est id sine quo res, neque esse, neque concipi potest: ideoque est ejus propria Idea.*  
 5. *Existentia est id quo res actu esse dicitur. Et consequenter est Actus entitativus. Dicitur Actus entitativus, quia est actus entis ut ens est; seu id quo aliquid est actu Ens, seu actu existit.*

*Aliter plerique loquuntur: dicunt enim, Ens esse id quod existit, vel potest existere; ita ut Ens in communi supponat pro ente possibili, & pro existente: illudque appellant Ens in potentia, Ens possibile, seu quod potest existere: hunc verò, Ens in actu, Ens actuale, Ens reale, seu actu existens. Ens possibile dicitur ab eisdem, Ens nominaliter sumptum; sumitur enim quasi nomen substantivum significans quidditatem rei; Ens autem actuale, seu reale dicitur Ens participialiter sumptum, quasi esset, invita tamen latinitate, participium ab esse deductum. Dissensio ut vides est de voce, nam quod ii appellant ens possibile ego voco quod potest esse ens, cum tale non sit, in illo statu pure possibilitatis. Sed per me licet, loquere, prout malueris.*

6. *Quidditas rei, Species, Entitas, Natura idem omnino significant, ac Essentia. Esse enim rei in abstracto dicitur Essentia, quæ quatenus ex genere, & differentia constat, Species appellatur. Entitas verò dicitur quasi abstractum quoddam ab Ente: quemadmodum & ipsum esse, seu quid rei termino abstracto Quidditas nominatur. Hæc autem sive Essentia, sive Species, sive Entitas, sive quidditas rei, si consideretur quatenus est principium sua operationum, Natura appellatur juxta Aristotelicum sensum. Vides omnia prædicta idem omnino esse, licet à nobis sub diversis*

nominibus exprimentur, ac fortè sub diversis respectibus concipiuntur.

7. *Essentia duplex est Metaphysica videlicet, & Physica: seu ut melius dicam, Essentia dupliciter considerari potest metaphysicè videlicet, & physicè. Essentia metaphysica est esse, seu quidditas rei per terminos metaphysicos expressa, inter se idemificatos, id est, per genus, & differentiam; quæ expressio idcirco definitio metaphysica appellatur. Essentia physica est idem esse rei quatenus post terminos physicos, materiam videlicet, & formam, quibus constat, explicatur, quæ quidem explicatio idcirco rei definitio physica dicitur.*

#### AXIOMATA GENERALISSIMA.

1. **I**mpossibile est idem simul esse, & non esse.
2. **Q**uodlibet est, vel non est.
3. *De nullo secundum idem est vera affirmatio, & negatio.*
4. *Quidquid est, quamdiu est, necesse est esse.*
5. *Omne Totum est majus sua parte.*

Omnia hæc Axiomata universalissima sunt, & ex ipsis terminis nota; certum tamen primatus ordinem solent in eisdem assignare Philosophi, qui idem ferme est, quo à me superius sunt recensita.

Axioma itaque omnium primum est istud, *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Ratio est, quia hujusmodi principium ita est ex terminis notum, ac intellectui perspicuum, ut nullo alio medio priori se, aut evidentiori demonstrari possit ostensivè, ut dicitur: testem advoco experientiam. Deinde nullatenus demonstrari potest reductivè, ut ajunt, ad incommodum, seu impossibile: cætera enim sive principia, sive Theoremata, dum per deductionem ad incommodum volumus



mus confirmare, illa negantem, etiam invitum, ad præfatum impossibile concedendum trahere conamur, atque reducere: ergo prædictum Axioma est omnium primum.

Secundum Axioma est sequens: *Quodlibet est, vel non est.* Illud enim per supradictum demonstrari potest; licet non ostensivè, deductione tamen ad incommodum, seu impossibile, hoc modo: si non est verum quodlibet esse, vel non esse: ergo potest idem simul esse, & non esse; quod vi præcedentis principii est maximum incommodum, & impossibile. Cætera autem Axiomata superius adlata fundantur in primo, vel in utroque, aut saltem per primum confirmantur, quatenus protervè illa negans reduceretur ad impossibile. De his tamen fatis, quia fatis perspicua.

## CAPUT I.

*De Præcisionibus, seu abstractionibus.*

Cum entis conceptus, & cuncta quæ à Metaphysica pertractantur, abstractissima sint, oportet primum de præcisionibus agere, quæ subtilioribus quidem ingeniis plurimam in Scholis ludendi copiam faciunt. Præmittam itaque speciales circa id definitiones.

## DEFINITIONES.

1. *Præcisio in communi est unum cognosci sine alio.*  
Hinc in qualibet præcisione duo sunt, & id quod præcinditur, & id à quo præcinditur: id quod præcinditur, exprimitur per actum præcipientem, sive hujusmodi actus apprehensio sit, aut judicium; id verò à

quo præcinditur, non exprimitur ab intellectu, neque per apprehensionem, neque per Judicium: unde ortum est illud axioma: *Præcipientium non est mendacium:* id enim à quo præcinditur tacetur ab intellectu. Quod optimè explicatur sumpta analogia à præcisione vocali. Qui solum dicit Petrum esse sapientem, præcindit ejus sapientiam ab ejus sanctitate: illam enim exprimit, & affirmat; hanc verò nullatenus exprimit, nec affirmat, nec negat, sed tacet; unde vocaliter ab aliquo præcinderè, est de illo nihil dicere, sed tacere: ergo similiter præcinderè de aliquo mentaliter, est illud non exprimere, sed mentaliter tacere.

Præcisio alia est *formalis*, sive ex parte actus; alia *obiectiva*, sive ex parte obiecti.

2. *Præcisio formalis sive ex parte actus*, est actus intellectus præciciens, seu cognoscens unum sine alio. *Præcisio obiectiva* est unum obiectum esse cognitum; non verò aliud.

Tam præcisio formalis, quàm obiectiva potest esse *Physica*, & *Logica*.

3. *Præcisio formalis physica est actus intellectus quo unum obiectum attingitur realiter, physice, & entitativè, & non attingitur realiter, physice, & entitativè aliud:* ut cum cognosco Petrum; non verò Paulum. Et circa idem obiectum, *est actus intellectus attingens realiter, physice, & entitativè unam obiecti rationem; & non attingens realiter, physice, & entitativè aliam rationem cum prima realiter idemptificatam.* An id sit possibile dicemus postea. Ratio autem in obiecto est *id quo tale, vel tale dicitur:* ut esse vivens sensitivum est ratio animalis, seu animalitas in homine, quia est ratio ob quam Homo dicitur Animal: quemadmodum esse discursivum, seu rationalem est ra-

tio ob quam homo dicitur rationalis.

4. *Præcisio obiectiva physica est unum obiectum esse physicè, realiter, & entitativè cognitum, non cognitum physicè, realiter, & entitativè alio.* Et si huiusmodi præcisio detur inter eisdem obiecti rationes realiter idemtificatas, est unam rationem realiter, physicè, & entitativè cognosci ab intellectu, alia ab eodem non cognita realiter, physicè, & entitativè.

5. *Præcisio formalis Logica est actus intellectus quo attingitur realiter quidem, & physicè totum obiectum, & omnis ratio quæ cum illo idemtificatur; perinde tamen se habet in ordine ad scientias humanas, atque si attingeret unam rationem sine alia, quæ tamen eadem est cum illa: ver. gr. licet in homine per eundem actum dicentem homo est animal attingatur animalitas, & rationalitas; Logicè tamen, & in ordine ad scientias humanas perinde se habet ille actus, ac si attingeret animalitatem sine rationalitate: sed hæc infra uberius patebunt.*

6. *Præcisio obiectiva Logica, est obiectum ipsum quod re vera attingitur per actum intellectus secundum omnem rationem cum illo idemtificatam; Logicè autem & in ordine ad scientias humanas perinde se habet una ratio, ac si attingeretur sine alia.*

7. *Formalitas est ratio qualibet in obiecto quatenus dicit habitudinem ad actum intellectus, per quam potest præscindi ab alia.* Ver. gr. Animalitas in homine est formalitas; itemque rationalitas, quia potest intellectus cognoscere animalitatem absque eo quod saltim expresse cognoscat rationalitatem; vel è contra.

Magna est circa Præcisiones inter Auctores contentio; alii enim præcisiones obiectivas mordicè tuentur; alii eas tamquam impossibiles rejiciunt; solasque formales

les defendunt. Quod verò in his quotidiana experientia compertum habemus, est: Intellectum nostrum, utpotè limitatum, non ita rem aliquam cognoscere, ut percepta aliqua ejus perfectione, statim omnes comprehendat, imò sæpè sapius evenire solet, ut una cognita, de aliis quamvis cum illa realiter idemtificatis, nullas profus ideas habeat, quibus instructus de illis perfectionibus rationem aliquam reddere possit. Sit exempl. gr. homo, qui non solum est animal, verùm & rationale, & tamen ei qui cognoscit Animal, multoties non occurrat idea rationalis: imò interrogatus an Animal illud, quod cognoscit, sit rationale, respondebit illicò se nescire. An autem nescientia hæc vocari debeat totalis ignorantia *Rationalis*, quod nullam de eo formet ideam? An verò non debeat sic vocari, eo quod cognoscat *animal* idemtificatum cum *rationali*? nihil aliud esse videtur præter questionem de solo nomine; sed ne difficultates hic obvias subterfugere eo nomine videar, & ut mentem meam clarius aperiam, sequentes propositiones subjungo.

## PROPOSITIO I.

*Eodem modo quo dantur præcisiones formales dantur, & obiectiva, & è contra.*

**R**atio est, quia conceptus formalis non potest esse sine obiectivo: si enim actus intellectus ex duabus perfectionibus inter se idemtificatis cognoscit unam, non cognita alia; certè illa perfectio obiectiva cognita est per illum actum; non verò ista. Porro si actus intellectus cognoscit unam ex dictis perfectionibus clarè, & alteram confuse; etiam erit verum illum perfectionem cognitam esse clarè; hanc verò confuse: ergo eodem modo quo dantur præcisiones formales, dantur & obiectivæ.

## PROPOSITIO II.

*Non dantur, neque dari possunt præcisiones obiectivæ physicae inter perfectiones realiter idemptificatas.*

**P**robatur, ut detur præcisio obiectiva physica inter huiusmodi perfectiones, necesse est (defin. 4.) unam rationem, seu perfectionem realiter, physice, & entitative cognosci; & aliam cum illa idemptificatam realiter, physice, & entitative non cognosci: sed hoc est impossibile: ergo & prædictæ præcisiones. Minor probatur, unam perfectionem realiter, physice, & entitative cognosci, est cognosci ejus realitatem, & entitatem; sed impossibile est cognosci realiter ejus entitatem, & realitatem; & non cognosci illud quod est ejus realitas, & entitas, seu quod cum ipsa est idem entitative, & realiter: ergo impossibile est cognosci realiter, physice, & entitative unam perfectionem; & non cognosci eodem modo aliam rationem cum illa realiter idemptificatam. Hinc si darentur præcisiones obiectivæ physicae, sequeretur verificari prædicata contradictoria de eadem realitate: nam animalitas Petri, & rationalitas Petri sunt una, & eadem realitas, & entitas: sed si detur præcisio obiectiva physica, animalitas Petri realiter cognoscitur; rationalitas verò ejusdem realiter non cognoscitur: ergo eadem realitas cognoscitur, & non cognoscitur: sed cognosci, & non cognosci sunt prædicata cōtradictoria: ergo si admittantur præcisiones obiectivæ physicae verificabuntur prædicata contradictoria. Hoc argumentum commune est, efficacissimum tamen, cui præcisionum obiectivarum propugnatores diversimodè conantur respondere.

1. Aliqui respondent de eadem re posse verificari præ-

prædicata contradictoria extrinseca, qualia sunt cognosci, & non cognosci. Sed contra, Prædicata contradictoria intrinseca, ver. gr. *esse album, & non album*, nequeunt simul verificari: ergo neque extrinseca *cognosci, & non cognosci*. Probatür consequens, idèd non verificantur prædicata intrinseca *esse album, & non esse album*, quia unum negat aliud; & si unum est, aliud non est: sed etiam unum extrinsecum negat aliud extrinsecum; ver. gr. non cognosci negat cognosci: ergo si unū est, aliud nō est: ergo nō minus implicat verificari prædicata contradictoria extrinseca, quam intrinseca. Quærere itaque oportet Adversarios, qualiter illa prædicata extrinseca desinant esse contradictoria, ut simul possint verificari.

2. Dicunt aliqui, illa prædicata extrinseca *cognosci, & non cognosci* non esse propriè contradictoria, quia loquuntur de perfectionibus extrinsecè, seu per extrinsecam denominationem distinctis; licet intrinsecè, & entitative non distinguantur: quemadmodum igitur ut prædicata intrinseca nō sint contradictoria, & verificentur, sufficit ut perfectiones, de quibus loquuntur, sint intrinsecè distinctæ; ita ut prædicata extrinseca *cognosci, & non cognosci* desinant esse contradictoria, sufficit ut loquantur de perfectionibus, quæ licet entitative sint idem, sint tamen extrinsecè distinctæ, per denominationem scilicet extrinsecam ab actu intellectus præcinnente, seu cognoscente, ver. gr. Animal, & non rationale; vel è converso.

Hæc tamen responsio est omninò insubsistens: 1. quia omnis distinctio est intrinseca extremis distinctis, 2. quia perfectiones illæ sunt extrinsecè distinctæ per denominationem receptam à prædictis actibus: ergo hæc distinctio extrinseca consequens est ad prædictos actus:

ergo ante illam præsupponuntur illi actus : ergo ante illam distinctionem extrinsecam verificatam illa prædicata contradictoria cognosci, & non cognosci : ergo hujusmodi prædicata verificantur de extremis tam intrinsecè, quam extrinsecè indistinctis. Confirmatur, nam prædicta distinctio extrinseca formalissimè consistit in eo, quod Animal sit cognitum per cognitionem experimentem Animal, non verò Rationale : ergo cum dicis prædictas cognitiones esse simul veras, quia inter Animal, & Rationale datur illa distinctio extrinseca, nihil aliud dicis, quam ideò verificari cognosci Animal, & non cognosci rationale, quia animal est cognitum per illam cognitionem; non verò Rationale, quod est idem quod quæritur.

3. Dicunt alii verù quidè esse de eadè entitate proptèr est à parte rei nūquā posse verificari prædicata cōtradictoria; ceterum si realis illa entitas dividatur per rationè in duas formalitates, optimè posse verificari de una quod de alia negatur, quia jam inter illas formalitates datur distinctio actualis rationis. Sed hæc responsio in idem ferrè recidit ac præcedens. Quæro namque ab his Auctoribus quare in eadem entitate, ver. gr. hominis, formalitates illè animalitatis, & rationalitatis sint formaliter actu distinctæ? Ideò, inquirunt, quia realis hominis entitas dividitur per actum intellectus in illas duas formalitates: iterum quæro qualiter per actum intellectus dividatur in duas illas formalitates? Respondent, quia per actum illum cognoscitur animal; non verò rationale: ergo prius est cognosci animal, & non rationale, quam illius realitatis bisectio in duas formalitates: & consequenter prius est verificari illa prædicata contradictoria *cognosci, & non cognosci*, quam actualis illa distinctio rationis: ergo hæc impertinens est ad

præ-

prædictam verificationem.

Respondent plerique sufficere ad præfatam verificationem quod antecedenter ad prædicata illa contradictoria supponantur animal, & rationale fundamentaliter distincta, & quod in actu exercito per cognosci unum non cognito alio, fiant actu formaliter distincta. Cæterum cum distinctio illa fundamentalis actualis non sit, nihil enim est præter fundamentum ut intellectus, per prædictam cognitionem animalis sine rationali, ponat distinctionem rationis, nulla certè actualis distinctio præsupponitur ad illa prædicata contradictoria: ergo nullatenus valent verificari.

Dices cognitio illa prius in executione est practica, & præcisiva, quàm cognoscitiva: & ut practica, & præcisiva prius distinguit extrema, & reddit capacia ut cognoscatur unum, altero non cognito. Sed contra nam cognitio in tantum est præcisiva, in quantum cognoscit unum sine alio; hoc enim est præscindere: ergo dicere cognitionem prius esse practicè præcisivam, quàm cognoscitivam unius sine alio, est implicantia.

4. Recurrunt alii ad distinctionem quandam virtutalem intrinsecam; dicuntque ratione illius posse sine contradictione verificari prædicata illa contradictoria: judicant enim posse illa prædicata convenire subiecto illi quod re vera est unum realiter; sed multiplex virtualiter: ceterum si hæc virtualis distinctio actualis non sit, omninò est insufficientis ad præfatam contradictoriorum verificationem: actualem autem non esse, infra patebit. Alia omitto, quæ nihil esse videntur præter verborum involuera.

Nunc autem solvamus oportet, quæ ab Adversariis contra nostram conclusionem objici possunt. Ad quorum solutionem suppono, in communi, ac vulgari ac-

Comp. Phil. Tom. I,

P

cep:



ceptione, illa dici à nobis absolute cognosci, quorum peculiare effectus, proprietates, & habitudines possumus assignare, explicare, probare, &c. Illa verò quorum habitu dines, proprietates, &c. non possumus assignare, dicuntur à nobis non cognosci, seu ignorari, quia perinde se habent, ac si non cognoscerentur: ita autem aliquid cognosci, ut vi illius cognitionis possint supradicta affirmari, explicari, &c. est ita cognosci, ut simul cum illis cognoscantur termini illi, effectus, & proprietates prout à predictis rebus pendent, aut oriuntur. Id tantum hic indicasse sufficiat, nam postea uberius explicabuntur.

Obijciunt itaque 1. Argumentum in quo maximam vim ponunt præcisionum obiectivarum propugnatores. Cum hominem eminens ambulantes videmus, licet ex ejus motu cognoscamus esse animal; ob distantiam tamen ignoramus esse hominem, seu rationalem: ergo cognoscitur esse animal, & non cognoscitur esse rationale: ergo datur præcisio obiectiva physica.

Respondeo in predicto casu cognosci hominem, & etiam rationale, ita tamen ut rationale perinde se habeat in ordine ad illum actum atque si non cognosceretur: cum enim cognoscens ex vi illius cognitionis nequeat predicare de illo subiecto discursum ceterasque affectiones proprias rationalis, neque illas assignare, explicare, &c. ita cognoscitur ille homo, ac si solum esset animal; non verò rationale. Unde absolute & in sensu vulgari dicimus in illo casu non cognosci rationale, seu ignorari rationalitatem illius obiecti ex magna distantia spectati. Respondeo itaque in forma, cognoscitur in illo casu animal, non cognito rationali in sensu physico, reali, & idemptico, nego: non cognito rationali in sensu vulgari, & communi, concedo; & nego consequentiam.

tiam. Quod autem in sensu physico, & idemptico cognoscatur in hoc casu non solum animal; verum & rationale probatur: nam si alter ab illo, qui prædictum iudicium tulit de homine à longè spectato, diceret illi, hoc quod tu vides, & cognoscis est rationale, verum diceret: ergo quod ille cognoscit est rationale, in sensu videlicet physico, & idemptico.

Obijciunt 2. In propositione dicente Homo est animal, affirmatur de homine animal, & non affirmatur rationale: ergo per eandem cognoscitur animal, & non cognoscitur rationale; neque enim minus opponuntur contradictoriè *affirmari*, & *non affirmari*, quam *cognosci*, & *non cognosci*. Resp. In adlata propositione affirmari de homine animal quod realiter est rationale; & consequenter affirmatur etiam realitas rationalis, seu rationale in sensu physico, & idemptico. Ceterum in sensu communi non affirmatur rationale; non enim ex vi illius affirmationis possunt de homine affirmari, & demonstrari effectus rationalis, seu discursus: seu ut alii loquuntur, in dicta propositione affirmatur de homine tota ejus essentia in ordine ad sensationem; non verò in ordine ad discursum.

Obijciunt 3. Quando Philosophus naturalis ex creaturis Deum cognoscit, non cognoscit Trinitatem licet Trinitas idemptificetur cum Deo: ergo neque actus cognoscens in homine animal, necesse est ut cognoscatur etiam rationale. Respondeo distinguens majorem: Philosophus ille non cognoscit Trinitatem in sensu communi, & vulgari, concedo; in sensu physico, & idemptico, nego. *Explicatur.* Philosophus cognoscens ex creaturis Deum, cognoscit Deum verum; id est, Deum, qui unus cum sit, est in Personis Trinus; unde cognoscit Trinitatem in sensu physico, & idemptico; seu Deum qui

qui est Trinus; non verò cognoscit Trinitatem in sensu vulgari, ita ut possit subsistentias relativas, processiones, & alia similia de Deo affirmare: unde perinde se habet illa cognitio, ac si non esset cognitio Trinitatis. Alia quæ obijci possunt ex dictis solvantur.

## PROPOSITIO III.

*Non dantur, neque dari possunt præcisiones formales physica.*

**P**robatur, quia si darentur præcisiones formales physica, darentur, & obiectivæ, (1.) sed hæ non dantur (2.): ergo nec illæ. Præterea, quia repugnat intellectum cognoscere simul, & non cognoscere realiter, & physice rationem ejusdem obiecti: sed hoc faceret præcisio formalis physica (def. 2.): ergo est impossibilis.

## PROPOSITIO IV.

*Nulla datur in rebus naturalibus formalitas, quæ competat præcisioni obiectivæ physica.*

**R**atio est, quia nullæ dantur præcisiones physica, ut vidimus: ergo nullæ dantur in obiecto diversæ rationes, quæ illis competere possint.

## PROPOSITIO V.

*Dantur præcisiones obiectivæ logica.*

**I**Ta Mousnierus ex P. Honor. Fabry in *Metaph. demonstrativa*, prop. 34. Probatur, quia per defin. 6. nomine præcisionis obiectivæ Logicæ nihil aliud intelligimus, quam ita attingi ab intellectu unam rationem obiecti, ut licet simul cum ipsa attingatur quidquid obiecto inest, & cum ipso realiter idem significatur; tamen in ordine ad scientias humanas perinde se habet illa ratio, atque si attingeretur sine alia: sed hoc nullam in-

volvit implicantiam: imò ita de facto evenit; non enim aliter affectiones obiectorum demonstrantur à scientiis: ergo dantur hujusmodi præcisiones obiectivæ Logicæ.

Explicatur amplius, licet in Homine, quando attingitur animal, attingatur etiam physice, & idemphysice rationale; perinde tamen se habet in ordine ad scientias humanas, ac si attingeretur sine rationali; & ratio est, quia ad demonstrandas proprietates animalis omninò impertinens est cognitio rationalis: imò cum Physica agit de Animali, seu principio sensationis, de omni animalis affectiones sensitivi demonstrat: exemp. gr. dum considerat potentiam visivam, ejusque organizationem, non considerat eam in homine potius, quam in Bove: perinde itaque considerat rationem Animalis in homine quam in Bove: sed animal quod Bovi inest est distinctum à rationali: ergo perinde considerat rationem animalis in homine, ac si diversum quid esset à rationali, in ordine scilicet ad scientias humanas. Præterea in ordine ad illas ita cognoscitur rationale per cognitionem prædictam, ac si non cognosceretur; solum enim cognoscitur quatenus est idem realiter cum principio sensationis; non verò ita ut ex vi illius cognitionis possint affirmari, & explicari affectiones rationalis, seu hominis ut discursivi: sed hoc est Præcisio Logica: ergo admittenda est hujusmodi præcisio.

Quæres tamen in quo stet ut ex vi cognitionis prædictæ homo est animal, possint affirmari, & explicari affectiones animalis; non verò rationalis. Respondeo stare in eo, quod per illam cognitionem attingantur affectiones illæ, seu connotata animalis, & consequenter ordo quem homo dicit ad illa; non verò attingantur affectiones, & connotata rationalis, & consequenter nec ordo,

ordo, seu habitudo hominis ad illas, saltem ita ut de hac habitudine aliquam rationem reddere possit.

Sed dices, ordo hominis ad sensationem, & ordo ejusdem ad discursum, sive ad ejusdem affectiones, sunt realiter idem cum homine, & consequenter inter se: sed per cognitionem *Homo est animal*, cognoscitur ordo hominis ad sensationem, & non cognoscitur ejusdem ordo ad discursum: ergo de eodem realiter ordine verificantur prædicata contradictoria *cognosci*, & *non cognosci*: igitur in eundem tandem scopulum incurrimus, quem vitare conabamur. Respondeo concessa majori, distingo minorem, per illam cognitionem cognoscitur ordo hominis ad sensationem, & non cognoscitur ordo ad discursum physicè, & idempticè, nego: & non cognoscitur ordo ad discursum logicè, & in ordine ad scientias humanas, concedo, & nego consequentiam. Itaque per cognitionem prædictam cognoscitur physicè, & idempticè ordo ad discursum, seu tota entitas realis, quæ dicit ordinem illum ad discursum: caterum in ordine ad scientias humanas ita cognoscitur ordo ille ad discursum, atque si non cognosceretur; cum enim ejus terminus, scilicet discursus, nullatenus attingatur, per inde se habet ad prædicationes, explicationes, &c. atque si ordo ille non attingeretur: ex quo alia quæ obijci possunt faciliè dissolventur.

## PROPOSITIO VI.

*Dantur præcisiones formales Logicæ.*

**I**nsertur ex dictis, nam (5.) datur ratio in obiecto, quæ logicè attingitur sine alia: ergo datur re vera actus, quo illa ratio attingitur: sed talis actus est præcisio formalis Logica (def. 5.): ergo datur præcisio formalis Logica.

PRO-

## PROPOSITIO VII.

*Hinc dantur formalitates Logicæ.*

**P**atet, nam datur ratio in obiecto, quæ attingitur logicè sine alia: ergo potest attingi logicè sine illa: ergo dicitur habitudinem ad illum actum, per quem potest logicè præcindi: sed hæc ratio cum illa habitudine est formalitas Logica (def. 7.): ergo dantur formalitates Logicæ.

## CAPUT II.

*De conceptu Entis.*

**U**T ea quæ in præsentis capite tractanda sunt, faciliè intelligantur, adverto, conceptum alium esse formalem; alium obiectivum. Formalis est ipsa cognitio, qua res apprehenditur, ac concipitur. Obiectivus est ipsa res, seu ratio per intellectum apprehensa, quatenus est obiectum prædictæ apprehensionis. His suppositis sit.

## PROPOSITIO VIII.

*Conceptus Entis est formaliter unus.*

**C**onceptum Entis esse formaliter unum nihil est aliud, quam dari unum conceptum formalem, seu cognitionem attingentem omnia entia sub unica ratione Entis. Dico itaque *Conceptum Entis esse formaliter unum*. Probatur experientia, quia actu facio hanc propositionem: *Omne Ens est intelligibile*: sed hæc propositio, una cum sit, attingit omne Ens; idque procul ab omni distractione in varios conceptus diffe-

ren-

rentiales: ergo attingit omnia entia sub eadem ratione Entis: sed hoc est, ut dixi, conceptum Entis esse formaliter unum: ergo hic conceptus est formaliter unus.

## PROPOSITIO IX.

*Conceptus obiectivus Entis est logicè unus; licet realiter multa.*

**T**Ria complectitur hæc propositio, nempe dari conceptum obiectivum Entis: esse realiter multa; & logicè unum. Dico itaque 1. *Dari conceptum obiectivum Entis.* Probatur, omni conceptui formali respondet conceptus obiectivus: omnis enim conceptus formalis alicuius obiecti est conceptus: sed (8.) datur conceptus formalis Entis: ergo & obiectivus.

Dico 2. *Predictum conceptum obiectivum Entis esse realiter plura.* Probatur ex his quæ diximus in Logica, nam conceptus obiectivus nihil aliud est quam res concepta, seu obiectum conceptus formalis: atqui res concepta per conceptum formalem Entis non est realiter una; sed omnia entia realiter distincta: ergo conceptus obiectivus Entis non est unum realiter; sed plura.

Dico 3. *Conceptum obiectivum Entis esse logicè unum.* Probatur, nam ut dixi in Logica: Multa physice, & realiter distincta esse logicè unum, est ita se habere in ordine ad scientias; id est, in ratione subiecti, & prædicati, atque si essent unum: sed omnia entia ita se habent in ordine ad subiectionem, & prædicationem, seu in ordine ad scientias, ac si essent unum: ergo omnia sunt logicè, & obiectivè unum. Minor probatur in hac propositione: *Omne Ens est intelligibile:* in hac enim ita se habent omnia entia ex parte subiecti, ac si essent quid unum, ut videlicet de ipsis prædicatum in-

*intelligibile* enunciatur, demonstratur, &c. & sic de reliquis: ergo omnia entia, licet realiter plura, ita tamen se habent in ordine ad scientias, nempe prædicationes, ac subiectiones, atque si essent unum: ergo sunt unum obiectivè; non quidem physice, sed logicè. Vide quam facilis sit hic explicandi modus, qui certè quamplurimis disputationibus de solo nomine viam præcludit,

## PROPOSITIO X.

*Conceptus Entis ad Deum, & creaturas non est equivocus.*

**R**atio est, quia in equivocis, ut in Logica dixi, solum nomen est commune; ratio verò per illud significata est omnino diversa: sed Deo, & creaturis non solum competit nomen *Ens*, verum etiam ratio existentis, seu habentis esse per nomen Entis significata; verè enim existunt Deus, & creaturæ: ergo conceptus Entis non est equivocus respectu Dei, & creaturarum.

## PROPOSITIO XI.

*Conceptus Entis non est propriè, & rigorosè univocus respectu Dei, & creaturarum.*

**G**ravis est hac de re inter Philosophos controversia: alii enim cum Scoto tuentur Ens esse univocum respectu Dei, & creaturarum; alii verò cum S. Thoma id absolute negant. Caterum tota lis magis ad voces, quam ad rem ipsam spectare videtur, quæ procul dubio cessaret, si omnes in univoci intelligentia univocè convenirent: id enim in hac re compertum habetur, Deum nempe, & creaturas esse propriè Ens: propriè existere; & consequenter propriè rationem Entis participare: ceterum Deum esse Ens à se, necessarium, infinitum, & suum esse; creaturas verò esse ab alio,



nempè à Deo : esse contingenter; & cum ingenti limitatione. An autem hæc tam insignis diversitas, cui nulla similis, extrahat rationem Entis ab illorum serie, quæ univoca vocantur, & in Analogorum cætum inducat, quæstio, ut dixi, est de nomine; in qua id mihi præstantius videtur, eum videlicet loquendi morem servare, in quem Sancti Petrus magis propendunt, quique divinæ excellentiæ, & majestati plus consentire videtur.

Dico itaque *Conceptum Entis non esse propriè, & rigorosè univocum respectu Dei, & creaturarum.* Probatur 1. Deus ut Ens est, est Ens à se, & omninò independens; non enim sub alio conceptu possumus concipere esse Ens à se, nisi quatenus est Ens; creaturæ verò in ratione Entis essentialiter pendent à Deo: ergo ratio Entis non est omninò eadem in Deo, & creaturis, qualiter ad strictam univocationem requiritur: ergo respectu illorum non est rigorosè univoca.

Dices rationem præcissam Entis esse omninò eandem, quia ejus idea nihil est aliud præter *habens esse*, quod equè verum est in Deo, & creaturis; in Deo autem esse essentialiter à se; & in creaturis esse contingenter, & ab alio, scilicet à Deo, totum inquam hoc, se tenet ex parte differentiarum, ideoque univocationem non tollit. Sed contra, quia id quo creatura dependet à Deo, est Ens; non enim aliter dependet à Deo nisi quatenus est Ens, seu habet esse à Deo; Deus verò ita est essentialiter Ens ut essentialiter sit suum esse; multoque magis, ac strictius convenit Deo esse Ens, quam homini esse animal rationale: ergo esse essentialiter, & à se convenit Deo etiam in ratione Entis: & esse contingenter, & dependenter ab alio convenit creaturæ etiam in ratione Entis: ergo ratio illa Entis non est omninò

ninò eadem, prout ad strictam univocationem requiritur.

Probatur 2. Ratio illa quæ uni convenit essentialiter, & necessario; alteri verò contingenter, & per participationem non est illis rigorosè univoca: sed ratio Entis convenit Deo essentialiter, & necessario; creaturis verò contingenter, & per participationem: ergo non est illis rigorosè univoca. Minor est certa; major itaque probatur. Ratio lucidi in ordine ad Solem, & Terram non est univoca, idèò solum quia Sol necessario, & ex natura sua lucidus est; Terra verò non nisi contingenter, & per participationem à Sole: ergo ratio quæ uni convenit necessario, & alteri contingenter, & per participationem, non est rigorosè univoca. Quemadmodum ergo ratio lucidi convenit necessario Soli, ita esse, seu Ens convenit necessario, & essentialiter Deo, juxta illud ipsius Dei ad Moysen, Exodi 3. *Ego sum qui sum*; creaturis verò habere esse, seu esse Ens, solum competit contingenter, & per participationem, quemadmodum & Terræ esse lucidam: ergo quemadmodum ratio lucidi non est propriè univoca ad Solem, & Terram, ita nec ratio Entis ad Deum, & creaturas.

Probatur 3. Ratio quæ ab uno participatur simpliciter, & ab alio secundum quid, non est in rigore univoca: sed ratio Entis convenit Deo simpliciter; creaturis verò secundum quid: ergo non est illis univoca. Major patet, nam ratio albi respectu Æthiopis, & Hispani non est univoca; idèò sanè, quia Hispano convenit simpliciter, & totaliter; Æthiopi verò solum secundum quid, seu secundum dentes. Minor verò patet, nam ut ait Plato in *Sophista*, illud simpliciter est Ens, cui nihil deest: Deo autem nihil perfectionis deest, neque deesse potest, cum sit ipsa essendi plenitudo; è contra verò

verò creatura ita cum limitatione est Ens, seu ita limitatum habet esse, quod plus habeat de non esse, quam de esse; cum esse, quo caret, sit infinitum; esse verò, quod habet, finitum sit: convenit ergo ratio Entis Deo simpliciter; & creaturæ secundum quid: non est igitur in rigore illis univoca. Dixi non esse in rigore univocam, nam in aliquo sensu univoca potest appellari; in ordine enim ad scientias, perinde se habet, atque si esset univocè una; ut patet in prædicationibus universalissimis, qualis est hæc: *Ens est cognoscibile*; & aliz similes.

Sed objicies: Licet homo sit animal longè nobilior bruto, ratio animalis strictè univoca est ad hominem, & brutum: ergo licet Deus sit Ens infinitè perfectius creaturis, ratio tamen Entis univoca erit ad Deum, & creaturas. Respondeo concedens antecedens, & negans consequentiam; disparitas autem est, quia major illa nobilitas, & perfectio, quæ homini inest, tota competit ei ob differentiam rationalitatis, quæ longè nobilior est differentia irrationalitatis, quæ reperitur in bruto; non verò provenit ex animalitate: imò homo in quantum animal non est nobilior cane, vel equo, cum ut sic, nihil aliud habeat, quam esse corpus sentiens, sicut & quodlibet brutum: at infinita illa Dei perfectio, quæ cuncta creata infinitè superat: & omnis illa imperfectio, & limitatio Entis creati, provenit etiam à ratione ipsa formali Entis, quæ à Deo necessario habetur; à creatura verò contingenter: unde Ens nequaquam esse potest rigorosè univocum ad Deum, & creaturas, quemadmodum animal ad hominem, & brutum.



## PROPOSITIO XII.

*Conceptus Entis est analogus respectu Dei, & creaturarum.*

**I**nfertur ex dictis, nam ostensum est non esse equivocum, (10.) neque propriè univocum (11.): ergo est analogus. Deindè probatur, nam ille conceptus communis est analogus, qui partim eodem modo, partim diverso competit suis inferioribus, ut in Logica diximus: sed communis Entis conceptus competit Deo, & creaturis partim eodem modo, partim diverso: eodem, quatenus non solum Deus est Ens; sed etiam creaturæ veram, & minimè factam Entis rationem participant; diverso, quatenus Deus infinitè, essentialiter, & necessario est Ens; creaturæ verò contingenter, dependenter à Deo, & ita limitatè ut ab illius perfectione in ratione, ut ita dicam, essendi, infinitè distent: ergo Entis conceptus analogus est respectu Dei, & creaturarum.

Objicies. Ratio significata per nomen Ens est omninò eadem respectu Dei, & creaturarum: ergo non est analogà ad Deum, & creaturas. Probatur antecedens, ratio significata per nomen Ens est conceptus Entis obiectivus: sed hic conceptus est omninò idem respectu Dei, & creaturarum: ergo & ratio Entis. Minor probatur. Hic conceptus Entis (9.) est logicè unus; id est, in ordine ad scientias, ita ut in subiectionibus, & prædicationibus perinde se habeat, atque si esset unus: ideoque unica definitione est definibilis: ergo conceptus ille Entis est omninò idem in Deo, & creaturis; non verò partim idem, partim diversus; & consequenter non est analogus, sed univocus. Respondeo negans primum antecedens: ad ejus probationem distinguo

minorem : conceptus obiectivus Entis est omninò idem respectu Dei, & creaturarum; id est, ita se habet in ordine ad scientias humanas, ac si esset omninò idem, concedo; est omninò idem quatenus verè est in Deo, & creaturis, nego, & consequentiam. Dico itaque non requiri ad omnem analogiam quod ratio illa per nomen significata, prout præcisè obijcitur intellectui eam speculanti, ac de illa agenti in ordine ad scientias, sit partim diversa; cum partialis illa diversitas in ordine ad actus illos scientificos sit profus impertinens; sed sufficere quod illa ratio in suis inferioribus non sit omninò eadem. Licet itaque ratio Entis, quæ in Deo, & creaturis reperitur, sit in ordine ad scientias omninò eadem, cum hoc tamen rectè stat esse in illis partim eandem, & partim diversam, ut satis abundè probatum est. Id autem sufficere ad aliquam analogiam luculenter patet ex resolutione sequentis difficultatis, quæ adversus nostram conclusionem obijcitur.

Dices itaque. Si conceptus Entis analogus est ad Deum, & creaturas, qualis erit hæc analogia; neque enim esse potest attributionis, nec proportionis, cum ratio Entis verè inexistat Deo, & creaturis, & non tantum per extrinsecam aliquam attributionem, aut similitudinem. Respondeo 1. Prædictam Entis analogiam posse dici analogiam inæqualitatis, cujus meminit Cajetanus *tract. de Analogia nominum*. In his enim ratio per commune nomen significata, eadem licet sit quatenus per illud significatur; est tamen inæqualiter perfecta in inferioribus: talem autem esse rationem Entis in Deo, & creaturis supra probatum est. Dices hujusmodi analogia potius esse univoca: fateor quidem ita esse quoties inæqualitas illa tota est penes differentias contractivas rationis communis, ut contingit in animalibus  
ref-

respectu hominis, & bruti; quando verò etiam se tenet ex parte rationis communis, potius appellanda sunt analogia quam univoca: & ita contingere in ratione Entis ad Deum, & creaturas, vidimus supra.

Respondeo 2. Possè etiam appellari analogiam attributionis; non ita quidem ut ratio Entis significata per nomen Ens sit Deo dumtaxat intrinseca; creaturis verò extrinseca, & penes puram denominationem; creaturæ enim verè rationem Entis participant; sed ita ut ratio prædicta Entis à creaturis participetur cum limitatione, & dependenter à Deo. Verum hæc analogia re ipsa à præcedenti non distinguitur, ut consideranti patebit. Hinc satis colligi potest hujusmodi analogiam Entis ad Deum, & creaturas non esse ita rigorosam quemadmodum illa sani ad vivens, & medicamentum; plus enim hæc ratio sani distat ab univocatione, quam illa Entis: sed in quæstione de voce satis, superque. An autem ratio entis univoca sit ad Substantiam, & Accidentem, ex his, quæ de notione Accidentis dicenda sunt, facile colligetur.

## PROPOSITIO XIII.

*Conceptus Entis in ordine ad substantias creatas est univocus.*

PROBATUR, quia omnes substantiæ creatæ participant propriè, & simpliciter rationem Entis, imò & rationem Entis per se: ergo conceptus Entis est univocus ad illas. Dices participare quidem rationem Entis; non tamen omninò eandem rationem, cum in unaquaque substantia creata sit sua peculiaris ratio Entis, quæ utpotè penetrans, & transcendens intimè uniuscujusque differentias, nequit ab ipsis præcindi: & consequenter nec habere propriè, & in rigore illam unitatem universalitatis,

tatis, quæ requiritur ad univocationem. Respondeo rationem Entis non esse unam unitate obiectiva physica; idque solum convincit obiectio; esse tamen unam unitate obiectiva Logica, seu in ordine ad scientias, ut sæpius dixi, quæ unitas sufficit ad univocationem, quoties ratio communis propriè, & eodem modo participatur ab inferioribus: id autem minimè labefactari à prædicta transcendentia, patet sequentibus propositionibus, in quibus quid de hac transcendentia sentiam aperio.

## PROPOSITIO XIV.

*Ens transcendit differentias transcendentia obiectiva physica.*

**P**robatur, quia nihil est aliud obiectivè physice transcendere differentias, quam non posse differentias obiectivè physice præcindi à ratione Entis: sed differentia non possunt physice obiectivè præcindi à ratione Entis; imò nec ab ulla ratione communi, cum inter gradus realiter communitos, quales sunt differentia, & rationes communes, implicet præcisio obiectiva physica (2.): ergo Ens transcendit obiectivè physice differentias.

## PROPOSITIO XV.

*Ens non transcendit differentias transcendentia obiectiva Logica, seu in ordine ad scientias.*

**P**robatur. Logicè obiectivè transcendere differentias nihil est aliud, quam differentias non posse obiectivè logicè præcindi à ratione Entis: sed differentia possunt logicè præcindi à ratione Entis: ergo Ens non transcendit logicè obiectivè differentias. Minor probatur, nam differentias præcindi logicè obiectivè à ratione Entis (def. 6.) est differentias ita cognosci, ut  
nulla

nulla habeatur tunc idea particularis Entis, & ita de illis posse differere, ut nullatenus indigeat intellectus clara Entis cognitione; sicque circa illas se gerere, ac si nullo modo Ens cognosceret: sed ita se habet sapiens intellectus in ordine ad differentias Entis: ergo possunt logicè præcindi à ratione Entis. Pro minore probanda testem advoco experientiam, quia sicut ad differendum de Ente ut sic, nullatenus indigemus noticia particulari, & expressa differentiarum, (9.) ita nec ad differendum de differentiis Entis corporei, spiritualis, &c. non attendimus ad rationem communem Entis, nec ad ejus proprietates communes, ut quisque in se quotidie experiri potest.

**Objicies.** De omni differentia Entis, quantumvis supponatur abstracta, & præcisa, verificatur esse ratione sui *aliquid*; habereque aliquod *esse*, nempe illud quod tunc intellectui objicitur: verificatur etiam proprietates Entis, nempe illud *aliquid* esse *unum*, & distinctum ab omni, quod illud non est: esse *verum*, & cognoscibile: esseque *bonum*, & amabile: ergo non possunt differentia ita logicè obiectivè ab Ente præcindi, ut in ipso conceptu differentiarum, non etiam includatur conceptus Entis. Respondeo distinguens antecedens, verificatur de conceptu differentiarum Ens, eisque proprietates à cognitione illa præcidente, nego: ab alia cognitione illas de illo conceptu affirmante, concedo: & nego consequentiam. Nihil enim facit ad transcendentiam logicam posse illa prædicata Entis verificari de differentiis ab aliqua alia cognitione: sic quotidie experimur cognosci à nobis differentias, quin nobis occurrant illa prædicata Entis, neque eorundem verificatio. Vides quam facile in nostro dicendi modo dissolvantur difficultates, quam hic ad nauseam usque



PROPOSITIO XVI.

*Explicantur cuncta transcendentia.*

**T**Ranscendentia dicuntur illa omnia quæ cum Ente convertuntur : dum enim cuilibet Enti competunt , quemadmodum & Ens , transcendere dicuntur : Hæc autem sunt quæ his litteris exprimi solent REUBAU, suntque *Res, Ens, Unum, Bonum, Aliquid, Verum*: quæ ideò transcendentia appellatur quod omnibus rebus competant. *Res* latè sumpta , prout comprehendit etiam modum, idem omninò significat ac *Ens* : unde in hoc sensu non minus est transcendens ac *Ens*; si verò sumatur *Res* prout opponitur modo, cum nempe dividitur, licet improprie, *Ens* in rem, & modum rei, hoc inquam sensu non est transcendens, cum modus non sit res. *Aliquid* idem significat, ac aliqua res , seu aliquod *Ens* ; unde convertitur cum Ente, & per consequens est transcendens : idem dicendum est de *Uno, Vero, & Bono*, quæ cum omni Enti competant , ut postea videbimus, cum ipso Ente cuncta transcendent.

CAPUT III.

*De possibilitate, & actualitate Entis.*

**U**T hæc facilius percipiantur definitiones aliquas præmittito.

DEFINITIONES.

**A**CTUS vel est purus, vel non purus. *Actus purus* est ille qui ab omni potentia , seu potentialitate est immunis, qualis est solus Deus, qui cum

ens actualissimum essentialiter sit, ab omni est potentialitate liber. *Actus non purus* est ille qui potentia, seu potentialitati est admixtus ; taleque sunt omnes creaturæ.

2. Potentia vel est activa, vel passiva. *Potentia activa*, quæ & *Actus primus* solet appellari, est illa quæ ad aliquid agendum est expedita : dicitur *Actus primus*, ut discernatur ab ipsa actuali operatione, quæ *Actus secundus* solet appellari. *Potentia passiva* est capacitas ad aliquid recipiendum, quod etiam *Actus* appellatur : sive is sit actus physicus, ut forma respectu materia ; sive sit Metaphysicus, ut existentia respectu essentia : capacitas autem illa, quam aliquid habet ut existat, seu non repugnantia ad existendum, *Possibilitas* appellatur : Hinc omne, quod existit *ens actuale* dicitur : Omne autem quod existere non repugnat, *possibile*; quod verò repugnat existere *impossibile* appellatur.

PROPOSITIO XVII.

*Possibilitas in eo solum consistit, quod predicata essentialia rei, quæ possibilis dicitur, inter se non repugnent.*

**E**xplicatur. Rem esse possibilem est rem posse existere, seu ex suis prædicatis intrinsicis, & essentialibus non repugnare actuali suæ existentia : id est, omnia illius prædicata essentialia, ita consensu mutuo esse compatible, ut si ponantur à parte rei, nulla conjungentur prædicata contradictoria. Dico itaque rei possibilitatem in prædicta compatibilitate, seu non repugnantia prædicatorum essentialium unice consistere. Probatum nam in illo solo consistit possibilitas, quo præcisè posito, cæteris etiam ablatis, ponitur possibilitas ; & quo ablato, cæteris adhuc remanentibus, tollitur : atqui po-

sita tali compatibilitate, seu non repugnantia, ponitur possibilitas; & illa sublata, tollitur: ergo in illa non repugnantia, seu compatibilitate unice consistit possibilitas.

Hinc è converso impossibilitas in eo consistit, quod prædicata rei, quæ impossibilis appellatur, sint incompatibilia, & ita inter se repugnantia, ut contradictionem involvant: & si à parte rei ponerentur, duo simul verificarentur contradictoria. Vides certè possibilitatem ita à nobis generaliter expositam, Deo itidem convenire: cum enim Deus sit ens necessarium, & actualissimum, infinite abest ab illa repugnantia ut existat. Possibilitas autem completa rerum creatarum essentialiter etiam prærequirit posse à Deo produci: impossibile enim est rem creatam, & essentialiter à Deo dependentem existere sine illa dependentia, esset enim dependens, & independens: ergo ut existat essentialiter requirit à Deo produci: ergo ut possit existere, & sit possibilis, essentialiter prærequirit posse à Deo produci.

## PROPOSITIO XVIII.

*Subiectum possibilitatis est essentia.*

**E**ssentia rei, ut alibi dixi est omne illud sine quo res neque esse, neque concipi potest, ideoque dicuntur *prædicata essentialia*, ea quæ essentiam constituunt, ut satis in Logica explicatum est. Dico itaque, *Subiectum possibilitatis rei esse ejus essentiam*. Subiectum intellige non physicum, quale est paries respectu albedinis: sed subiectum Logicum, seu prædicationis, & verificationis. Ratio conclusionis est evidens, nam (17.) possibilitas rei est non repugnantia, seu coherentia prædicatorum essentialium rei: cum ergo de his prædicatis essentialibus verificetur præfata coherentia, seu non re-

pu-

pugnantia, de eisdem verificabitur possibilitas: sed prædicata essentialia rei sunt ejus essentia: ergo de essentia rei verificatur possibilitas: ideoque est ejus subiectum Logicum.

## PROPOSITIO XIX.

*Essentia rerum in aliquo sensu sunt æterna, ingenerabiles, & incorruptibiles.*

**C**um in hujusmodi quæstionibus, vocibus dumtaxat contendat Philosophi, maximè juvat vocum explanationem præmittere. Tribus itaque potissimum modis vox illa *esse* solet usurpari. 1. Pro existentia, sic communiter dicimus, tunc rem esse, cum existit: vocant plerique *Esse existentia*. 2. Pro rei essentia: sic dicimus cum Aristotele definitionem explicare esse rei, aut quid res sit, seu ejus quidditatem, & essentiam: ideoque id appellant *Esse quidditatis, & essentia*. 3. Accipitur esse pro connexionione prædicati cum subiecto, cum videlicet aliquid de ipso affirmamus, ut cum dicimus, Hominem esse animal; Terram esse sphericam, &c. His positus.

Dico 1. *Certissimum esse rerum essentias non esse ab æterno, sumpto esse pro existentia*. Est enim certum res creatas non existere ab æterno; solus enim Deus ab æterno existit.

Dico 2. *Rerum essentias non habere ab æterno esse aliquod positivum, & absolutum*. Est contra aliquos asserentes essentias rerum purè possibilium habere ab æterno in se, intrinsicè, & extra omnem intellectum, quoddam esse actuale absolutum, & positivum, quod *Esse essentia* appellant; diminutum tamen, quod minus sit ente reali, & existente. Id autem falso asseri probatur, nam præterquam quod hujusmodi esse diminutum

tum concipi nullatenus possit; si tamen daretur, esset increatum: primò, quia Deus nihil ab æterno creavit: ergo cum illud esse foret ab æterno, increatum esset, & à Deo independens. Secundò, quia si creatum esset, proculdubio per creationem haberet realem existentiam, quod à prædictis Auctoribus nec admittitur, nec admitti potest; fictitium ergo est illud esse, cumque admittere nihil præterea videtur, quam ideas illas Platonis communiter attributas, iterum suscitare.

Dico 3. *Rerum essentias esse ab æterno obiectivè tantum*: & sumpto ly esse pro connexionè prædicatæ cum subiecto. Explicatur simul, & probatur. Essentia cujuslibet rei sunt illius prædicata essentialia: hæc autem ita sunt sibi mutuo coherentia, ut si à parte rei ponantur, nullam inducant incompatibilitatem, aut contradictionem; aliter enim essentia illa esset impossibilis. Dico igitur rerum essentias esse obiectivè ab æterno. Ratio est, quia ab æterno est cognoscibilis hæc veritas conditionaliter exposita: si prædicata hominis, animalitas scilicet, & rationalitas, ponantur existentia, sibi apprimè cohærebunt, nullamque inferent contradictionem: ab æterno ergo verum est, quod si homo ponatur existens, erit animal rationale: atqui hoc est esse obiectivè ab æterno: ergo rerum essentiæ sunt obiectivè ab æterno. Hinc hæc veritates obiectivæ: *Homo est animal rationale*: *Circulus est rotundus*: *Bis duo sunt quatuor*, & similes, sunt ab æterno; sunt inquam sumpto esse pro connexionè prædicatæ cum subiecto, quatenus nempe intellectus aliquis possit dicere: & divinus ab æterno dicit, prædicata essentialia hominis, si ponantur à parte rei nullam dicent contradictionem, imò sibi cohærebunt.

Hinc vides quomodo propositiones aliquæ sint, ut

dicitur, *æternæ veritatis*: nimirum quatenus ab æterno verè dici potest subiectum, & prædicatum illarum non habere inter se incompatibilitatem; sed potius sibi invicem convenire: hujusmodi sunt propositiones illæ, in quibus definitio prædicatur de definito: ut, *Homo est animal rationale*: *Figura est quantitas circumscripta*, &c.

Ex dictis etiam patet essentias solum esse ab æterno quatenus sunt possibiles, seu quatenus sunt subiectum possibilitatis; solum enim sunt ab æterno, ut dixi, quatenus ab æterno potest de illis verificari, quod si ponantur à parte rei nulla sequetur contradictio: sed hoc (17.) est possibilis: ergo solum sunt ab æterno quatenus sunt possibiles.

Ex eisdem similiter colligitur, quo sensu dicatur essentias rerum esse ingenerabiles, & incorruptibiles; eo videlicet, & non alio, quo dicuntur esse æternæ: cum enim semper de illis prædicatis verificetur non repugnare, consequenter assignabile non est tempus ante quod præfata non repugnantia non verificetur; aut post quod non item verificatur: ergo essentiæ in hoc sensu nec incipiunt, neque desinunt, sicque in eodem sunt ingenerabiles, & incorruptibiles.

## PROPOSITIO XX.

*Hinc Ens merè possibile solum habet potentiam Logicam ut existat.*

Patet ex dictis, nam potentia illa, ratione cujus ens merè possibile dicitur posse existere, nihil aliud est præter posse componi inter se illius prædicata essentialia; seu posse hæc poni à parte rei absque ulla contradictione: id autem nullum aliud habet esse præter obiectivum, logicum, seu verificationis, quatenus scilicet vera

vera est propositio enuncians prædictam compatibilitatem prædicatorum, si à parte rei ponantur: ergo potentia entis purè possibilis ut existat, solum est logica, seu obiectiva.

## PROPOSITIO XXI.

*Hinc Ens merè possibile non est propriè, & simpliciter Ens.*

**P**Atet, nam denominatio entis simpliciter, & propriè dicti non aliundè peti potest, quam à propriè dicto essendi actu: sed hic propriè dictus essendi actus est existentia, ut defin. 5. initio hujus libri diximus; nec ante existentiam alius actus supponitur, non enim datur esse essentiæ diminutum, ut dixi prop. 20. ergo solum ens existens, & realè est propriè, & simpliciter ens: & consequenter ens merè possibile, hoc existentie actu carens, non est propriè, & simpliciter ens: ens itaque purè possibile minus propriè, & solum per alienationem dicitur ens: melius enim diceretur, quod potest esse ens, seu esset ens si existeret: verum hæc sunt de solo nomine.

## PROPOSITIO XXII.

*Transitus entis ab statu merè possibilitatis in statum actualis existentie non est physicus, sed logicus.*

**P**Robatur, quia solus ille transitus propriè physicus, & realis appellatur, in quo id, quod transire dicitur, verè, ac physicè est sub utroque termino, videlicet à quo, & ad quem transit: atqui ens sub statu merè possibilitatis, qui est terminus à quo, non est verè physicè, & realiter, cum prout sub illo statu solum habeat esse obiectivum (19.): ergo transitus ille entis ab statu merè possibilitatis ad statum actualis existentie

nōn est propriè physicus. Hinc solum potest esse logicus, seu juxta nostrum modum concipiendi; quatenus scilicet intellectus noster concipit transire essentiam de statu illo merè possibilis, qui solum obiectivus est, ad statum realis existentie.

## PROPOSITIO XXIII.

*Hinc essentia, & existentia non distinguuntur realiter.*

**A**D pleniorē hujus difficultatis intelligentiam, suppono 1. Per existentiam constitui rem formaliter extra causas: dixi *formaliter*, nam per actionem sui productivam ponitur efficienter. Suppono 2. Tripliciter posse comparari essentiam, & existentiam. 1. Potest comparari essentia prout in statu purè possibilitatis, cum existentia actuali. 2. Essentia reduplicativè ut actualis, cum existentia actuali. 3. Essentia actualis specificativè sumpta, id est, essentia, quæ est actualis, secundum se tantum spectata, comparari potest cum existentia actuali.

Et quidem certum est 1. Existentiam actualem distinguere realiter ab essentia purè possibili: existentia enim actualis habet esse reale: essentia verò purè possibilis non habet esse reale; sed tantum obiectivum: ergo distinguuntur realiter tamquam ens à non ente. Certum etiam est 2. Essentiam prout actualem reduplicativè idem significari non solum realiter, verum & per rationem inadæquatè cum existentia: essentia enim prout actualis, est essentia formaliter ut existens; ut existens autem includit essentialiter existentiam. Solum itaque potest in dubium verti, utrum essentia actualis: ver. gr. Petri, realiter distinguatur ab existentia ejusdem Petri. Quoniam verò duplex est distinctio realis, alia quæ ma-



ior, & entitativa appellatur, quæ videlicet reperitur inter duas entitates; alia verò, quæ dicitur minor, seu modalis, & solet communiter admitti inter rem, & modum: de utraque dubitari potest, reperiatur ne inter essentiam, & existentiam. Id autem acriter disputatur in Scholis præsertim à tempore Angelici Doctoris. Thomistæ communiter distinctionem realem adstruunt inter essentiam, & existentiam; non quidem entitativam, si paucos excipias; sed realem modalem. Alii verò è contra, solam distinctionem rationis tuerunt, nec aliam fuisse affirmant mentem Divi Thomæ, dum in plerisque locis asserit creaturarum existentiam esse aliud ab eorumdem essentia. His positis.

Dico I. *Essentiam actualem non distingui realiter entitativè ab existentia.* Probatur I. Nam quælibet, res creata per suam entitatem constituitur formaliter in actu, & extra causas: sed quælibet res ponitur formaliter in actu, & extra causas per existentiam: ergo existentia est realiter ipsamet entitas rei. Minor est certa. Probatur major. Per illud formaliter ponitur res in actu, & extra suas causas, quod terminat actionem suarum causarum: atqui entitas rei terminat actionem suarum causarum: ergo res per suam entitatem constituitur formaliter in actu, & extra suas causas. Minor probatur, nam illud terminat actionem causarum, quod fit & producitur ab illis: atqui quod fit, & producitur à causis, est ipsa entitas rei: ergo entitas rei terminat actionem causarum. Probatur minor, si entitas rei non fieret, sequeretur entitatem esse improducibilem, increatam, & æternam, non tantum objective, sed realiter positive, &c. sed hoc est falsum (19.): ergo entitas rei est quod producitur.

Probatur 2. Si essentia, & existentia distinguerentur rea-

realiter entitative, essent duæ res realiter distinctæ, & per consequens possent divinitus existere separatæ. Quid enim hanc separationem prohiberet? Ergo essentia existeret sine existentia, quod implicat: existeret enim, ut supponitur; & non existeret, quia non haberet existentiam.

Probatur 3. Vel essentia illa, quam dicis realiter entitative distingui ab existentia, est essentia actualis, vel tantum possibilis: si possibilis, distinguetur ab existentia tamquam non ens ab ente, de quo non est questio: si actualis, ergo prout distincta ab existentia habet actualitatem, & est extra causas: habet ergo illam esse, & absque alia existentia realiter distincta.

Dices cum aliquibus, essentiam seorsim ab existentia esse actualem, non quidem actualitate existentie, seu in actu secundo; sed actualitate essentiae, seu in actu primo. Sed contra I. quia omnis actualitas est in actu secundo; & distinguere actualitatem in actu primo ab actualitate in actu secundo, nihil aliud esse videtur, præter res alioquin satis perspicuas, hujusmodi verbis reddere obscuras. 2. Quia vel essentia per illam actualitatem, quam vocant essentiae, est actualis, & extra causas, vel non; si hoc secundum dicatur: ergo est tantum possibilis; si dicatur primum: ergo per illam actualitatem ponitur essentia formaliter extra causas: ergo hæc actualitas est existentia; sed hæc actualitas est realiter ipsa essentia: ergo essentia idem significatur realiter cum sua existentia.

Dices cum aliis: Essentiam actualem, specificativè talem, distingui realiter ab existentia; fieri tamen actualem formaliter per existentiam, quam recipit: unde esse actualis non est, & extra causas, nisi per existentiam. Sed contra, quia potentia, quæ recipit aliquam perfe-

tionem, necesse est ut præsupponatur existens: qualiter enim realis illa perfectio recipi poterit in subiecto non existente? Ergo ut essentia recipiat existentiam debet existere ante quam habeat existentiam, quod implicat. Respondent sufficere, quod essentia pro primo instanti reali habeat existentiam quam recipit, ut sit subiectum illius: licet autem aliqua in hoc instanti concipiatur prioritas essentię respectu existentię, quam recipit; pro illo tamen priori non est essentia formaliter extra causas; sed initiativè solum, & vialiter, quatenus scilicet tendit ad existentiam recipiendam ab agente pro posteriori natura; hocque sufficere ut essentia pro illo priori non sit nihil. Sed contra nam status ille vialis, ut ajunt, vel fictus est, solumque ad id excogitatus, ut effugiatur vis argumenti; vel est quid reale, & actuale: si ergo quid sit actuale: ergo essentia in illo statu jam est actualis ex se ante existentiam: essentia igitur est actualis per existentiam sibi realiter idemptificatam.

Probatur 4. Nam illa existentia realiter distincta ab essentia necessariò est aliqua realitas: ergo prout distincta realiter ab essentia, habet essentiam: vel ergo existentia realiter distinguitur ab hac secunda essentia; vel non distinguitur; si non distinguitur: ergo hæc essentia, & existentia non distinguuntur: & nulla est ratio cur de cæteris idem non dicatur. Si distinguitur, iterum dicam hanc existentiam habere realitatem, & essentiam, à qua si distinguatur, iterum habet essentiam ab illa distinctam, & sic in infinitum: ergo ut hoc inconveniens vitetur, dicendum erit essentiam existentię existere formaliter per se ipsam, & non per aliquid distinctum: ergo similiter cæterę essentia.

Probatur 5. Qui asserit duas res inter se distingui, illud

illud certè tenetur demonstrare, ostenso aliquo saltim distinctionis realis signo, ex his quæ postea ex communi Philosophorum sensu trademus: sed nulla ratio satis idonea evincit realem distinctionem inter essentiam, & existentiam; nullumque distinctionis signum præferre videntur, ut ex his quæ ab adversariis objiciuntur statim patebit: ergo absque fundamento admittitur talis distinctio.

Dico 2. *Essentia non distinguitur ab essentia distinctione reali minori, seu modali.* Probatur, quia si hujusmodi distinctione distingueretur, certè essentia esset res, & existentia modus ejus: Res autem, & modus ejus ita se habent, ut modus nullatenus valeat existere sine re cujus est modus; res verò possit sine illo modo existere; ut patet in unione, & extremis unitis, etenim quoniam unio est modus extremorum, licet ipsa sine extremis esse non possit; possunt tamen extrema esse sine unione: ergo si essentia esset res, & existentia modus ejus, licet existentia non posset existere sine essentia; cæterum essentia existere posset sine existentia, quod apertè est absurdum: non ergo existentia est modus realiter ab essentia distinctus, adhuc illa minori distinctione, quæ admitti solet inter rem, & ejusque modum. Sed nunc præcipuas adversariorum obiectiones solvamus.

*Objiciunt 1.* Id quod recipitur, & illud in quo recipitur distinguuntur realiter: sed essentia creata recipit existentiam, & hæc in illa recipitur: ergo essentia, & existentia realiter distinguuntur. Minor patet, nam essentiam creatam poni realiter extra causas, est recipere esse, seu existentiam à Deo: ergo existentia recipitur in essentia. Resp. distinguens minorem: essentia creata recipit existentiam realiter, ita ut sit subiectum reale

existentia, nego. Recipit existentiam formaliter, & per nostrum modum concipiendi, quia nempe illam ita concipimus, ac si esset subiectum recipiens existentiam, concedo. Poni itaque existentiam actualiter extra causas, est fieri existentem a suis causis, & transire ab esse possibili ad actuale: hic autem transitus, ut dixi prop. 22. solummodo logicus est, seu obiectivus. Quoniam verò communiter dicitur, existentiam recipere in hoc transitu existentiam a suis causis, oportet hunc loquendi modum paululum explicare, ut æquivocatio, quæ hic subreperere potest, procul abigatur.

Advertendum itaque est nos, eatenus de rebus loqui, quatenus eas concipimus: quoties autem essentia, quæ purè possibilis erat, producitur, & fit actualis, concipimus fieri quoddam, quasi concretum, ex essentia illa tamquam subiecto, & ex actuali existentia, tamquam superveniente forma: nec in hoc solum casu; verum, & in aliis rebus similiter procedimus: prædicata enim essentialia, ver.gr. substantialitatem, & immaterialitatem concipimus in unum conjungi, & eatenus constituere essentiam Angeli in ratione substantiæ immaterialis. Hunc tamen imperfectum concipiendi modum facile corrigat Philosophus, dum advertit, prædicata essentialia, substantialitatem nempe, & immaterialitatem, & sic de aliis, non ita ad invicem conjungi, quasi hæc sit vera extremorum realiter distinctorum unio; sed potius constituere essentiam simplicem Angeli per entitativam eorumdem idemplicitatem. Similiter igitur emendabit Philosophus modum illum, quo concepit existentiam rei fieri existentem per receptionem existentie, advertens scilicet existentiam actualem constituere rem in ratione existentis, non quidem per realem sui unionem cum illa; sed per veram, & realem cum es-

sentia idemplicitatem: Imò in hoc ultimo conceptu se fe ulterius firmabit Philosophus, dum certò cognoscit essentiam ante actualem existentiam esse nihil: & consequenter, si existentia realiter conjungeretur cum prædicta essentia, conjungeretur realiter cum nihilo, quod quam sit absurdum, quisque videt.

*Obicies 2.* Quod est indifferens ad aliquid, & ad ejus oppositum, realiter ab eo distinguitur: sed essentia creata est indifferens ad existendum, & non existendum: ergo essentia realiter distinguitur ab existentia. Resp. distinguens majorem; quòd est indifferens realiter, & subiectivè ad aliquid, & ejus oppositum distinguitur realiter ab illo, concedo: quod est indifferens tantum obiectivè, nego: & distincta similiter minori, nego consequentiam. Dicimus enim essentiam, ver.gr. Angeli esse indifferentem ut existat, aut non existat, quia concipimus prædicata essentialia Angeli solum quatenus existere non repugnant: hoc autem nullatenus arguit distinctionem realem inter prædicata essentialia, & existentiam; sed tantum distinctionem rationis.

*Instabis:* nihil concipi potest cum opposito ejus cui idemplicitatur; sed essentia concipi potest cum opposito existentie, cum nempe concipitur ut non existens, seu ut purè possibilis: ergo essentia non idemplicitatur realiter cum existentia. Respondeo permissa majori, distinguo minorem, essentia possibilis potest concipi cum non existentia possibili; & essentia actualis, cum non existentia actuali, nego: potest concipi essentia possibilis cum non existentia actuali, concedo, & nego consequentiam. Iterum instabis, essentia possibilis potest concipi cum non existentia actuali: ergo essentia possibilis realiter distinguitur ab existentia actuali: sed

essentia possibilis est eadem, quæ postea est actualis: ergo essentia actualis realiter distinguitur ab existentia actuali. Respondeo, essentiam possibilem realiter quidem distingui ab existentia actuali: eodem scilicet modo, quo essentia possibilis distinguitur ab actuali: videlicet ut non ens ab ente: unde in forma respondens, distinguo minorem subsumptam: essentia possibilis est eadem, quæ postea est actualis, eadem, inquam, obiectivè concedo; realiter nego: id est, eadem prædicata, quæ antequam existant, cognoscuntur ut non repugnantia existere, eadem postea actualiter existunt: cæterum cum illa prædicata ante existentiam essent nihil, certè ipsa cum existunt, à se ipsis non existentibus, seu ens à non ente, realiter distinguuntur. Quid? quod instantia æque premit adversarios, quantumvis essentiam realiter ab existentia distinguant: essentia enim ipsius existentie ab ea realiter non distinguitur, & tamen cum concipitur ut merè possibilis, concipitur cum non existentia, quæ secum realiter idemtificatur.

*Objicies 3.* Essentia rerum sunt ab æterno; existentia verò earundem sunt in tempore: ergo realiter distinguuntur. Respondeo distinguens primam partem antecedentis: essentia sunt ab æterno possibiliter, & obiectivè concedo, aliter nego: & concessa secunda parte, nego consequentiam. Nam quemadmodum rerum essentia sunt ab æterno possibiliter, & obiectivè, etiam earundem existentia sunt ab æterno possibiliter, & obiectivè: & eodem modo quo existentia sunt in tempore, nempe actualiter, sunt etiam actualiter essentia: ex quo minimè sequitur essentiam actualem distingui à sua existentia; sed ad summum distingui ab existentia possibili, quemadmodum & ab ipsa essentia possibili, ut ens à non ente, ut sapius diximus.

*Objicies 4.* Si existentia, & essentia creata essent realiter idem, creatura existeret per suam essentiam: ideoque non minus esset ens per essentiam quam Deus: hoc autem admitti non potest: ergo fatendum est essentiam, & existentiam in creaturis realiter distingui. Huic difficultati, quæ potissima est ex iis, quæ contra nostrum assertum obijciuntur, tripliciter possumus respondere.

Respondeo itaque 1. Distinguens majorem, creatura existeret per suam essentiam realiter, concedo; formaliter, nego. Deus autem non solum realiter; verum, & formalissimè per suam essentiam existit, ita ut formaliter sit suum esse, quod sic amplius explico. Deus existit per suam essentiam, non solum quia essentia divina est realiter idem cum sua existentia; sed quia Deus est, seu habens essentiam Dei, quæ cum in suo conceptu complectatur omnem perfectionem, complectitur etiam existentiam omnium perfectionum potissimam; creatura verò, ver. gr. Angelus, habet existentiam, non ex eo præcisè quod Angelus sit, seu essentia angelica: cum enim ens finitum sit, atque limitatum, in conceptu ejus essentia non includitur omnis perfectio, sicque non includitur in eo actualis existentia: imò de facto absque ea concipitur Angelus, sicque non est suum esse, neque essentialiter existit sicut Deus.

Respondeo 2. Paulo aliter distinguens minorem: si existentia, & essentia creata essent idem realiter, creatura existeret per suam essentiam, id est, esset illi essentialis, ac necessarium existere, nego: id est, cum existit, esset realiter ipsa existentia, concedo: & negata in hoc secundo sensu minori, nego consequentiam. Patitur enim hoc argumentum instantiam in ipsa existentia creata: hæc enim suam habet essentiam, hancque à se



realiter indistinctam; nec tamen inde inferitur existentiam creatam necessarîo, & essentialiter existere, sicut Deus.

Respondeo 3. Distinguens eandem majorem, creatura existeret per suam essentiam tamquam per rationem adæquatam existendi, nego; tamquam per inadæquatam, concedo, & nego consequentiam. Deus itaque ita per essentiam existit, ut ipsi sua essentia sit adæquata ratio existendi: adæquata, inquam, quasi in omni genere causæ: Existit enim per suam essentiam quasi in genere causæ efficientis, quatenus nullam agnoscit existentie suæ causam efficientem: tum in genere causæ finalis, quia propter se ipsum existit: tum exemplaris, quia non ad alienum aliquod exemplar comparatur: tum materialis, quia nec ex aliquo, neque ex nihilo facta est: ac demum in genere causæ formalis, quia existentia est ipsa sua essentia. E contra verò licet essentia creature realiter sit idem cum sua existentia; non tamen ejus essentia est adæquata ratio existendi, sed tantum ad summum in genere causæ formalis, nam habet ejus causam efficientem scilicet Deum; materialem, seu quasi materialem ipsum nihilum, ex quo per creationem educta est: exemplarem similiter, & finalem ipsum Deum: sub tanto itaque discrimine nullatenus timendum est, ne creatura ex suis prædicatis intrinsicis, ita limitata, ad divinitatis culmen assurgat; eo solo titulo, quod ejus essentia realiter cum existentia idempficetur.

## PROPOSITIO XXIV.

*Essentia, & existentia creatæ distinguuntur formaliter, logicè, seu juxta nostrum modum concipiendi.*

Pro-

**P**ROBATUR 1. Nam *existens* concipitur à nobis velut concretum constans ex eo quod existit, & forma existendi, quæ *existentia* appellatur: ergo eo ipso potest intellectus abstrahere formam illam, seu existentiam, sicut in aliis, quæ per modum concreti concipiuntur: sed hoc sufficit ad distinctionem formalem secundum nostrum modum concipiendi: ergo essentia, & existentia formaliter, seu logicè distinguuntur.

PROBATUR 2. quia essentia, & existentia per diversas ideas concipiuntur, habentque, ut vidimus, diversas definitiones formales: ergo distinguuntur formaliter, seu ex modo concipiendi. Confirmatur, nam experientia constat, nos sæpissimè cognoscere Hominem, vel Equum, nihil cogitando expressè de illius existentia: atque illorum prædicata essentialia, affectiones, & attributa, ita à nobis scrutari, ut omninò præscindamus de eorumdem existentia, quod ad præfatam distinctionem rationis sufficere inferius patebit.

## CAPUT IV.

*De Ente non positivo.*

**S**ATIS certè mirari non possum, cum Philosophia tam multa, scituque tam digna in suis recessibus recondat, hæc ita in Scholis prætermittant Philosophi, ut ex limine adhuc infalutata relinquunt: ita verò se suosque discipulos ad inania quædam deducant, ut quasi ludentes in nihilo, tempus inutiliter terant in discutiendis iis, quæ entia nec sunt, nec esse possunt; sed cuncta figmenta, ac merum nihil; ne tamen hæc intacta omninò relinquere videar, si quid inter tot

R 2

fu-

260 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
futilia reperiatur, quod omninò contemnendum non  
fit, hic paucis aperiam.

PROPOSITIO XXV.

*Explicatur quid, & quotuplex sit Ens non pos-  
itivum.*

I. **E**NS non positivum est ens per negationem signi-  
ficatum. Hinc nihil est distinctum ab actu in-  
tellectus negante, re negata, & subiecto positivo, de  
quo negatur; ut cum dicimus noctu esse tenebras,  
nihil præterea dicimus, nisi in aere non dari lucem: ubi  
vides solum concurrere actum intellectus negantem, lu-  
cem negatam, & aërem, de quo negatur habere lu-  
cem.

2. Ens non positivum dividitur in negativum, &  
privativum; seu potius in negationem, & privatio-  
nem. *Negatio est carentia, seu non esse rei in subiecto  
incapaci illius rei:* ut non visio, seu carentia visionis  
in lapide est negatio, quia scilicet lapis incapax est vi-  
sionis. *Privatio verò est carentia, seu non esse rei in  
subiecto illius capaci:* sic carentia visus, seu non visio  
in homine, ratione cujus dicitur *cæcus*, est privatio, quia  
homo capax est visionis illius, qua caret. Præterea  
etiam dicitur ens non positivum id, quod ens fictum  
ab intellectu, seu ens rationis solet appellari, de quo  
in propositioni sequente.

PROPOSITIO XXVI.

*Explicatur quid, & quotuplex sit ens rationis.*

**E**NS rationis, si nòminis interpretationem attenda-  
mus, idem est ac ens ad intellectum, seu ratio-  
nem pertinens. Potest autem aliquid ad intellectum,  
seu rationem tripliciter pertinere, nempe *effectivè, su-  
bje-*

*biectivè, & obiectivè.* Ens rationis *effectivè* est illud,  
quod ab intellectu efficitur, quales sunt actus ab eo  
eliciti, ut apprehensiones, judicia, argumentationes,  
&c. Ens rationis *subiectivè* est illud, quod in ratione,  
seu intellectu est tamquam in subiecto: sic habitus  
scientificus est subiectivè ens rationis, quia est in intel-  
lectu tamquam in subiecto. Ens rationis *obiectivè* est  
quidquid obiectum est intellectus, seu ab illo cognoscitur:  
ver. gr. cum quis cognoscit Solem, dicitur Solem  
esse obiectivè in intellectu illum cognoscentis. Tripli-  
citer autem id potest intelligi, nam vel illud quod co-  
gnoscitur habet esse extra intellectum, ut in exemplo  
adlato, tunc autem absolutè est ens reale; vel licet actu  
non habeat esse extra intellectum; potest tamen illud  
habere: & hoc ab aliquibus ens rationis appellatur,  
quoniam tenent ens rationis esse illud *quod tantum ha-  
bet esse obiectivè in intellectu:* seu quod nullum habet  
esse actuale præter esse cognitum, qualiter esse omnia  
purè possibilia superiùs diximus. Tandem vel id quod  
ab intellectu cognoscitur est impossibile: ideoque præ-  
ter esse obiectivum nullum aliud esse habet, sed nec ha-  
bere potest: & hoc est quod communiter *ens rationis*  
absolutè, & in toto rigore dicitur: ideoque definiri  
solet, *quod tantum habet, & habere potest esse obiecti-  
vè in intellectu;* seu ut aliis placet: *Impossibile cog-  
nitum.*

Ingens solet hic agitari quæstio, an videlicet admitti  
debeant huiusmodi entia rationis: & quidem cum ni-  
hil aliud sint præter impossibilia cognita, si hæc ab in-  
tellectu cognosci possunt, admittenda erunt entia ratio-  
nis; secus verò si ab intellectu non possint impossibilia  
cognosci. Quid autem in hoc dicendum videatur in-  
frà dicitur.

## LIBER II.

## DE PROPRIETATIBUS ENTIS.

**T**RES communiter assignantur proprietates universalissimæ entis, nimirum veritas, bonitas, & unitas, quarum ratione quodlibet ens dicitur esse verum, bonum, & unum. Has autem esse veras entis proprietates tenent communiter Philosophi. Licet enim, ut ex earumdem explicatione patebit, nihil addant supra ens, quod ab ente realiter, aut ex natura rei distinguatur; ad hoc tamen ut proprietatum nomine donentur, sufficit ut soli enti necessariò convenient; ac præterea ita præsupponant entis rationem, penes conceptum habitentis esse constitutam, ut ex ea, ceu medio probativo à priori, transeat intellectus ad explicitam earumdem conceptionem.

## CAPUT I.

*De veritate, prima proprietate Entis.*

**D**UPLEX distingui solet veritas, alia *formalis*, quæ & veritas *in representando* appellatur, estque propria solius cognitionis se se obiecto conformantis, dum illud sicuti est representat: alia *transcendentalis*, quæ & veritas *entitativa*, & *in essendo* communiter dicitur, convenitque omni enti: licet autem sola hæc veritas sit entis proprietas: de utra-

que

que tamen agemus, tum quod formalis ad pleniorum veritatis transcendentalis notitiam conducatur: tum quod intra metaphysicam abstractionem contineatur.

## §. I.

*De veritate transcendentali.*

## PROPOSITIO I.

*Veritas transcendentalis est ratio illa, per quam quodlibet ens est intrinsecè id quod esse debet: cum aliqua tamen connotatione ad potentiam cognoscitivam.*

**E**xplicatur. Veritas hæc transcendentalis, & entitativa est id ratione cujus quodlibet ens dicitur verum, seu verè esse tale ens: sic dicitur verum aurum, quod omnes illas habet perfectiones, quæ ad verum aurum requiruntur, & quorum vel si una deficiat, falsum, atque illegitimum censeatur: omne itaque ens ea ratione verum est, qua nihil ei deficit ex his, quæ ut tale sit ens necessario requiruntur. Quoniam verò hoc ipso quodlibet ens propriam sui ideam, veramque sui cognitionem natum est ingenerare, ideò dixi veritatem transcendentali, seu entitativam in eo stare, quod videlicet ens sit essentialiter, & intrinsecè id quod esse debet, cum aliqua tamen connotatione potentie cognoscitivæ: sic tenent plerique Auctores, licet in modo explicandi aliquantulum dissentire videantur.

Id autem probatur, nam per illud constituitur quodlibet ens in ratione veri, per quod distinguitur, tum ab ente ficto, seu non ente, tum ab omni alio quod non sit illud ens: sed ab his tantum distinguitur, quia intrinsecè habet quiddam requiritur, ut sit tale ens: ergo in hoc stat veritas ejusdem entitativa. Addidi verò, cum ali-

264. TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
*aliqua tamen connotatione, seu habitudine ad potentiam cognoscitivam*: noster enim intellectus, cum ens, non utcumque, sed tamquam verum cognoscit, prædictas ejusdem essentialia perfectiones exprimit, quatenus fundare natę sunt veram illius entis cognitionem, & ideam.

Hinc patet qualiter esse verum, sit vera entis proprietates: cognita namque ab intellectu entis quidditate, recte ex ea colligit esse verum: seu ex eo quod habeat quidquid habere debet ut tale sit ens, infert natum esse ut cognoscatur, veraque illius habeatur idea: quod sufficere ut proprietates, seu passio entis dicatur, jam supra diximus.

#### PROPOSITIO II.

*Hinc veritas transcendentalis est quid positivum.*

**P**atet nam, ut vidimus, veritas transcendentalis est id quo quodlibet ens est verè tale ens: hoc autem est quid positivum, ipsa videlicet illius entis prædicata essentialia. Præterea, quia nihil est quod positivum non sit; etiam enim quæ dicuntur negativa, nihil sunt præter negationes entis positivi (25. lib. 1.): ergo veritas est aliquid positivum.

#### PROPOSITIO III.

*Hinc veritas transcendentalis est secundum se quid absolutum.*

**P**atet ex dictis, nam illud quo quodlibet ens habet omnes illas perfectiones, quas debet habere, ut sit quod est, est secundum se quid absolutum: sed veritas transcendentalis est illud quo ens habet prædictas perfectiones, quas debet habere: ergo secundum se est quid absolutum. Nec contra hoc quicquam facit connotatio

LIBER II. CAPUT I. 265  
tio illa ad potentiam cognoscitivam, quam supra diximus: ea enim solum est expressio illa, qua cognoscimus ens, taliter ut diximus constitutum, aptum esse fundare veram sui estimationem, seu ideam.

#### PROPOSITIO IV.

*Hinc veritas transcendentalis soli enti reali convenit.*

**C**olligitur etiam evidenter ex dictis: cum enim veritas transcendentalis consistat in illis prædicatis entis, quibus est id quod est, & esse debet, illud solummodo erit transcendentaliter verum, quod prædicata illa habet, quibus sit illud quod esse debet: sed solum ens reale habet illa prædicata, utpotè quod solum sit verum, & proprium ens: ergo soli enti reali convenit transcendentalis illa veritas, quæ est entis proprietates.

Hinc enti merè possibili non convenit; cum (21.) non sit propriè, & simpliciter ens. Dices ens merè possibile potest cognosci, imò de facto cognoscitur: ergo est transcendentaliter verum. Resp. concesso antecedenti, negans consequentiam: ad hoc enim ut possit cognosci sufficit, ut quemadmodum potest esse ens, possit consequenter esse transcendentaliter verum: cognosci namque possibile, nihil est præter dari cognitionem dicentem, posse absque ulla contradictione poni à parte rei prædicata illa ipsum in suo verò esse constituentia, seu quibus positus, erit tale ens. Hinc multò minus veritas hæc transcendentalis potest impossibili convenire; cum enim nulla habeat prædicata, imò nec habere possit, certè veritatem transcendentalem in illis sita habere nequit; si enim ens non est, nec esse potest, qualiter verum ens poterit esse? neque ulla habere proprietates:  
nam



266 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
nam juxta fatis vulgare proloquium: *Non entis nulle  
sunt proprietates.*

PROPOSITIO V.

*Nulla datur falsitas transcendentalis.*

**P**atet, nam omne ens est transcendentaliter verum; ut constat ex dictis, ergo nullum ens est transcendentaliter falsum. Probatum consequentia, quia esse ens transcendentaliter verum, est habere quiddam habere debet ut sit tale ens: ergo ut aliquod ens sit transcendentaliter falsum, opus est ut aliquo careat ex his, que ut sit tale ens habere debet: sed omne ens habet quiddam requiritur ut sit tale ens, nihilque deficit ex his que ad id muneris requiruntur: ergo nullum ens est transcendentaliter falsum.

Dices Auricalchum aurum falsum appellari, quòd cum perfectiones non habeat, que ad verum aurum requiruntur; auri tamen speciem præferat: hæc autem falsitas alia esse nequit nisi transcendentalis: ergo datur falsitas transcendentalis. Resp. Auricalchum esse verum Auricalchum, habet enim quiddam, ut tale sit, debet habere; dicitur verò falsum aurum, quatenus per exterioriorem sui speciem præbet intellectui occasionem erroris, cum nempe, illa specie deceptus, judicat esse aurum, quod tale non est: neque in hoc est aliqua difficultas.

PROPOSITIO VI.

*Hinc impossibile non potest cognosci.*

**V**arii variè in hoc puncto sentiunt, seu potius loquuntur; quòd tamen mihi verosimilius videatur, paucis aperio. Dico itaque *Impossibile proprie loquendo non posse cognosci.* Probatum 1. Omne enim cognoscibile oportet esse transcendentaliter verum: nihil enim

enim

enim aliter est cognoscibile, nisi quatenus ejus idea potest ab intellectu efformari, quæ certè expressio quædam est prædicatorum illud, quòd cognoscitur, in suo esse intrinsecè constitutum: sed (4.) impossibile non est transcendentaliter verum: ergo cognoscibile non est: & consequenter nequit cognosci.

Probatum 2. Impossibile, est purum nihil: sed purum nihil non potest cognosci: ergo neque impossibile. Probatum minor, nam intellectus non aliter quicquam cognoscit, nisi ejus imaginem exprimens: sed purè nihili imaginem nequit exprimere: ergo illud non potest cognoscere. Minor probatur. Dum quis alicujus obiecti imaginem exprimit, potest se se super illam reflectere, atque dicere apud se qualiter se habeat talis imago: sed nemo potest similiter reflectere supra imaginem nihili, neque hanc dicere qualiter se habeat; ergo nequit exprimere imaginem puri nihili.

Dices nihilum cognosci ad modum entis. Ceterum quis non videat hoc non esse cognoscere nihilum; intellectus enim non aliter sic imaginem nihili representaret, quam qui pingeret hominem ad modum Leonis, qui solum Leonis imaginem in tabula exhiberet; non autem hominis: quemadmodum itaque qui hoc modo pingeret hominem, non hominem ad modum Leonis; sed tantum Leonis exprimeret effigiem: ita & qui vellet apprehendere nihilum ad modum entis, non certè nihilum, sed reale ens sua cognitione exprimeret: ergo nullatenus valet intellectus nihilum cognoscere: & consequenter neque impossibile.

Confirmatur. Si conciperetur homo tamquam Leo, vel formaretur idea solius hominis, & sic non representaretur Leo, & consequenter neque homo tamquam Leo; ad hoc enim opus erat, ut etiam Leo conciperetur:

tur:

tur: vel dum conciperetur homo tamquam Leo, formaretur idea quædam hominis habentis formam exteriorem Leonis: & sic representaretur aliquid possibile: potest enim Deus producere hominem habentem exteriorem formam Leonis: quod si sic homo produci non possit, certè res concepta non erit homo: & consequenter nec conciperetur homo tamquam Leo: vel tandem formatis conceptibus hominis, & Leonis omninò diversis, intellectus iudicaret hominem esse Leonem: quod quidem minimè iudicare potest; siquidem in idea formali hominis essentialiter clauditur rationale; in idea verò Leonis, irrationale: est autem impossibile ut intellectus iudicet rationale, ut tale cognitum, esse irrationale cognitum, ut tale: ergo nullo modo potest impossibile ad modum entis realis cognosci.

Objicies 1. Philosophi rectè iudicantes discernunt verum à falso: & possibile ab impossibili: sed hoc aliter discernere non possunt quam utrumque cognoscentes: ergo cognoscunt impossibile. Resp. negans minorem: discernentes enim possibile ab impossibili non utrumque cognoscunt, sed tantum unum, scilicet impossibile, impossibile verò, cum sit purum nihil, concipere non possunt: imò ex eo quod eorundem intellectus nequeat impossibile cognoscere, statuunt illud esse purum nihil; quod verò intelligere valent, iudicant esse, aut saltem esse posse quid reale: sicque adstruunt ingens illud discrimen inter ens, & non ens; possibile, & impossibile.

Objicies 2. Dum dicimus, *Petrus lapis est impossibile*, cognoscimus subiectum, de quo asserimus esse impossibile: atqui subiectum illud est impossibile: ergo cognoscimus impossibile. Resp. Prædictum actum cognoscere ex parte subiecti Petrum realem, & lapidem

realem, & idemnitatem realem, quam de ipsis negat, imò iudicat eisdem convenire non posse: sicque totum quod ex parte subiecti cognoscitur per illum actum, est reale. Caterum si dum asseris in his, & similibus casibus impossibile cognosci, nihil præterea velis, quam quod intellectus cognoscat incompatibilia esse prædicata hominis, & lapidis, & profus inconiungibilia, ne de nomine ulterius contendamus, tibi ultrò concedam.

Ex dictis tandem colligitur non dari ens rationis, nam si daretur esset impossibile cognitum, (26.lib.1.) sed impossibile non potest cognosci, ut probatum est: ergo non datur ens rationis: nimium tamen in his triticis immoravimus.

## §. II.

*De veritate formali.*

**V**eritas formalis est conformitas cognitionis cum obiecto: cum nempe hoc ita se habet sicut per cognitionem exprimitur: quemadmodum & è converso falsitas est disformitas cognitionis cum obiecto; cum videlicet istud aliter se habet quam per cognitionem exprimitur. Circa hanc itaque veritatem formalem aliqua solent disputari, quæ hic breviter percurram.

## PROPOSITIO VII.

*Veritas formalis est ipsemet actus intellectus quatenus connotans obiectum sicuti est in se.*

**I**ta plerique Philosophi, cum eximio Doct. Suarez. Probatur, nam præcisè posito actu, & obiecto ita se habente sicut exprimitur per actum, iam inest actui conformitas cum obiecto: sed hæc conformitas est veritas formalis: ergo hæc essentialiter stat in ipso actu connotante obiectum sicuti est in se. Hinc veritas forma-

270 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
malis duo includit, nempe actum, & obiectum ita se habens sicut exprimitur per actum. Hinc veritas formalis tantum inadæquate idemprificatur cum actu intellectus: id est, partim cum illo idemprificatur, utpote includit ipsum actum; partim verò ab eo distinguitur, quatenus videlicet importat obiectum ab actu distinctum.

### PROPOSITIO VIII.

*Hinc veritas non est essentialis actui.*

**P**Atet nam veritas formalis præter actum intellectus claudit aliquid ab illo distinctum, nempe obiectum ita se habens sicut per actum exprimitur: ergo deficiente obiecto, id est, si aliter se habeat atque exprimitur per actum, deficiet veritas in actu: ergo non est essentialiter, & ex suis prædicatis intrinsicis verus. Confirmatur. Actus dicens *Petrus currit*, currente Petro est verus; & idem actus intrinsicè immutatus, fuisset falsus, Petro non currente: ergo talis actus non est essentialiter verus.

Neque dici valet forè actum diversum, Petro non currente, ab eo qui elicitus fuit currente Petro: non, inquam, id dici potest; aliter enim omnis propositio foret necessaria: ergo actus ille, quem nimium præcipitanter quis eliceret, affirmans Petrum currere, idem omninò esset Petro currente, aut non currente. Ratio autem hujus rei esse potest, quia essentia illius actus est representare cursum Petri, quem equè representaret currente Petro, quam non currente: Petro autem currente, propositio est vera, quia conformatur cum obiecto; ipso verò non currente, est falsa, quia cum ipso non conformatur.

### PROPOSITIO IX.

*Aliquæ propositiones sunt necessariò verè; aliæ verò tantum contingenter.*

**A**Liquas propositiones esse necessariò veras; alias autem solummodò contingenter compertum est: hoc autem non aliundè, quam ab obiecti conditione provenit: cum enim veritas formalis præter actum intellectus includat obiectum, se habens sicut ab actu exprimitur, præfatam veritatis, seu falsitatis necessitatem, aut contingentiam, ab obiecti conditione exhauriant necesse est. Vides nos de creata cognitione loquutos: certum est enim divinam cognitionem, quæ fons est, & origo totius veritatis, se ipsa essentialiter esse veram, nec posse subesse falso.

Dico itaque 1. *In materia necessaria, vel impossibili, propositio, quæ est vera, est necessariò vera: & quæ falsa, necessariò falsa.* Ratio est, quia in propositionibus de materia necessaria, prædicatum inest necessariò subiecto: igitur cum dicitur inesse, propositio est necessariò vera; & cum negatur inesse, propositio est necessariò falsa: sic *Homo est rationalis*, est necessariò vera: & ejus contradictoria, necessariò falsa. Idem dic de propositionibus de materia impossibili.

Dico 2. *In materia contingenti, propositio non est necessariò vera, neque necessariò falsa.* Cum enim prædicatum non inest necessariò subiecto; si inest, propositio affirmativa erit vera; & si non inest, erit falsa; sed prædictum prædicatum potest inesse, aut non inesse subiecto; ergo propositio potest esse vera, vel falsa: sic cum dico *Sortes sedet*, sedente Sorte eo tempore, de quo loquitur propositio, erit vera; eo autem tempore, si non sedeat, erit falsa. Dices ex suppositione quod

Sortes fedeat, necessarium est federe: ergo propositio; quæ sub hac suppositione loquitur, erit necessario vera. Fateor quidem esse necessario veram ex suppositione quod vera sit, & in sensu composito; non autem est necessario vera absolute, & in sensu, ut ajunt, diviso: quemadmodum enim Sortes fedens ex suppositione quod fedeat, necessario fedet, & hoc non tollit quod liberè, & contingenter fedeat, quia absolute, & in sensu diviso potest non federe, sic & propositio, Sortis sessionem affirmans, licet in sensu composito sit necessario vera; in sensu tamen diviso solum est contingenter vera. Quod inde evidentius patet, quod nempe propositio dicens, Sortem federe ex suppositione quod fedeat, est necessario vera, utpotè de materia necessaria, necessarium enim est Sortem federe ex suppositione quod fedeat; neque enim possibile est federe simul, & non federe.

## PROPOSITIO X.

*Propositio semel vera nequit mutari in falsam, neque è converso.*

**E**St contra plerosque Auctores præcipuè Thomistas. Et quidem si actus intellectus instantaneus sit, minimeque successivus, de quo suo loco, certum est, eum qui semel verus est, non posse in falsum transire, neque qui semel falsus, in verum: cum enim unico instanti duret, si in illo verus sit actus, nullum superest instans in quo falsus esse possit; quemadmodum si falsus sit, nullum est aliud, in quo possit esse verus. Demus tamen actum non instantaneum; sed successivum esse posse, & per aliqua temporis momenta durare, adhuc dico *propositionem semel veram non posse transire in falsam, neque è contrario.*

Probatur, nam propositio vel est de materia necessa-

ria, vel de possibili, vel contingente: sed nulla ex his potest transire de vera in falsam; aut è contra: ergo. Minor probatur, nam 1. Si est de materia necessaria, propositio affirmativa semper est vera, & negativa semper falsa. 2. Si de materia impossibili, negativa semper est vera; & affirmativa, falsa, (9.) & in his nemo dubitat. 3. Si propositio sit de materia contingenti, vel prædicatum inest subiecto pro eo tempore quo à propositione inesse dicitur, & tunc semper est vera, licet eidem non inest pro alio tempore per propositionem non importato; vel non inest pro eo tempore quo inesse dicitur, tuncque semper est falsa; licet pro alio non inest; ergo adhuc in materia contingente propositio semel vera, semper est vera; & semel falsa, semper falsa. Antecedens autem constat, neque enim potest prædicatum pro eodem tempore modo inesse subiecto, modo eidem non inesse: ergo si semel verum est inesse pro illo tempore, aut non inesse, semper illud verum erit: & per consequens propositio illud asserens semper vera, aut semper erit falsa.

Sed objicies. Propositio dicens *Sortes fedet* facta in instanti A, & durans in instanti B, est vera in instanti A, Sorte eo instanti sedente; & falsa in instanti B, Sorte hoc instanti non sedente: ergo propositio semel vera potest transire in falsam. Ad solutionis evidentiam supponendum est, propositionem, ut eadem sit in instanti B, quæ erat in instanti A, idem omnino debere affirmare dum existit in B, quod dum existebat in A; & idem tempus significare: si enim aliquid aliud affirmaret, aut negaret præter illud quod in instanti A, dum primum elicitum fuit, affirmabat, aut negabat, aut id pro alio tempore affirmaret, aut negaret certè jam non eadem, sed alia esset propositio diversa, ut est cer-



tum. Hoc supposito, respondeo: Propositio *Sortes fedet* dum fit in instanti A, vel affirmat Sortem federe pro instanti A; vel in utroque A, & B, vel confusè in aliquo, neque enim ab omni tempore potest omninò præcindere: si primum, semper est vera in instanti B, quia semper verum est federe Sortem in instanti A: si in utroque A, & B, semper est falsa, cum in utroque non fedeat, ut supponitur, sed tantum pro instanti A; si denique affirmat fesionem Sortis pro aliquo ex his instantibus, semper est vera, dummodo pro aliquo est illis fedeat, aut semper falsa, si in nullo fedeat: numquam ergo propositio semel vera in falsam potest mutari.

## PROPOSITIO XI.

*Omnis propositio vera est, aut falsa.*

**P**Robatur, nam nulla est propositio, quæ possit esse, nec vera, nec falsa: item nulla est propositio, quæ simul possit esse vera, & falsa: ergo omnis propositio aut vera est, aut falsa. Utraque majoris pars demonstranda est.

Dico itaque 1. *Nullam propositionem posse esse nec veram, nec falsam.* Patet, nam vel prædicatum inest subiecto, vel non inest: neque enim datur medium; si inest, propositio affirmans inesse est vera; & id negans est falsa: si non inest, propositio negans inesse est vera; & affirmans inesse est falsa: ergo non est assignabilis propositio, quæ nec vera sit, nec falsa.

Dico 2. *Nullam propositionem posse simul esse veram, & falsam. Demonstr.* Nam si propositio est vera, certè ejus obiectum ita se habet sicut à propositione asseritur; si verò sit falsa, non ita se habet sicuti ab ipsa asseritur: sed impossibile est obiectum ita se habere sicut propositio dicit, simulque non ita se habere; ali-

ter enim idem simul esset, & non esset: ergo nulla propositio esse potest simul vera, & falsa: omnis ergo aut vera est, aut falsa. Contra hoc objici solent propositiones illæ, quæ ab aliquibus insolubiles; ab aliis verò se ipsas falsificantes appellantur: licet autem res sit non utique magni momenti, quid tamen dicendum videatur paucis aperiam.

1. Videtur hanc propositionem simul esse veram, & falsam: *Ego semper mentior*: nam si vera est, igitur mentior; si mentior: ergo est falsa: igitur simul vera est, & falsa. Resp. hanc propositionem esse impossibilem: ratio est, quia omnis propositio dicit implicite de se ipsa *vera sum, seu verum dico*: neque enim potest intellectus judicare Petrum esse hominem, quin judicet verum dicere quisquis dicat Petrum esse hominem: judicat ergo saltim implicite se verum dicere: unde nequit judicare se falsum dicere; aliter enim diceret, *verum est, & falsum est quod dico*, quod aperte est impossibile: unde propositio dicens, *ego mentior, seu falsa sum*, diceret etiam falsa non sum, sed vera: diceret ergo, *verum dico, & falsum dico: assentior, & non assentior*, quod est impossibile: ergo est impossibilis prædicta propositio, quemadmodum, & alia similes.

2. Dicat Aristoteles: *Quod Plato dicit verum est: tum Plato: Quod Aristoteles dixit falsum est.* Si verum dicit Aristoteles, verum dicit Plato: si Plato verum dicit, falsum Aristoteles: & si hic falsum, ille etiam falsum. Respondeo secundam propositionem, nempe quæ à Platone dici supponitur, esse impossibilem; cum enim dicat falsum esse quod Aristoteles dixit, dicit consequenter se esse falsam, seu falsum esse dicere se esse veram, quod ut dixi, impossibile est, cum omnis propositio

276 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT;  
tio implicite dicat se esse veram. Ex his patet quid de  
aliis propositionibus similibus sit dicendum.

PROPOSITIO XII.

*Propositiones de futuro contingenti determinatam habent veritatem, vel falsitatem.*

**P**ropositiones omnes de presenti, aut præterito esse determinatè veras, aut falsas, nemo est qui dubitet: illud autem maxime controversitur, an videlicet ex duabus contradictoriis de futuro contingenti; ver. gr. *Petrus cras loquetur: Petrus cras non loquetur*, an inquam sit altera ex illis determinatè vera, & altera determinatè falsa. Respondeo affirmativè cum communi sententia. Ratio est 1. quia supponendo Petrum existere, cras fore loquuturum; & non fore cras loquuturum, contradictoria sunt respectu illius: ergo neque utrumque simul erit, neque utrumque simul non erit: sed potius juxta commune axioma loquutio craftina erit, vel non erit: Petrus ergo vel loquetur cras, vel non loquetur: si primum, propositio affirmativa est vera, & negativa falsa: si secundum, affirmativa est falsa, & negativa vera: ergo una earum est determinatè vera, & altera falsa.

2. Idcirco propositio de re præterita est determinatè vera, quia verum fuit aliquando dicere de presenti rem illam existere: ergo & propositio de futuro erit nunc cum profertur determinatè vera, quoties res, de qua loquitur, erit alicui tempori præfens: neque enim minus fuit determinatè verum cum Christus prædixit Judæ, fore ut ab eo traderetur, quam nunc verum est, Christum à Juda traditum fuisse: veritas enim propositionis præteritæ, aut futuræ ex presenti veritate pendet. Nec obest, nobis latere quænam ex propositionibus

de futuro contingenti vera sit, & quænam falsa. 1. Quia propositionum veritas minimè pendet ex eo quod sciat, aut ignoretur; sed ex eo solum quod res sit, aut non sit quemadmodum per actum asseritur. 2. Quia Deus optimè novit utra earum sit vera, cum omnia nuda sint, & aperta oculis ejus: si ergo nostra propositio idem dicat ac divina, certè vera erit, quantumvis à nobis ejus veritas ignoretur. Alia quæ hic acriter disputari solent, potius Theologica sunt quam Philosophica, ideoque jure ab eis superfedo.

PROPOSITIO XIII.

*Apprehensio in aliquo sensu est vera; sed in nullo potest esse falsa.*

**D**urandus, Vazquez, pluresque Thomista nullà in apprehensione veritatem formalem agnoscunt, aut falsitatem; alii nec ignobiles Auctores oppositum tenent. Sed ut verum fatear, quæstio est de puro nomine: certum est enim apprehensionem vel conformari cum obiecto ab ipsa representato; sic cum apprehendo *animal rationale*, dicor habere veram ideam hominis, & apprehensionem illam verè hominem representare: ergo apprehensio in hoc sensu vera potest appellari: quemadmodum & imago Regem representans, vera illius dicitur imago.

Dico præterea nullatenus apprehensionem posse dici falsam; ratio est, quia vel apprehendit rem omninò; & tunc est vera in sensu supradicto: vel apprehendit rem tantum quoad aliquam ejus partem, & tunc etiam est vera apprehensio illius partis; licet sit imperfecta, eo quod totum, quod in illa re reperitur, non apprehendat, nec perfectam ejus ideam efformet: vel denique rem nullo modo percipit, tuncque nullam illius ideam

effingit : & consequenter falsa dici non potest.

Dices, cum nobis cuprum loco auri proponitur, apprehendimus cuprum quasi aurum : ergo falsa est apprehensio. Resp. Nos tunc apprehendere aurum, ideoque habemus veram auri apprehensionem, & ideam : in hoc enim, & similibus casibus, non quidem falsò; sed potius malè apprehendere dicimur : verum quidem est ex hac perperam facta apprehensione, erroneum sequi de re proposita iudicium, dum videlicet iudicamus aurum esse illud, cum tamen cuprum non aurum sit : hoc autem non infert falsam fuisse apprehensionem respectu obiecti à se apprehensi, cum illud verè representet; non enim falsitas in apprehensione, sed in subsequuto ad illam iudicio reperitur.

## CAPUT II.

*De bonitate, secunda proprietate Entis.*

**S**ECUNDA Entis proprietas bonitas est, quæ nempè omne ens *bonum* appellatur. Multipliciter autem dividitur bonum in communi, nam aliud dicitur bonum à se, & per essentiam; aliud verò ab alio, & per participationem. Bonum à se, & per essentiam est solus Deus : sicque intelligendum est illud Christi Domini Lucæ 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Bonum ab alio, & per participationem sunt creature omnes, ut habetur Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Præterea dividitur bonum in transcendentale, & morale: *Transcendentale* est quod in omni ente necessariò reperitur. Bonum *Morale* est quod à voluntate libera appeti potest; quod

ul-

ulteriùs in bonum honestum, vtilè, & jucundum subdividitur, de qua in Theologia, & Philosophia morali: nunc enim solùm de transcendentali nobis agendum est.

## PROPOSITIO XIV.

*Bonitas transcendentalis est ratio illa per quam quodlibet ens est intrinsecè id quod esse debet; cum aliqua tamen connotatione ad potentiam appetitivam.*

**P**ROBATUR eodem prorsus modo, quo prop. 1. simile quid de transcendentali veritate stablivismus, à qua per id tanum differt quod veritas transcendentalis connotat aliquatenus potentiam cognoscitivam; bonitas verò, volitivam. Hinc bonitas est quid positivum, quid absolutum; soli que enti reali convenit, tamquam ejus attributum, & proprietas : quæ omnia eodem insunt fundamento, quo ea quæ prop. 2. & 3. de veritate transcendentali similiter diximus : ideoque non est cur in iis amplius immoremur.

## PROPOSITIO XV.

*Malitia nihil est aliud quam bonitatis privatio.*

**I**TA S. Dionysius *lib. 4. de divinis nominibus*, quem alii Patres sequuntur, ut Damascenus *lib. de Fide, cap. 2.* ubi dicit, *nihil est malum nisi boni privatio.* Et S. Augustinus *lib. 11. de Civit. Dei, cap. 9.* *Mali nulla natura est, sed omninò boni.* Quos sequitur S. Thomas pluribus in locis. Ratio autem est, quia mali nomine id omnes intelligunt, quod est oppositum bono, seu bonum excludit : ergo est privatio boni. Hinc malum prout oppositum bono entitativo, & transcendentali, est privatio boni transcendentalis : cumque (13.) hoc sit

fit

fit cui nihil deest ex his prædicatis essentialibus, quod ut tale fit, intrinsicè requirit; certè malum prout ei oppositum, est privatio, aut potius negatio prædictorum essentialium prædicatorum : est ergo negatio entis. Hinc malum morale est privatio bonitatis moralis, seu rectitudinis debite, ut à plurimis Theologis asseritur. Hinc tandem colligitur nullum dari malum transcendente, ad hoc enim opus erat, ut privatio boni transcendentalis omni enti conveniret : sed hoc est impossibile, cum omne ens fit transcendentaliter bonum : nulli ergo enti convenit esse transcendentaliter malum ; tam longè abest ut cuncta entia malum istud transcendat : igitur nullum datur malum transcendente.

## CAPUT III.

*De unitate, tertia proprietate entis : & de rerum distinctione.*

## DEFINITIONES.

**U**NITAS est ratio illa secundum quam unum quodque dicitur unum. Sic ab unitate dicitur unus Sol, unus homo, unus Leo, &c.

2. Unum est quod plura non est. Rudis, subaudio, est hæc, nimisque ampla unius explicatio : fateor, sed cum unum sit terminus analogus, certè antequam dividatur, unica definitione definiri nequit : sola itaque nominis expositione contenti sumus, donec in sua analogata dispertiat, quæ ad duo sequentia potissimum reducuntur : unum videlicet entitativum, & transcendente ; & unum Logicum, & universale : de quibus seorsim agendum est.

## §. I.

*De unitate transcendentali, seu entitativa.*

**U**Num transcendente, seu entitativum sic communiter definitur. *Quod est indivisum in se, & divisum à quolibet alio* : unde unitas transcendentalis, seu entitativa est, *indivisio rei alicujus in se, & divisio à quolibet alio. Explicatur.* Esse ens indivisum in se nihil est aliud, quam non esse plura entia ejusdem rationis ; licet enim in alia divisibile sit ; non tamen in alia ejusdem rationis, cujus ipsum est : sic Petrus transcendentaliter est unus, quia licet in corpus, & animam, tum & in plura membra dividi possit, non tamen in plures homines : additur, *& divisum à quolibet alio* ; id est, quod nihil aliud est, nisi illud ipsum quod est : sic Petrus nullum habet esse aliud à suo esse, seu ab esse Petri : unde de illo nequaquam dici potest, quod sit Joannes, Paulus, &c. Circa hæc aliqua solent inquiri, quæ hic breviter percurram.

## PROPOSITIO XVI.

*Unitas transcendentalis est proprietas entis.*

**P**atet, nam esse unum omni enti competit : nullum est enim ens, de quo dici non possit esse unum ens : quod sic demonstrato. Quodlibet ens vel plura dicit, vel unum ; si unum : ergo quodlibet ens est unum ; si plura, vel quodlibet illorum dicit adhuc plura, vel unum ; si primum, iterum in eadem interrogatione insistam, eritque processus in infinitum : ut ergo hujusmodi processus vitetur, dicendum est secundum unum quodque videlicet ex illis esse unum : ergo quodlibet ens est unum, quod erat demonstrandum.



## PROPOSITIO XVII.

*Unitas entitativa supra ens nihil addit positivum, sed solum aliquid negativum.*

**I**Ta S. Thomas, omnesque ejus discipuli, quos sequitur Suarez *disp. 4. Metaph. sect. 1.* aliique plures. Probatur, quia si unitas supra ens quicquam adderet positivum, certè positivum illud esset ens: ergo unum. Idque per aliquid aliud positivum, de quo idem rediret argumentum; & consequenter res in infinitum abiret: unitas ergo præter ens, nihil superaddit positivum; sed solum aliquid negativum, de quo in propositione sequenti.

## PROPOSITIO XVIII.

*Negatio quam supra ens addit unitas, est tantum negatio pluralitatis.*

**P**ROBATUR nam id facit formaliter quodlibet ens esse unum, quod facit non esse plura entia: nec aliter evincere poteris aliquid ens esse unum, quam si probes non esse plura; cujus rei testis est experientia: si enim queram à te an solus sis in conclavi; & te solum esse respondeas, si forte annuere renuam, statim ex adverso repones, præter te neminem esse; id est, te esse in conclavi, & nullum alium ibi esse: unitas ergo supra ens solum addit negationem pluralitatis; seu illud ens non esse plura ejusdem rationis, ut initio dixi. Adverte tamen, consultò me in conclusione dixisse unitatem tantum addere supra ens negationem pluralitatis prædictam: hic est enim primarius entis, qua unius, conceptus, quo præcisè spectato jam ens intelligitur unum: divisio enim à quolibet alio, seu non esse aliud ens à se ipso distinctum, conceptus est secundarius, ex prædicto legitime consequutus.

PRO-

## PROPOSITIO XIX.

*Hinc unum dividitur in unum per se, & unum per accidens.*

**U**NUM per se est, *ens unius essentialis.* Unum per accidens est, *ens plurium essentialium.* Ens autem unius essentialis est illud, quod in suo conceptu dicit essentialitatem indivisam in se, sive illa essentia simplex sit, seu composita: unde est ens quod dividi nequit in alia ejusdem rationis; & consequenter (18.) est transcendentaliter unum. Ens verò plurium essentialium est illud quod in suo conceptu dicit essentialitatem quandam divisam in se in plura ejusdem rationis: unde est transcendentaliter plura, seu aggregatum plurium diversorum. Quod sic ulterius explico.

Unum per se, seu ens unius essentialis, est quod vel simplex est, ut Deus, Angelus, & punctum materiæ, &c. vel si compositum sit, ejusdem partes vera unione inter se copulantur, ut homo, qui licet constet corpore, & anima, ita tamen hujusmodi partes inter se uniuntur, ut unum per se conficiant; unum, inquam, hominem, uniusque essentialis ens, quod in plura ejusdem rationis, seu in plures homines sit indivisum: licet enim in corpus, & animam dividatur, neque solum corpus, neque sola anima sunt homo: similiter baculus, licet in plures partes divisibilis sit; quoniam hæ per veram unionem inter se necuntur, unum sunt per se, seu baculus unum ens est, & unius essentialis.

E contra verò ens plurium essentialium, seu per accidens, est ens cujus partes vera unione invicem non copulantur; sed solum aggregantur, ut lapides in cumulo: aut ordinantur, ut in exercitu homines: unde quilibet ejus pars solum accidentario adjectur alteri stant per

per se, & in suo esse completo: hinc commune illud effatum *ex duobus entibus completis nequit fieri unum ens per se*. Dicitur itaque exercitus unus, & plura: unus, unitate ordinis; plura verò, unitate transcendentali, quia ex pluribus hominibus componitur, quorum quilibet est unum per se: similiter lapidum acervus unus dicitur unitate aggregationis; plura verò transcendentally, quia ex pluribus lapidibus coacervatis conficitur, quorum quilibet est unus per se; sed hæc sunt facilia.

### De rerum distinctione.

**Q**Uoniam unitati opponitur multiplicitas, quæ dubio procul ab entium distinctione dimanat, idcirco opere pretium duxi agere nunc de distinctione, præcipue quod ejus intelligentia ad ea percipienda, quæ de unitate universalis mox sumus dicturi, sit maxime necessaria.

### PROPOSITIO XX.

*Explicatur quotuplex sit distinctio.*

**D**istinctio alia est *realis*, alia *rationis*. *Distinctio realis* est illa, quæ reperitur inter duò, quorum unum non est aliud, idque nemine cogitante: talis est, quæ inter Socratem, & Platonem reperitur: Socrates enim, independenter ab omni intellectu consideratione non est Plato. *Distinctio rationis* est, quam res non habent prout sunt in se, sed tantum quatenus à nostro intellectu aliquam denominationem recipiunt: talis est quæ dicitur esse inter attributa divina, justiciam, ver.gr. & misericordiam, quæ realiter quidem idem sunt; sed quia ab intellectu nostro per diversos conceptus attinguntur, ratione asseruntur distingui.

**2.** *Distinctio realis* dividitur in *positivam*, & *negativam*. *Positiva* est, quæ inter terminos positivos existit, sive ii sint conjuncti, ut corpus, & anima, sive sint ab invicem separati, ut Socrates, & Plato. *Negativa* est, quæ reperitur inter rem existentem, & aliquid non existens: sic Sol distinguitur ab Antichristo, id est, non est Antichristus: an autem hæc proprie dicatur distinctio, quæstio est de nomine.

*Distinctio realis positiva* multiplex est: alia quæ reperitur inter duas res, quæ & *distinctio realis major appellatur*, talis est inter Solem, & Lunam: alia quæ reperitur inter entitatem, seu rem, & ejus modum, diciturque communiter *realis minor*, qualis occurrit inter lapidem, ejusque figuram. *Distinctio item positiva* alia est *adequata*, ut inter Socratem, & Platonem; alia *inadequata*, quæ alio modo dici solet vel *includentis ab inclusivo*, qualiter homo distinguitur à sua anima; vel *inclusi ab includente*: sicque anima ab homine distinguitur.

**3.** *Distinctio rationis* duplex assignatur, alia cum fundamento, quæ & dici solet *rationis ratiocinata*, quoties nempe obiectum præbet intellectui fundamentum, ut inter ea, quæ realiter idem sunt, distinctionem aliquam excogitet: hujusmodi distinctio rationis dicitur esse inter attributa divina, ver.gr. inter justitiam, & misericordiam: actiones enim puniendi, & miserendi fundamentum intellectui præbent ut Deum sub diversis conceptibus concipiat; ideoque illa attributa dicuntur per intellectum distingui ratione ratiocinata, seu cum fundamento. Alia distinctio rationis est sine fundamento in re, diciturque *rationis ratiocinantis*: hujusmodi distinctionem efficere dicitur intellectus, cum liberè per conceptus omnino idemptificos ratiocinatur; ut si in-

286 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
dumentum quis à vestimento fecerneret; sed hæc potius  
nugatio dicenda est quam distinctio.

Prædictæ distinctionum species communiter admit-  
tuntur; his tamen adduntur alia, de quarum existen-  
tia, imò & possibilitate jure controvertitur, talis est  
primò distinctio illa à Subtili Scoto excogitata, quam  
appellat *formalem*, & *actualem ex natura rei*, me-  
diamque asserit esse inter realem, & rationis, eamque  
defendit inter gradus metaphysicos, tum & inter attri-  
buta divina. Secunda distinctio est *virtualis*, quæ in eo  
solum stare dicitur, quod videlicet perfectiones realiter  
inter se idempricatæ perinde se habeant, atque si di-  
stingerentur, seu equivaleant rebus realiter distinctis;  
hæc à plerisque Auctoribus inter gradus metaphysicos:  
tum & inter attributa divina solet admitti: sed de his  
statim; quid enim speciatim de singulis distinctionibus  
dicendum videatur sequentibus propositionibus aperio.

#### PROPOSITIO XXI.

*Quodlibet ens distinguitur realiter ab alio per se  
ipsum.*

**D**istinctio in communi est *unum non esse aliud*, sic  
Petrus distinguitur à Paulo, quia Petrus non est  
Paulus: & Paulus distinguitur à Petro, quia non est  
Petrus: hoc ita clarum est, ut ulteriori explanatione non  
egeat. Quo supposito, dico *quodlibet rem distingui ab  
alia per se ipsam.*

*Demonstr.* Quælibet res est formaliter per se ipsam  
id quod est: ergo per se ipsam non est id, quod est alia:  
ergo per se ipsam distinguitur ab alia. Præterea si per se  
ipsam non distinguitur ab alia: ergo per aliquid à se  
distinctum: quæram itaque an ab hoc per se ipsam di-  
stinguatur; quòd si annuas habeo intentum; si verò re-  
nuas,

nuas, tibi reponam: ergo distinguitur per aliud ab illa  
distinctum: & ab hac, per aliud, & sic in infinitum,  
quod admitti non potest: quælibet itaque res distin-  
guitur ab alia per se ipsam.

#### PROPOSITIO XXII.

*Canones, & signa distinctionis realis expo-  
nuntur.*

**C**anon 1. Quisquis asserit unum realiter entitativè  
distingui ab alio, id debet positivo argumento  
probare; aliter enim cuilibet liceret impunè mentiri:  
neque Philosophum decet aliquid positivè asserere, nisi  
aut ratione, aut experientia, aut divina revelatione in-  
ductus. Si hæc regula observata fuisset, forsan non tot  
in Scholis distinctiones irrepissent, quæ totam penè Phi-  
losophiam deturparunt.

*Canon 2.* Hinc vulgare illud, ac tritum proverbium:  
*Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, vel ra-  
tione, vel experientia, vel revelatione.* Hic celebris est  
ille Ochami equus, qui numquam claudicat; sed totam  
Philosophiam justo ambulat passu. Qui enim multipli-  
cat entia, certè res novas inducit, ab illis, quas alii ad-  
mittunt, prorsus distinctas: tenetur ergo illas probare;  
aliter eadem facilitate illas rejiciam, qua ab eo asse-  
runtur.

*Canon 3.* Hinc commune illud, ac verum Nomina-  
lium effatum: *Frustra fiunt per plura, quæ per pau-  
ciora fieri possunt.* Quod in idem recidit atque Canon  
præcedens.

Ex his regulis apertè colligitur non esse ponendam  
distinctionem ubi nullum apparet distinctionis signum:  
nec aliud signum indistinctionis optandum esse præter  
nullum dari distinctionis signum. Videamus itaque  
opor-

oportet, quæ sint certa distinctionis realis signa, neque enim in eisdem assignandis una est Auctorum mens.

*Signum 1.* Est mutua separabilitas: illa enim quæ separata existunt, aut existere possunt, necesse est realiter esse inter se distincta; aliter enim idem posset separari à se ipso, quod lumini naturali adversatur. Hęc autem separabilitas realis, vel est ratione loci; sic corpus, & anima rationalis naturaliter existunt separata, idque in diversis locis: vel ratione temporis: sic Petrus nunc existens distinguitur ab Antichristo in fine mundi exituro: & hic cum existet, distinguetur à Petro nunc existente. Licet autem evidens sit ea, quæ ab invicem separari possunt, realiter distingui; non tamen statim verum est, ea quæ realiter distinguuntur, esse inter se separabilia: tres enim divinæ Personæ sunt inter se realiter distinctæ, cum tamen ab invicem separari non possint.

*Signum 2.* Distinctionis realis esse posse unum existente sine alio; & hoc aliud sine illo: sive id naturaliter, sive miraculosè contingat: sic substantia panis potest existere sine albedine, idque naturaliter: & albedo existere potest, imò & de facto existit sine substantia panis miraculosè in venerabili Sacramento Eucharistiæ. Duo dixi requiri ad hujusmodi distinctionis realis signum, videlicet unum existere posse sine alio, & insuper hoc posse existere sine illo, id inquam dixi, ut certa ab incertis fecernam; licet enim digitus existere possit absque inflexione, quæ modus digiti est; non est tamen certum inflexionem, quæ à digito nec divinitus potest existere separata, quid distinctum esse realiter à digito: jure enim vertitur in quæstionem, an admittenda sit distinctio illa realis minor, quæ communiter à Modistis asseritur intercedere inter rem, & modum ejus, de quo postea erit sermo.

*Signum 3.* Realis distinctionis est oppositio physica, & realis: nihil enim sibi opponitur, neque contradictrici; nihil enim potest simul esse, & non esse: neque contrariè; nihil enim sibi ipsi adversatur, nihil se ipsum ex subiecto pellit, neque adversum se certat, pugnat, aut repugnat. Idem dico de oppositione relativa, quæ solum in his; quæ ad alterum esse dicuntur, reperitur: si enim quæ sic sunt opposita, ad alterum sunt, cerè unum, & alterum reperiri necesse est: ergo & realis distinctio. Quoniam autem multa sunt relatorum genera, multa quoque distinctionis realis signa ex hoc capite habere potes: sic causa distinguitur realiter ab effectu: sic producens à producto: principium à principiato, generans à genito: sic Personæ realiter in divinis distinguuntur, quia nempe opponuntur relativè.

## PROPOSITIO XXIII.

*Ante omnem actum intellectus dantur in eadem re formalitates Logicae.*

**D**Ari formalitates logicas constat ex prop. 7. lib. 1. Esse autem in rebus ante omnem actum intellectus probatur, nam licet nemo cogitet, homo tamen, unus realiter cum sit, principium est diversarum operationum, sensationis videlicet, & discursus, quod sanè fundamentum est, ut noster intellectus hominem, quæ sensitivum, ita cognoscere possit, quasi discursivus non esset; perinde enim se habet in ordine ad illam cognitionem, atque si non esset discursivus; & è converso, ut prop. 5. lib. 1. explicatum est: sed hæc sunt formalitates Logicae, ut ibidem asserui: ergo hujusmodi formalitates sunt in re ante actum intellectus. Hinc vides formalitatem dicere quidem habitudinem ad intellectum; non tamen illum actum operantem supponit, sed ut *ta*



290 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
liter cognoscere potentem; id est, supponit illam cognitionem, non actualem, sed possibilem.

PROPOSITIO XXIV.

*Inter has formalitates datur distinctio Logica.*

**P**atet, nam dantur formalitates Logicę: ergo datur inter eas distinctio Logica. Explicatur amplius. Nomine distinctionis Logicę id tantum intelligo, unam scilicet rationem in obiecto, quę eadem est realiter cum alia, ita se habere logicę, seu in ordine ad scientias humanas, atque si realiter ab illa distingueretur, ut exempli gratia, de animalitate, & rationalitate dictum est: sed formalitates nihil aliud sunt quam perfectiones, quę cum realiter idem sint, ita tamen logicę se habent, ac si realiter distinguerentur: ergo inter illas datur distinctio Logica.

PROPOSITIO XXV.

*Hęc distinctio est ante omnem actum intellectus.*

**N**am est inter formalitates; sed hæc sunt (23.) ante omnem actum intellectus: ergo & earumdem distinctio.

PROPOSITIO XXVI.

*Hanc distinctionem appello virtuales.*

**D**ucor: quia unum virtualiter esse aliud, est perinde se habere, atque si realiter esset illud: ergo ea, quę realiter distincta non sunt, perinde tamen se habent in ordine ad intellectum, atque si realiter forent distincta, rectę dicentur virtualiter distingui: sed sic se habent formalitates (24.): ergo rectę dicentur virtualiter distingui. Poteris etiam si plus arriserit, præfatam distinctionem appellare *formalem*, quod nempę sit inter formalitates: poteris etiam si placuerit, eandem *ex natura rei* dicere, quod videlicet fundetur in ipsa rei

natura illas perfectiones habentis: quod si nihil præterea velint Scotistę, manus jungemus inermes: talis est enim rei natura, tale ejusdem esse, ut in ordine ad cognitiones nostras, præsertim scientificas, perinde se habeat, una cum sit, ac si multiplex esset. Sed hæc sunt de nomine.

PROPOSITIO XXVII.

*Distinctio rationis nihil aliud est præter denominationem extrinsecam ab intellectu præscindente desumptam.*

**Q**uid enim aliud esse potest? Neque enim aliter potest intellectus, quę realiter indistincta sunt, distinguere, nisi quatenus unam obiecti perfectionem ita attingit, ac si alia cum illa realiter idemptificata ab ipso non attingeretur, quod est logicę præscindere, (5. lib. 1.) sic enim mentaliter dividit quę indivisa sunt, ac distinguit quę in re non sunt distincta: posito itaque hujusmodi actu distinguente, formalitates illę denominabuntur per rationem distinctę, quemadmodum & ab actu, quo cognoscuntur denominantur cognitę, quod certę nihil aliud est præter denominationem extrinsecam: Quoniam veró id facit intellectus illo fundamento ductus, quod obiecto inesse diximus; idcirco hæc distinctio appellatur *rationis cum fundamento*, seu rationis, ut ajunt, *rationatę*: cumque præterea fundamentum illud sit (26.) distinctio quædam virtualis, certę hæc virtualis distinctio fundamentum est ad distinctionem rationis *rationatę* prædictam, quod communiter asseritur à Thomistis.



## PROPOSITIO XXVIII.

*Aliqui distinctionum termini explicatur.*

**A**Dvertendum in presenti est, hos terminos, videlicet aliqua esse *distincta*: differre, & esse *diversa*, licet frequenter promiscuè pro eodem soleant usurpari; in rigore tamen diversam habere significationem: distingui enim ea dicuntur, quæ idem non sunt: juxta Philosophum autem 5. *Metaph. cap. 6.* & *lib. 10. cap. 5.* ea propriè dicuntur differre, quæ in aliquo conveniunt, & in alio distinguuntur, ut homo & equus, qui in animalitate conveniunt, differunt verò in rationalitate, & equitate. Esse autem diversa dicuntur illa, quæ in nullo conveniunt, neque alias habent differentias, per quas differant, ideoque dicuntur esse primo diversa, seu primo differre, ut sunt Paucitas, & Petreitas; sic S. Thomas 1. p. q. 3. art. 8. ad 3.

Porrò ex his quæ differunt, alia dicuntur genere, seu predicamento differre; alia specie, alia numericè. Genere, seu predicamento differre dicuntur duo genera suprema, & omnia, quæ sub illis continentur: sic substantia, & accidens, & omnia quæ sub eisdem continentur, dicuntur genere differre, præsertim ab his Auctoribus, qui nullam agnoscunt rationem univocam ad illa: quæ etiam primo diversa possunt appellari, cum in nulla ratione univoca conveniant. Specie autem illa differre dicuntur, quæ aut duæ species sunt, ut Homo, & Equus, aut quæ sub diversis speciebus continentur, ut Socrates, & Bucephalus, quorum ille sub humana specie; hic sub equina collocatur.

Cognoscuntur autem, quæ specie diversa sunt, ex regula ab Aristotele tradita 5. *Metaph. cap. 1.* ut sequitur: *Ea autem differunt specie, quæ sub eodem genere di-*

*versas habent definitiones essentielles.* Ubi vides genera subalterna, genera licet sint; non dici tamen genere inter se differre, sed solum specie; & merito, quia inter duo univoca, numquam est in tota entitate discrimen; conveniunt enim in ratione communi, & differunt ratione differentiarum illam contrahentium: hæ autem differentię contrahentes; in rebus, quæ specie differunt, communes, & universales esse oportet respectu suorum inferiorum: unde aliud habes, idque manifestum diversitatis specificè signum: ea enim dicuntur specie differre, quæ cum univocè in aliqua ratione conveniant, differunt tamen ratione differentiarum universalium, seu ulterius alia inferiora habentium: hinc Petrus, & Paulus non differunt specie, quod eorum differentie nulla habeant, inferiora, de quibus prædicentur; bene verò Homo, & Brutum: cum enim eorum differentie, rationalitas videlicet, & irrationalitas, sua habeant inferiora, de quibus enunciantur, specie dicuntur differre.

Tandem ea numero differre dicuntur, quæ cum eisdem sint speciei infimæ, sola differentia individuali distinguuntur; & ut vulgò asseritur, penes hoc, & illud, ut Petrus, & Paulus: unde nam autem hac numerica distinctio desumatur, palam fiet ex iis, quæ suo loco de individuationis principio dicemus.

## §. III.

*De unitate universali, & individuali.*

**E**Gimus jam de universalibus in Logica, sed rudiori calamo, prout videlicet loci oportunitas exigebat: nunc de eisdem iterum agere cogimur; non quidem ut recoctam crambem exhibeamus; sed potius ut ea scrutemur, quæ utpote subtiliorem calamus exigentes,

PROPOSITIO XXIX.

*Quid circa universalia certum videatur explicatur.*

**D**E universali plurimè sunt inter Philosophos lites, multaque quæstiones, ac ferè omnes de voce, in quibus tempus inutiliter teritur; ut itaque universalium cognitio evidentius habeatur, ea quæ mihi certa esse, atque inconcussa videntur, prælibanda putavi.

1. Multa quæ realiter inter se sunt distincta, similia sunt, ideoque communem dicuntur habere naturam: sic Petrus, Paulus, Franciscus, &c. licet realiter, & physicè inter se distinguantur, ita tamen inter se similes sunt, ut eandem naturam humanam habere dicantur; omnes enim simili modo ratiocinantur, loquuntur, ridet, erecta statura incedunt, &c.

2. Hæc convenientia, & similitudo haud dubiè fundamentum præbet intellectui, ut ita discurrat, ita disse-rat, ita pertractet de rebus illis realiter distinctis, atque si essent una res: ideoque perinde se habent in ordine ad scientias, atque si unum quid essent; una videlicet natura, unaque perfectio, ut jam in Logica diversis exemplis demonstravi.

3. Intellectus autem dum ita circa res illas versatur, dum ita de ipsis diserit, ita res illas distinctas sub illa ratione intuetur, ut à differentibus, quibus illa ratio, seu natura inest, ac penes quas diversificatur, logicè saltim præscindat: in quo consistit eas cognoscere, ac intueri, quasi essent una ratio, unaque perfectio, ut ex his, quæ de præcisionibus dixi, est satis manifestum.

4. Hinc fit eas res per actum illum præscindentem denominari cognitæ quasi essent una perfectio, quate-  
nus

5. Certum item est, intellectum dum communem illam rationem, seu perfectionem intuetur, sæpissimè eam sibi præfigere tanquam subiectum, de quo agat, cujus essentiam perscrutetur, cujus attributa, proprietates, & effectus demonstret: sic quidem se gerunt omnes scientiæ, quæ idcirco de universalibus communiter esse dicuntur. Efficit præterea intellectus eandem illam rationem multoties prædicatum, dum videlicet illam in concreto, ut ajunt, de suis inferioribus enunciat, seu illam de singularibus, quibus inest, affirmat. In his, ni fallor, tota clauditur universalium res, quibus ritè perfectis, tot sæculis pendentes lites, faciliè, ni fallor, possunt resolvi. Nunc autem quæ cocervatim diximus, seorsim, breviter tamen, percurramus.

PROPOSITIO XXX.

*Universale est unum multiplex: seu unum in multis univocè, & divisi-m.*

**I**Ta expressè Arist. 1. *Poster. textu* 25. Idque satis mihi videor explicuisse in Logica: nihil enim aliud nomine *universalis* in præsentem intelligimus, quam unam rationem, seu perfectionem, quæ pluribus inest, atque in eisdem sit realiter multiplicata: id enim per illa verba *univocè, & divisi-m* intelligitur, quod nempe perfectio illa à multis participetur, non solum secundum idem nomen; verum etiam secundum eandem nominis significationem, & in illis sit realiter divisa, & multiplicata: sic quia in Petro, Paulo, &c. eadem reperitur ratio hominis, quæ in ipsis realiter est diversa; diversa quippè est quæ in Petro, ab illa quæ est in Paulo, &c.

&c. Idèò dicimus rationem illam hominis esse universalem, una nempe cum sit, unitate scilicet universali, multiplex est realiter in illis, seu realiter in illis multiplicatur. E contra verò Natura divina nullatenus dici potest universalis respectu Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia una omninò est, & indivisa in tribus divinis Personis: eadem enim quæ est in Patre, est in Filio, & in Spiritu Sancto.

## PROPOSITIO XXXI.

*Hinc universale necessario dicitur plura simul, & unum.*

**P**atet; non enim aliter esse potest unum multiplex, seu unum in multis: coalescit ergo universale ex unitate, & multitudine: Qualis autem sit hæc multiplicitas, hæcque unitas, nunc est aperendum.

## PROPOSITIO XXXII.

*Universale dicitur multa physicè, & realiter.*

**P**atet, nam illud quod universale est, multis physicè inest, idque divisim, seu cum multiplicitate: ergo est physicè, & realiter multa.

## PROPOSITIO XXXIII.

*Hinc non dicitur unum physicè, & realiter.*

**R**atio est evidens, nam idem simul esse non potest eodem modo unum, & plura: si enim esset unum, & plura, certè esset unum, & non unum; plura, & non plura, quod implicat: sed (32.) universale est multa realiter, & physicè: ergo physicè, & realiter non est unum. Hinc tantum esse potest unum virtualiter, aut per rationem, ut in Logica diximus.

## PROPOSITIO XXXIV.

*Universale dupliciter considerari potest, fundamentaliter scilicet, & formaliter per rationem.*

**U**niversale fundamentale, seu fundamentaliter acceptum, ut jam in Logica dixi, sunt plures res realiter, ac physicè distinctæ, quatenus intellectui præbent fundamentum, ut illas sub una ratione communi apprehendat: tale autem fundamentum nihil est aliud, quam similitudo quædam, & convenientia in aliqua ratione, quæ licet in prædictis rebus multiplex sit, sufficit tamen, ut intellectus omnes illas res sub eadem illa ratione cognoscat: sic ratio hominis dicitur fundamentaliter universalis in ordine ad Petrum, Paulum, Franciscum, &c. quia licet realiter in illis multiplex sit; ita tamen in ea omnes homines similes sunt, ita in illa ratione conveniunt, ut intellectus hac similitudine ductus, omnes sub una ratione hominis apprehendat.

Universale autem formale, aut per rationem sunt eadem res realiter distinctæ, prout tamen ab intellectu, ita sub illa ratione, in qua conveniunt, concipiuntur, quasi illa esset unica ratio, unicaque perfectio: unde universale formale, aut per rationem sunt multa cognita, ac si essent unum: sic Petrus, Paulus, &c. cogniti sub una hominis ratione, sunt universale formale.

Hinc vides utrumque universale, fundamentale scilicet, & formale, convenire quidem in multiplicitate, quæ in utroque realis est, & physica; differre tamen in unitate, quæ in universali fundamentali fundamentalis est; in formali verò, & per rationem, unitas est per rationem, & formalis: in quo autem utraque unitas consistat jam explico.



## PROPOSITIO XXXV.

*Unitas uniuersalis, quod fundamentale appellamus, est unitas virtualis.*

**E**xplicatur. Dico itaque unitatem propriam uniuersalis fundamentaliter accepti in eo consistere, quod uidelicet multa, quæ realiter, & physice distincta sunt, propter convenientiam tamen, & similitudinem, quam inter se gerunt, ita se habeant in ordine ad intellectum, seu in ordine ad scientias humanas, atque si essent una tantum ratio, unaque perfectio: quam unitatem hac ratione ductus, non ineptè *virtualem* appello, aut æquivalentiæ, quod nempe in eo consistat, quod multæ res realiter, & physice distinctæ, sint virtualiter una; id est, ita se habeant in ordine ad scientias, atque si essent una. Quoniam verò id intellectui fundamentum præbet, ut omnes illas res sub una ratione concipiat, atque de ipsis agat, disserat, &c. non aliter atque si essent una, idèò unitas fundamentalis appellari potest; hancque assero uniuersale fundamentale constituere, quod nihil aliud est, quam *unum virtualiter, & multiplex realiter*. Id est, quod multa realiter, ac physice distincta sint virtualiter unum. Cæterum cum de his factis in Logica egerim, ab ulteriori nunc explanatione suspedeo.

## PROPOSITIO XXXVI.

*Hinc uniuersale fundamentale datur à parte rei.*

**H**oc jam in Logica diximus: dantur enim plura, quæ virtualiter unum sunt; idque ante omnem operationem intellectus: imò unitas illa virtualis intrinseca est, & essentialis rebus illis, utpotè sine illa esse non possunt: ergo datur à parte rei uniuersale fundamentale, nec in hoc quicquam difficultatis apparet.

PRO-

## PROPOSITIO XXXVII.

*Unitas formalis, seu rationis fit per simplicem mentis abstractionem.*

**P**robatur, nam dum intellectus logicè præscindit naturam, ver.gr. hominis à suis differentiis illam contrahentibus, & multiplicantibus, omnia divisionis principia removet, naturam illam diversificantia: ergo eam ut unam per actum illum præscindentem representat: fit ergo unitas formalis per simplicem mentis abstractionem: hæc est communis Peripateticorum sententia.

## PROPOSITIO XXXVIII.

*Hinc uniuersale formale est unum præcisivè per rationem, & multiplex realiter, & physice.*

**C**onstat ex dictis, nihil enim aliud est hoc uniuersale quam multa cognita ab intellectu per actum præscindentem, quasi essent quid unum: cum enim multa illa ob convenientiam illam, ac similitudinem, quam præferunt, perindè se habeant ad intellectum humanum, atque si essent unum, intellectus illo fundamento ductus, à differentiis præscindit rationem illam, qua similia sunt, & in qua invicem conveniunt: unde omnia illa, realiter licet distincta, facit unum; unum inquam per rationem: est ergo hoc uniuersale unum per rationem, & præcisivè, & multa realiter, & physice.

## PROPOSITIO XXXIX.

*Hinc uniuersale formaliter sumptum non est à parte rei in rebus.*

**L**icet enim multa illa, quæ dicit, sint à parte rei; unitas tamen solum est per rationem, & in intellectu,

in

in rebus verò solum per extrinsecam denominationem; quatenus videlicet dicuntur cognita ab intellectu, ut unum: universale igitur formaliter sumptum non est à parte rei in rebus. Hinc vides universale formale esse quasi concretum, cujus materia sunt multa illa, quæ ab intellectu ab illorum differentiis præscindente sub una ratione concipiuntur; forma verò illius est unitas illa formalis, seu actus intellectus præscindens.

## PROPOSITIO XXXX.

*Universale formale, seu per rationem dividitur in Metaphysicum, & Logicum.*

**D**ividitur communiter universale formale in *Metaphysicum, & Logicum*: seu ut alii loquuntur in universale *in essendo, & in prædicando*. Universale metaphysicum, seu in essendo, sic à Peripateticis solet definiti: *Unum aptum inesse multis univocè, & divisim*. Logicum verò, seu in prædicando: *Unum aptum prædicari de multis univocè, & divisim*. Sic expressè Aristoteles 7. *Metaph. textu 45.* dum ait: *Hoc enim est universale, quod pluribus natura natum est inesse*: En universale metaphysicum. In *lib. autem Perbierm. cap. 5. Quod in pluribus prædicari natum est*: en universale logicum.

Intellectus itaque dum naturam communem à differentiis præscindit, ab eadem principia divisionis mentaliter detrahit; unde, remotis ope illius præcisionis impedimentis, differentiis, nempe contrahentibus, naturam illam in eo statu constituit, ut in pluribus esse non repugnet: sicque eam ex vi illius prius actus se habere, per actum reflexum cognoscimus: Naturam itaque sic præcisam, universale metaphysicum appellamus, quod in illo statu claram ejusdem ideam intellectus perspicit.

Ex hoc autem quod natura illa apta sit inesse multis, oritur aptam esse, ut de illis prædicetur: quod enim multis inesse potest, certè de ipsis poterit enunciari; & hoc est universale logicum; ita videlicet appellatum, quod prædicatio illa sit Logicæ munus.

Advertendum tamen est naturam illam sic præcisam, utpotè propriam rei ideam præferentem, posse non solum prædicari de multis, verum etiam subijci: est enim natura illa subiectum alicujus scientiæ, cujus proprietates de ipsa enunciat, atque demonstrat; unde etiam prout nata est subijci, potest appellari universale logicum; non enim minus quod logicum est subiectio, quam prædicatio; usus tamen invaluit ut universam logicum tantum appelletur natura illa præcisam, prout nata est prædicari de multis.

Hinc colligitur universale logicum esse veluti proprietatem universalis metaphysici: ex eo enim quod aliquid sit in multis, sequitur id posse illis attribui. Colligitur etiam ex dictis frustra à plerisque Auctoribus addi actum comparativum, quo videlicet intellectus compararet naturam illam abstractam ad inferiora, quasi requisitum essenziale ad universale logicum: frustra, inquam, additur hujusmodi actus: cum enim totam universalis, qua metaphysici, & qua logici, essentiam supponat, certè ad illam constituendam minimè requiritur. Quod autem universale jam factum supponat, constat, nam supponit actum præscindentem, quo posito natura illa, quæ realiter est multiplex, facta est una per rationem; & consequenter apta inesse multis, quod est universale metaphysicum: & etiam apta de multis prædicari, quod est universale logicum.

## PROPOSITIO XXXI.

*Per actualem prædicationem non destruitur  
universale.*

**Q**uæritur inter Philosophos utrum quoties aliquod universale prædicatur de subiecto singulari, aut minus universali, amittat illam universalitatem quam habebat. Exemp. gr. utrum cum dicimus, *Petrus est homo*, aut *homo est animal*, tunc terminus *homo* in prima propositione, aut *animal* in secunda, retineant suam universalitatem.

Affero itaque retinere suam universalitatem. Ratio est, quia quod in propositione dicente, *Petrus est homo*, enunciatum de Petro est natura humana: hæc autem eadem est cum illa, quæ per abstractivam apprehensionem cognoscitur, hominis videlicet propria idea: hanc autem in actuali prædicatione universalitatem illibatam conservare, hinc mihi persuadeo, quod nempe natura illa non aliter nata sit prædicari de pluribus, nisi quatenus dum de inferiori uno potest prædicari, eodem prorsus modo possit, & de quovis alio prædicari: unde quæ de uno prædicari potest, licet non realiter; virtualiter tamen eadem est cum illa, quæ de cæteris inferioribus est prædicabilis: ergo quæ actualiter prædicatur de Petro, licet non realiter; virtualiter tamen eadem est cum ea quæ de Paulo, Francisco, &c. potest prædicari: ergo in actuali illa prædicatione remanet unitas virtualis naturæ realiter multiplicis; & consequenter universalitatis: sed hæc sunt tantum de nomine.

## PROPOSITIO XXXII.

*Universale Platonicum explicatur.*

**T**res sunt celeberrimæ circa universale Philosophorum

rum sententiæ: Platonicorum videlicet, Nominalium, & Peripateticorum: & horum quidem ultima jam in superioribus satis fuit explicata; sufficit igitur reliquis expendere. Plato itaque variis in locis, præsertim in Timæo, Phædone, & Parmenide, omnium specierum quasdam inducit ideas separatas à singularibus, quas æternas, incorporeas, substantificas, supramundanas, universalesque appellat, quarum participatione, impressione, ac imitatione cunctæ res; quæ nempe singulares sunt, efficiuntur. Hinc à plerisque increpatur Plato, quasi dixerit dari à parte rei naturas universales, ut ajunt, in essendo, à singularibus individuis separatas, quas ideas appellaverit. Sicque Platonem sæpissimè refellit Aristoteles, ideas illas tamquam inane figmentum rejiciens, ut videre licet variis in locis, præcipuè *libris 1. 7. & 13. Metaph. & 1. Ethicorum, cap. 6.* cæterum alii plures falsò id tanto Philosopho attributum fuisse contendunt.

Dico itaque Platonem dum ideas illas asseruit, nihil aliud voluisse præter dari rerum omnium creabilium ideas in mente Dei, quæ quidem non sint ipsæ rerum naturæ, sed exemplaria quædam æterna, ab ipsoque Deo indistincta, quæ primævæ sint rerum omnium causæ effectrices, & exemplares, ex quibus veluti ex Archetypo quodam cunctarum rerum naturæ prodire, juxta illud Boetii.

*Tu cuncta superno*

*ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse  
mundum mente gerens, similique ab imagine formâ  
perfectumque jubes perfectas absolvere partes.*

Hanc autem fuisse genuinam Platonis mentem asserit S. Augustinus in libro octoginta trium questionum, *quest. 46. & lib. 7. de Civit. Dei, cap. 28.* ut ibidem expli-

304 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT:  
plicat Léonardus Coquæus : idem sentit expresse Cle-  
mens Alexandrinus *lib. 5. Stromatum* ; Eusebius *lib. 11. Præpar. cap. 11. & 12.* & alii plures apud Eugubinum *lib. 1. perennis Philosophiæ, cap. 10.* Id autem mihi in-  
de ulterius persuadéo quod nusquam in Platone ideæ  
à Deo separatè reperiantur : imò nec Platonice Philo-  
sophiæ Principes Plotinus, Porphyrius, Proclus, & alii  
complures ullam de præfatis ideis, seu potius idolis, at-  
que figmentis fecerè mentionem. Imò si Platò ipse at-  
tentè legatur in Timæo, & in dialogo quem Hippias, &  
in eo quem Parmenides inscribit, id tantum docere  
statim apparebit, Deum nempe mundum, cum voluit,  
juxta exemplar quod mente gerebat, condidisse : ideas-  
que illas non alibi ; quam in opificis præstantissimi men-  
te existere docuisse. Ex his patet universale hoc Plato-  
nicum solum tale esse in causando, ut ajunt, non in ef-  
fendo, ut constat ex dictis.

PROPOSITIO XXXXIII.

*Universale Nominalium, & Stoicorum expo-  
nitur.*

**N**OMinales, & Stoici nullum universale in rebus  
positum agnoscunt ; sed tantummodò extra  
res ipsas existere asserunt, idque nihil aliud esse præter  
voces, & mentis conceptus : voces quidem *universale  
arbitrarium* appellant, ex hominum nempe arbitrio  
pendet, quod vox ista *homo* plures homines significat.  
Conceptus verò mentales *universale naturale* vocant,  
quod nempe sint rerum ideæ, quæ ab intellectu effin-  
guntur, quæ quidem multa singularia representant, id-  
que non ex arbitrio, sed ex sua natura.

Cæterum præter voces, & conceptus, quasdam dari  
naturas communes, quæ in singularibus existunt, satis

con-

LIBER II. CAPUT III. 305  
constat ex his quæ superius diximus : ac præterea ita  
convincitur, nam universale est unum aptum esse in  
multis, aut prædicari de multis : certum autem est ne-  
que voces, neque conceptus esse in multis, neque de  
multis prædicari : non enim cum dico Petrum esse homi-  
nem, dico Petrum esse vocem illam significantem natu-  
ram humanam, neque ideam illam, seu conceptum,  
quem in mea mente efformavi. Voces itaque prædictæ  
sunt quidem universale in significando : conceptusque,  
& ideæ tantum in representando : non verò sunt uni-  
versale in prædicando ; aut in essendo. Confirmatur  
nam neque cum definitio circulum, neque cum de ipso  
ejusdem proprietates demonstro, definitio vocem, neque  
mentis perceptionem, neque horum proprietates demonstro ;  
sed potius circuli naturam omnibus circulis  
communem : ergo prædictis vocibus, aut ideis, natura  
quædam subest communis, quam definitio, cujus etiam  
proprietates demonstro, quamque propriè universalem  
appello.

PROPOSITIO XXXXIV.

*Explicatur quid sint gradus metaphysici.*

**G**RADUS metaphysici appellantur conceptus illi,  
quorum alii aliis sunt universaliores : & illi  
quidem qui universaliores sunt, seu ampliores, *Superiores*  
appellantur ; alii verò, qui minus patent, seu  
contractiores sunt, aut minus universales, *Inferiores* di-  
cuntur. Sic incipiendo ab individuo, ver. gr. Socrate,  
adscenditur ad Hominem ; & ab homine ad animal : ab  
animali ad vivens, &c. ut videre est in arbore Porphy-  
riana, quam in Logica descripsi simul, & explicui. Quo-  
niam verò ab infimis ad superiores, quasi per gradus  
ascenditur, hujusmodi conceptus appellantur *Gradi-  
bus* : dicuntur præterea *Metaphysici*, quod non physici

Comp. Phil. Tom. I.

V.

cè,



306 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
cè, sed metaphysicè distinguantur, eorumque speculatio  
ad Metaphysicam pertinet.

PROPOSITIO XXXV.

*Idem gradus metaphysicus, qui respectu alterius infe-  
rior est, potest respectu ejusdem esse superior,  
juxta diversas considera-  
tiones.*

**D**ico itaque aliquoties eundem gradum metaphysi-  
cum, qui species est respectu alterius, posse res-  
pectu ejusdem genus esse, sub diversa tamen acceptio-  
ne. Patet hoc ipsa experientia, reddeturque perspi-  
cum sola aliquorum exemplorum exhibitione. Linea  
enim genus est ad rectam, & curvam, quæ sunt ejus spe-  
cies; rectum autem, & curvum genus sunt respectu li-  
neæ, superficiæ, & corporis. Triangulum genus est ad  
æquilaterum, & non æquilaterum, quæ sunt ejus species;  
esse verò æquilaterum genus est ad triangulum, quadra-  
tum, aliasque figuras regulares. Corpus genus est ad  
vivum, & non vivum, hæque sunt ejus species; ratio  
verò viventis genus est ad corpus, & spiritum. Vivens  
item genus est ad sensitivum, & insensitivum: & insen-  
sitivum genus est ad vivens, qualis est Angelus; & non  
vivens, qualis est lapis: & sic de aliis: nec in hoc, meo  
videri, aliqua esse potest difficultas.

Dixi tamen aliquoties id ita se habere; neque enim  
id universaliter verum est in omnibus gradibus meta-  
physicis, ut sequentia exempla demonstrant. Substantia  
genus est ad corpus, & spiritum, quæ sunt ejus species, &  
neque corpus, neque spiritus esse possunt genus res-  
pectu substantiæ. Accidens genus est ad quantitatem, qua-  
litatem, &c. & neque quantitas, neque qualitas genus  
esse possunt respectu accidentis. Numerus item genus  
est

est ad binarium, ternarium, &c. & tamen neque bina-  
rium, neque ternarium esse possunt genus respectu nu-  
meri. Similiter quantitas, genus est ad continuam, &  
discretam, & neque ratio quantitatis continuæ, aut dis-  
crete genus esse potest respectu quantitatis, & aliud,  
quod quantitas non sit. Idem omninò dicendum est de  
individuis respectu graduum superiorum.

PROPOSITIO XXXVI.

*Omnes gradus superiores præcindi possunt à suis dif-  
ferentiis; differentiæ verò aliquæ inferiores præcindi  
valent à superioribus, quos dividunt; aliæ verò  
ab eisdem præcindi non  
possunt.*

**P**rimo quidem satis compertum est gradus superio-  
res ab inferioribus præcindi posse, ut ex his, quæ  
in præcedentibus diximus, constat. Superest itaque re-  
solvendum dubium an nempe gradus inferiores ita in-  
cludant superiores in suo formali conceptu, ut ab illis  
præcindi non possint. Tota autem quæstio devolvitur  
ad differentias: certum enim est species includere ge-  
nus, sunt enim totum metaphysicum ex genere nempe,  
& differentia consurgens. Difficultas itaque est utrum  
differentiæ specificæ, ita in suo conceptu formali inclu-  
dant genus, quod contrahunt, ac dividunt, ut intelle-  
ctus nequeat illas cognoscere, nisi cognita etiam ratio-  
ne illa generica: idemque intelligendum est de diffe-  
rentiis numericis, seu individualibus respectu rationis  
specificæ.

Dissentiunt in hac re Philosophi, nam Cajetanus,  
Joannes à Sanct. Thoma, & communiter Thomistæ,  
quos sequuntur Suarez *disp. 6. Metaph. sect. 9.* & alii,  
asserunt differentias, præsertim infimas, non includere

formaliter genus, & differentias subalternas, quas contrahunt, imò earum conceptum obiectivum esse omnino simplicem, omnisque compositionis metaphysicæ expertem, ideoque præcindi posse ab illa ratione generica, quam contrahunt; idque colligi videtur ex S. Thoma 1. part. quæst. 3. art. 8. ad tertium. E contra verò Ocham, Nominales, & alii oppositum tenent: mihi autem cum aliqua distinctione quæstio resolvenda videtur.

Dico itaque primo differentias illas específicas, quæ sub alia consideratione genus sunt respectu sui generis, abstrahi posse à suo genere tum præcisione obiectiva logica, tum formali. Patet nam ratio viventis, quæ genus est respectu corporei, & incorporei; ut respectu hominis, & Angeli, præcinditur tum obiectivè logicè, tum formaliter à suis inferioribus, homine videlicet, & Angelo, seu corporeo, & incorporeo: ergo præcinditur à ratione corporei: sed ratio viventis differentia est specifica entis corporei: corpus enim genus est, quod dividitur in vivum, & non vivum, tamquam in ejus species: ergo differentia hæc, & aliæ similes, quæ in alia consideratione genus constituunt respectu sui generis, præcindi valent à suo genere quod dividunt.

Ratio autem à priori est, quia cum hujusmodi differentia speciem constituent, quæ sub alia consideratione genus est respectu sui ejusdem generis, cui & alteri ab ipso specie diverso conveniat, certè eadem ratione ab ipso poterunt præcindi, quo quodlibet genus ab speciebus ipsum dividitibus, & contrahentibus præcinditur. Confirmatur nam ideo ratio entis corporei, quæ est in homine præcinditur à ratione viventis, quia perinde se habet in ordine ad scientiam de ente corporeo,

atque si non esset vivens, ut alibi diximus: sed ratio viventis, quæ est in homine, ita etiam se habet in ordine ad scientiam agentem de viventibus, ac si non esset ens corporeum, ratio enim viventis potest etiam spectari in Angelo: ergo potest ab ente corporeo præcindi.

Dico 2. Illæ differentia, quæ respectu gradus superioris, quem dividunt, sub nulla acceptione esse possunt universales, seu in nullo possunt reperiri, quod gradum illum superiorem non participet, nequeunt ab illo præcindi. Ratio est, quia experientia teste, nullatenus ipsas concipere possumus, quin simul cognoscamus, genus, seu gradum superiorem, quem contrahunt, ac dividunt: sic non possumus cognoscere par, neque impar quin cognoscamus numerum, quod genus est ad par, & impar: sic nequimus cognoscere quantitatem, neque qualitatem, quin simul rationem accidentis intelligamus: similiter neque hunc hominem, & illum cognoscere possumus, quin hominis rationem, quæ aliudè illis communis est, cognoscamus.

3. Ut hujusmodi differentia præcindi possent à gradibus superioribus oportebat ut in ordine ad scientias humanas perinde se haberent, seu ita ab eis attingerentur, atque si ratio illa, seu gradus superior non cognosceretur, in hoc enim stare præcisiones alibi diximus; sed hoc esse non potest; nihil enim de ipsis prædicari, nihil de eisdem demonstrari potest, quin per illas eadem enunciations, aut demonstrationes, ratio illa, seu gradus superior cognoscatur: ergo nullatenus possunt ab ipsis præcindi. Minor patet, quid enim de hoc homine prout tale individuum est, demonstrari potest, quod de quovis alio ejusdem humanæ naturæ individuo non possit demonstrari? certè nihil: ideoque com-

munitur dicitur de individuis nullam dari scientiam; sed potius hanc esse de universalibus. Idem dico de differentiis illis specificis, quæ respectu sui generis, sub nulla acceptione possunt esse genus: Quid enim, exemp. gr. de longitudine, latitudine, & profunditate demonstrari, aut enunciari potest, in quo non etiam ipsa extensionis notio includatur, quæ genus est ad prædictas differentias. Quid etiam de numero pari, aut impari dici potest, in quo ratio numeri ab ipsis participata non includatur. Quid similiter de sensatione, quæ vitæ differentia est, enunciari potest, in quo non etiam ratio vitæ exprimitur: ergo hujusmodi differentia à gradibus superioribus præcindi non possunt.

Tandem nostra hæc assertio confirmatur, nam longitudo, latitudo, & profunditas sunt formaliter extensiones, nec nisi ut extensiones quædam conceptibiles sunt. Similiter par, & impar sunt formaliter numeri, nec aliter quam ut numeri concipi possunt: Tum etiam sensatio, & intellectio sunt formaliter vitæ, nec sine ratione vitæ possunt concipi, idque ut dixi, ipsa experientia teste: id autem ipsum etiam Aristotelem sentire, patet nam *lib. de partibus animalium, cap. 3.* ait Pedatum, quod genus est ad bipedem, & quadrupedem, includi in his differentiis: & sanè nescio qualiter concipi possit quælibet ex his differentiis, quin Pedatum esse simul concipiatur. Fatentur aliqui Philosophum hic sibi contradixisse: verum si distinctio à nobis adhibita, retineatur, nulla apparebit contradictio: id enim secus se habere asserimus in aliis differentiis, quæ respectu suorum generum, in alia acceptione, universales sunt, atque eisdem ampliores, & superiores, ob oppositam rationem. Licet autem sententia, quæ huic nostræ conclusioni opponitur, difficillimè probetur; aliqua tamen

nobis objicit, quæ breviter sunt dissolvenda.

Objicies 1. Si prædictæ differentia genus suum formaliter includerent, certè in definitionibus ex talibus genere, & differentia conflatis, bis poneretur genus: ver. gr. cum dicimus qualitatem esse accidens intensibile, genus nempe *Accidens*, bis poneretur in definitione, semel scilicet secundum se; & secundo prout includitur in differentia, nempe in sensibilitate: quod est inconveniens. Caterum eodem modo possem in plerisque adversarios arguere, bis poni ens in definitione substantia, cum dicimus eam esse *Ens per se*: primo, secundum se; & iterum prout includitur in pericæte, quæ est differentia. Respondeo itaque nullum esse inconveniens in eo, quod genus bis in definitione ponatur, nempe semel proprio nomine, & quasi terminus aliunde communis: & iterum nomine differentia, in qua continetur, & quasi contractim explicatus, prout nempe requirit definitionis perspicuitas.

Objicies 2. Si genus in prædictis differentiis includeretur formaliter, quælibet ex his differentiis non differret à specie; utpotè non minus ac species, esset composita ex genere, & differentia. Verùm similiter adversariis objiciam differentiam substantia includere ens; sicque simul esse differentiam, & speciem entis. Respondeo itaque differentias, de quibus loquimur, includere formaliter genus, quemadmodum, & species, solumque differre in his speciem, & differentiam penes terminorum significationem, idem enim conceptus, si significetur nomine concreto, dicitur species; si verò nomine abstracto, differentia: hinc fit speciem prædicari, ut ajunt, *ut quod quid*, seu substantivè; differentiam verò *in quale quid*, seu adjectivè, qui, ut vides, solummodò sunt diversi loquutionum modi.

Objicies 3. Si differentia non posset à genere præscindi, nullum conceptum adderet supra genus, quo ab alia specie differat; sed hoc esse nequit: differentia enim non esset differentia: ergo differentia in his etiam casibus potest à suo genere præscindi. Confirmatur. Species una differt ab alia, non ratione generis; hoc enim est utrique commune: ergo ratione differentiarum: ergo hæc conceptum aliquem addit supra genus: ergo est ab illo præscindibilis. Resp. ad argumentum distinguens majorem. Nihil adderet differentia supra genus abstractivè sumptum, nego: contractivè sumptum, concedo. Neque ex hoc licet colligere differentiam, non fore differentiam: in his enim, de quibus loquimur, ipsum genus contractivè sumptum, est id quo una species ab altera differt; quatenus nempe diversimodè in illis contrahitur. Sic extensio, quæ ut sic, & in communi considerata, est genus; quatenus in longum solummodò protensa, est altera illius species, scilicet linea; quatenus verò in longum simul, & latum, est altera species, nempe superficies: quæ quidem extensionis species differunt inter se, non quatenus extensio sunt; sed quatenus talis extensio: ex quo patet ad confirmationem solutio.

## PROPOSITIO XXXXVII.

*Gradus superiores, & inferiores distinguuntur inter se ratione, ut ajunt, ratiocinata, seu cum fundamento.*

**R**atio est, quia, ut dixi prop. 20. hujusmodi distinctio rationis inter ea extrema reperitur, quæ cum realiter idem sint, intellectui tamen præbent fundamentum, ut ea ab invicem præscindat, ac veluti logicè separet, dividat, ac distinguat: sed ita se habent gradus me-

metaphysici superiores, & inferiores, ut ex dictis constat, ne eadem sæpius repetam: ergo distinguuntur distinctione rationis cum fundamento, seu ratiocinata.

## PROPOSITIO XXXXVIII.

*Hæc distinctio rationis in aliquibus gradibus metaphysicis est mutua; in aliis verò non mutua.*

**D**upliciter hæc rationis distinctio considerari potest, alia est enim *mutua*, alia *non mutua*. *Mutua* est quoties aliquæ formalitates ita se habent, ut nec una in suo conceptu aliam involvat; nec alia illam: sic exemp. gr. inter Dei misericordiam, & justitiam datur in sententia probabili distinctio rationis mutua, quia nec in conceptu misericordiæ clauditur justitia, nec in conceptu justitiæ, misericordia. Non mutua verò est quoties duæ formalitates ita se habent, ut una in suo conceptu saltim confuse includat aliam; alia verò nullo modo illam. Sic exemp. gr. Animal in suo conceptu non involvit hominem; homo verò involvit animal. Hoc supposito.

Dico 1. Gradus superiores, & inferiores, qui mutuò præscindibiles sunt, juxta dicta in prop. 46. distinguuntur mutuò ratione ratiocinata. Patet, quia intellectus potest præscindere logicè, & per rationem gradum superiorem ab inferiori; & vicissim, idque cum fundamento: ita enim se habet gradus superior in ordine ad scientias, ac si non esset idem cum inferiori: & similiter ita inferior se habet in ordine ad scientias, atque si cum superiori idem non esset, ut ex dictis constat: sed hoc est (20.) distingui ratione ratiocinata: ergo mutua hæc distinctione distinguuntur.

Dico 2. Gradus illi superiores, & inferiores, qui juxta



juxta dicta in propof. præced. mutuò præcindibiles non funt, diftinguuntur ratione ratiocinata non mutua. Ratio eft, quia licet intellectus poffit gradum fuperiorem ab inferiori præcindere; non tamen inferiori à fuperiore: ergo licet habeat fundamentum ad diftinguendum fuperiorem ab inferiori; illud tamen non habet ad diftinguendum inferiori à fuperiori: ergo hujufmodi diftinctio rationis ratiocinatæ mutua non eft.

## PROPOSITIO XXXIX.

*Gradus fuperiores, & inferiores diftinguuntur virtualiter, feu fundamentaliter.*

**C**onftat ex dictis: ea enim diftinguuntur virtualiter, feu fundamentaliter, quæ cum realiter idem funt, præbent tamen intellectui fundamentum, ut ratione ratiocinata illa diftinguat: fed fic fe habent gradus metaphyfici fuperiores, & inferiores: ergo virtualiter diftinguuntur. Minor probatur, nam prædictum fundamentum in eo ftat, ut in ordine ad fcientias, fubiectiones, prædicationes, &c. ita perfectiones illæ fe habeant, atque fi realiter diftinguerentur: fed ut fæpius diximus, ita fe gerunt gradus metaphyfici fuperiores, & inferiores: ergo intellectui præbent fundamentum, ut ratione ratiocinata illos diftinguat: ac per confequens diftinguuntur virtualiter, feu fundamentaliter. Hæc autem diftinctio mutua erit, cum utrinque fundamentum prædictum intellectui miniftrabitur, cum videlicet ex parte gradus fuperioris, tum inferioris; non mutua verò, cum tantum ex parte fuperioris, ut ex dictis fati eft manifeftum.

## PROPOSITIO L.

*Quid fit unitas numerica, feu individualis explicatur.*

Hæc

**H**æc tandem unitas fupereft exponenda, explicatis cæteris unitatum speciebus, transcendentali videlicet, & univerfali. Unitas itaque numerica, feu individualis ea eft, per quam individuum conftituitur, & ab alio quolibet ejuſdem ſpeciei individuo diverſificatur: qua propter etiam differentia individualis appellatur, individuatio itidem, ſingularitas, & hæcitas. Hæc autem ita includit formaliter in ſuo conceptu naturam, feu prædicata eſſentialia illius individui, ut ab eifdem impreſcindibilis fit, ut dixi, & ni fallor, demonſtravi prop. 46. Unde hujufmodi unitas numerica, feu differentia individualis, nihil addit præter prædicata eſſentialia illius individui, niſi ad ſummum, negationem alterius cujuſvis individui. Socrates enim ut tale individuum humanæ naturæ, nihil præterea dicit, quam eſſe hunc hominem, hoc corpore, hac anima, hac uniõne copulatis compoſitum, ratione cujus non eſt Ariſtoteles, nec Plato, &c. alio nempe corpore, aliaque anima unitis compoſita. Hinc jam ferè ſoluta manet celebris illa quæſtio de principio formali individuatiõnis, qua plerique Auctores integras paginas implent, & pace dixerim, ſine fructu, majoris tamen claritatis gratia pauca addam propoſitione ſequenti.

## PROPOSITIO LI.

*Determinatur principium individuatiõnis.*

**Q**uæritur itaque quodnam fit formale individuatiõnis principium: ſeu per quid formaliter quæcumque res ſingularis, quæ individuum appellatur, individuetur; id eſt, undenam Socrates habeat eſſe hunc hominem, & non alium ejuſdem humanæ ſpeciei, ut exemp. gr. Ariſtoteles, aut Plato, &c. Tres ſunt in hac re Philoſophorum ſententiæ, prima Thomiſtarum aſſe-

ren-

rentium res individuari per ordinem ad materiam quã-  
titate, aut certis quibusdam accidentibus sigillatam.  
Secunda est P. Vazquez *tom. 1. in 3. part. disp. 74. cap. 7.*  
docentis, res quaslibet creatas individuari ex ordine ad  
determinatas numero circumstantias temporis, & loci,  
in quibus primo producantur: has sententias refellere  
non vacat, præcipuè cum res sit nullius ferè momenti.  
Tertia sententia est P. Suarez *disp. 5. Metaph. sect. 6.*  
Hanc amplector, ideoque.

Affero res individuari formaliter per suas proprias  
entitates, quatenus illæ negationem habent incommu-  
nicabilitatis. Hoc assertum ita perspicuum est, ut sola  
ejus explanatione probetur. Explicabo itaque eum cum  
P. Emmanuele Maignan *cap. 3. Philosophiæ entis*: pri-  
mo quidem more metaphysico, deinde sub physica con-  
sideratione.

1. Philosophi non frustra, nec prorsus otiose, à mul-  
tis entibus singularibus abstrahunt ens illud transcen-  
dens; sed potius eo sine, ut ejus attributa perpendentes,  
unitatem videlicet, bonitatem, ac veritatem, inde pos-  
tea regressi, ad quodlibet ens singulare descendant, eo  
nempe revertentes unde fuerant progressi: idque ut in  
promptu brevissimam habeant regulam, qua simillimum  
attributorum radicem in illo ente singulari reperiant.  
Necessè quippè est tale in singularibus fore fundamen-  
tum illud, quale est in ente transcendente ab eisdem ab-  
stracto, eisdemque communi. Quemadmodum igitur  
Socrates à parte rei est ens, eo quod à parte rei sit actu  
existens, est etiam consequenter à parte rei quid verum,  
seu id quod esse debet, ut tale sit ens: est etiam à parte  
rei bonum, seu habens quoad essentialia suum integrum  
esse: ita similiter necessum est ut à parte rei sit unum  
quid; id est, unum individuum in se, seu unum unitate  
sin-

singulari, & divisum à quolibet alio, etiam ejusdem spe-  
ciei individuo: ergo ex eo quod Socrates sit tale ens,  
hujus nempe speciei humanæ, seu habens hanc hominis  
entitatem, inde, inquam, habet individuationem, & non  
ab alio principio, & ratione illius est hic homo, & non  
alius homo ab ipso, quod est incommunicabilitas. Et  
hæc quidem sub abstractione metaphysica.

2. Physicam jam ejusdem Socratis individuationem  
explicemus. Socrates itaque est physicè hoc indivi-  
duum, non per aliud, quàm per physicam, & realem in-  
divisionem, id est, per animæ hujus cum isto corpore  
realem unionem: & corpus hoc Socratis, est in-  
dividualiter, & singulariter hoc, per hanc partium inte-  
grantium mutuam coherentiam, organizationem, &  
conjunctionem: ac demum quælibet pars organica est  
hæc individualiter, per suarum etiam respectivè partium  
concatenationem: & ita de aliis, donec ad prima com-  
ponentia devenias, quæ cum ex aliis composita non sint,  
sunt necessariò simplicia, & quodlibet per suam indivi-  
sam unitatem est hoc, & non aliud: Quemadmodum &  
anima rationalis est hæc per idemptitatem realem suo-  
rum essentialium prædicatorum. In quo autem sensu  
verum sit formas materiales substantiales individuari à  
materia: sicut & accidentia à subiecto, videbimus pos-  
tea, cum eorundem naturam exponemus.

(\*\*\*) (\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

## LIBER III.

DE DIVISIONE ENTIS IN SUBSTANTIAM, ET  
ACCIDENS: SEU DE IIS, QUÆ IN DECEM  
Categoris continentur.

**C**ELEBRIS est apud Philosophos entis divisio  
in substantiam, & accidens, & ulterius acci-  
dentis in novem species, quæ simul cum sub-  
stantia decem illa perficiunt Aristotelis prædicamenta,  
seu Categorias, de quibus jam in Logica egimus, qua-  
tenus videlicet ad ejus institutum spectare videbatur.  
Nunc autem de illarum rerum natura, quæ prædictas  
Categorias componunt, agere oportet, idque sub  
peculiari Metaphysices abstractione. Hujusmodi autem  
bifidam entis partitionem in substantiam, & accidens  
optimam esse, vel inde patet, quod nempe ens, vel su-  
mitur pro eo quod qualibet res est essentialiter, &, ut  
ajunt, quidditative, & hoc appellatur ejus substantia:  
vel sumitur pro eo quod res est contingenter, & præter  
ejus essentialitatem; & hoc est accidens respectu illius rei.  
Unde vides nomen accidentis esse relativum ad sub-  
stantiam: ideoque ab Aristotele variis in locis asseritur  
accidens potius esse entis, quam ens; id est, *Entis ens*:  
de quo suo loco.

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

## CAPUT I.

*De substantia, sive de Ente prout est per se, &  
subsistit.*

## DEFINITIONES.

1. **S**UBSTANTIA est ens per se existens. *Expli-  
catur.* In hac substantiæ definitione commu-  
niter omnes Philosophi conveniunt, licet, ut  
postea videbimus in assignanda substantiæ quidditate,  
ac notione, non quidem re, sed nomine tenens, ni fallor,  
dissentiant. Dico itaque substantiam esse *Ens per se  
existens*; id est, ens nullo indigenus, ut naturaliter  
existat, præterquam actione sui productiva, & conserva-  
tiva, quod minimè rationi substantiæ adversatur; longè  
enim diversa sunt esse à se, & esse per se; esse enim à se  
omnino excludit esse ab alio; quod solius Dei proprium  
est: esse verò per se nullatenus excludit esse ab alio; sed  
solummodo ita esse in alio, ut eo, ceu fulcro, subiecto,  
aut sustentaculo egeat, ut naturaliter possit existere.  
Hinc Angeli, anima rationalis, & corpora sunt entia  
per se, & consequenter substantiæ, quòd videlicet ut  
existent nullo alio egeant præterquam actione sui crea-  
tiva, & conservativa: Sapientia verò substantia non  
est, quia sine homine, qui sapiens sit, esse nequit: ne-  
que albedo, prout communiter intelligitur, est substan-  
tia, quia nempe naturaliter esse non potest sine subiecto,  
quod album denominatur.

2. *Substantiale* est omne id quod ad substantiam ali-  
quo modo spectat: sic unio inter corpus, & animam  
rationalem substantialis est; quod corpus, & animam  
uniat,

320 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT:  
uniat, quæ verè substantiæ sunt: estque ratio formalis;  
qua corpus, & anima hominem, quod totum sub-  
stantiale est, componunt.

PROPOSITIO I.

*Propria substantiæ quidditas explicatur.*

**D**iximus suprâ substantiam esse *Ens per se existens*;  
Quoniam verò non unica est substantiæ accep-  
tione, ulteriori adhuc explanatione opus est. Substantia  
igitur, quæ græcè *Usia* appellatur, solet à Græcis pro es-  
sencia, natura, seu quidditate rei usurpari: sic eam su-  
mit Aristoteles diversis in locis, ut *lib. 5. Metaph. cap. 8.*  
*Quod quid erat esse, cuius ratio definitio est, & hoc*  
*uniuscujusque substantia dicitur.* Et *lib. 7. cap. 5.* Nam  
& unumquodque non videtur aliud à sua substantia;  
& ipsum quod quid erat esse, dicitur esse uniuscujus-  
que substantia. *Usia* etiam, seu substantia aliquoties ac-  
cipitur, præsertim ab Aristotele pro iis, quæ subiecta sunt  
extrema, quæ videlicet de alio non dicuntur, neque ulli  
inquam insunt: sic *5. Metaph. cap. 8.* ait: *Substantia*  
*dicuntur, & simplicia corpora, ut terra, ignis, aqua,*  
*& quæ talia sunt, & univèrsaliter corpora, & quæ*  
*ex his consistunt animalia, & dæmonia, ac eorum par-*  
*ticulæ: hæc verò omnia dicuntur substantia, quoniam*  
*non dicuntur de subiecto, sed de eis cætera.* Et rursus  
in fine capituli ait: *Substantiam dici, & ipsum ulti-*  
*imum subiectum, quod non dicitur de alio.*

Sumitur etiam *Usia* pro utroque significato supradi-  
cto, quatenus nempe significat essentiam, naturam, &  
substantiam: sic Patres Concilii Niceni adversus Ar-  
rium dogma catholicum statuere dicentes: *Filium Dei*  
*esse Homoussion Patri*; id est, ejusdem essentia, ejus-  
dem natura, ejusdemque substantiæ cum Patre, seu con-  
substantialem Patri.

Dum

Dum autem in Logica egimus de decem Cathogo-  
riis, primam earum, juxta Aristotelis mentem, substan-  
tiam esse diximus; substantiam, inquam, sumptam pro  
essentia rei, seu ejus quidditate: ibi enim in ejus serie  
ea diximus contineri, per quæ ad quæstionem quid res  
sit, responderetur, cui quæstioni haud dubiè satis fit, assi-  
gnata rei essentia saltim metaphysica: cui intelligentiæ  
favet Aristoteles *7. Metaph. cap. 1.* Dum loquens de di-  
visione entis, à se facta, in decem Cathogorias, ait: *Ens*  
*multipliciter dicitur, quemadmodum & in iis, quæ de*  
*quoties prius divisimus: significat enim aliud quidem*  
*quid est, & quod quid; aliud verò quod, quale, aut*  
*quantum, aut singula eorum, quæ ita prædicantur.*  
*Cum autem ens toties (id est, tot modis) dicatur, patet*  
*primum horum esse ipsum quid est, quodque substan-*  
*tiam significat.*

Nunc autem præsius substantiam accipio in secundo  
videlicet sensu ex suprâ relatis, quatenus nempe ab iis,  
quæ accidentia dicuntur, distinguitur, & assero substan-  
tiam esse ens per se existens; id est, nullo subiecto indi-  
gens, ut existat, nullo fulcro, ac veluti sustentaculo; sed  
tantum actione sui productiva, & conservativa, si tale  
ens creatum sit: quod quidem in definitione superius  
adlata satis explicui. Præterea cum ea omnia, quæ sub-  
stantia sunt, nulli alteri, ceu subiecto, inhæreant; sed  
potius ipsa sustentent accidentia, eisdemque quasi su-  
biectum subsistent, idè latinè substantia quasi quid sub-  
stans dicitur, aut sustentans. Tandem quia ea quæ sub-  
stantia sunt, firmum, constans, ac certis limitibus sistens  
habeant esse, etiam substantia quasi subsistens appel-  
latur.





## PROPOSITIO II.

*Dividitur substantia in suas species.*

**M**ISSAM hic facimus divisionem illam Aristotelicam substantiæ in primam, & secundam, cum quod de illa jam in Logica egimus; tum quod prorsus inutilis habeatur.

Primo itaque dividitur substantia in *simplicem*, & *compositam*: composita est quæ ex aliquibus partibus intrinsecè coalescit, ut homo ex corpore, & anima; simplex verò quæ quatenus simplex est nullas habet sui partes, ut Angelus, & punctum corporis, seu materia corporæ.

2. Substantia tam simplex, quam composita dividitur in simplicem, & compositam *physicè*: ac in simplicem, & compositam *metaphysicè*. Substantia metaphysicè simplex est, quæ nec partibus quidem metaphysicis constat; substantia autem metaphysicè composita est, quæ ex prædictis partibus metaphysicis coalescit: partes autem metaphysicæ sunt, ut alibi diximus, genus, & differentia, quæ cum realiter non sint distinctæ; sed tantum juxta nostrum modum concipiendi, solum juxta hunc concipiendi modum componunt, quatenus videlicet una alteri conjungi intelligitur. Substantia metaphysicè simplex nulla est, nisi Deus in aliquorum opinione: satis enim communis sententia est, quæ sentit hujusmodi compositionem ex genere, & differentia Deum non dedecere, cum in re compositio non sit, sed solum juxta nostrum imperfectum concipiendi modum.

Substantia physicè simplex est illa, quæ partibus physicis caret; physicè verò composita, quæ ex partibus physicis componitur: sunt autem partes physicæ alicu-

LIBER III. CAPUT I. 323  
jus substantiæ, quæ cum ab invicem sint realiter distinctæ, constituunt tamen substantiam illam per veram, atque realem sui conjunctionem. Sic Angelus est substantia physicè simplex, quod ex partibus distinctis non constat; homo verò substantia est physicè composita, quod ex corpore, & anima realiter distinctis coalescat; invicem tamen unitas per veram sui conjunctionem, & unionem.

3. Substantia physicè composita iterum subdividitur in physicè compositam secundum essentiam, & in physicè compositam secundum integritatem. Substantia physicè composita secundum essentiam est illa, quæ componitur ex duabus partibus, quarum una dicitur *materia physica*, altera verò *forma physica*, quæ quidem respondent materiæ, & formæ metaphysicis, seu generi, & differentiæ: materia autem, & forma physicæ dicuntur partes physicæ essentielles; sicut & genus, & differentia dicuntur partes metaphysicæ essentielles; quatenus enim ex istis confurgit essentia metaphysica rei, quæ per definitionem metaphysicam explicatur; ita ex illis confurgit physica rei essentia, quæ per physicam definitionem exponitur.

Substantia physicè composita, secundum integritatem, est illa, quæ ex partibus integrantibus componitur: sunt autem partes integrantes, quæ non ad essentiam rei, nec physicam, neque metaphysicam spectant; sed tantum ad rei illius integritatem: sic manus est pars integralis hominis, quia licet homini manus deficiat, non idèò homo suam essentiam amittit; verus enim homo est, licet sine manu; ejus tamen corpus non integrum, sed mancum esse dicimus. Hujusmodi autem partes integrantes in duplici sunt differentia, aliæ enim similes dicuntur, aliæ dissimiles: dissimiles sunt,

quæ inter se sunt dissimiles, ut manus, pes, nasus sunt hominis partes dissimilares, quia dissimiles sunt, & ex ipsis corpus humanum compaginatur. Corpus item quodcumque mixtum, ex essentiis constat elementorum, quæ cum specificè inter se diversificentur, sunt mixti partes dissimilares: Partes autem similes sunt, quæ inter se sunt similes, quales sunt aquæ guttæ, quæ aquam in lacu contentam, non tam essentialiter constituent, quàm integrant; in qualibet enim aquæ gutta tota aquæ essentia reperitur. Hinc vides hujusmodi partes similes aquæ, in lacu inclusa, nihil aliud esse præter ipsam aquæ essentiam pluries repetitam: hujusmodi autem partes integrantes similes à plerisque *entitativè* appellantur, quod videlicet, totam aquæ in lacu inclusa entitatem integrent, seu potius tantitatem, seu quantitatem aquæ; tota enim essentia aquæ in qualibet gutta, ut dixi, reperitur.

4. Dividitur substantia in immaterialem, & materialem: seu in spiritualem, & corpoream. Substantia spiritualis, seu immaterialis est illa, quæ phyticè, & secundum suam entitatem, ita simplex est, ut & in se careat partibus entitativis, seu integrantibus; & ipsa secundum se non sit apta ut sit hujusmodi pars. Substantia verò corporea, & materialis est illa, quæ vel hujusmodi partibus constat, & integratur, vel est pars illam integrans, seu apta integrare. Ignis itaque est substantia corporea, & materialis, quod videlicet ex quamplurimis partibus integrantibus componatur: qualibet autem ignis minutissima particula, quæque ex primis illum componentibus est, quantumvis indivisibilis admittatur, de quo postea, materialis tamen substantia est, & corporea, quia licet ex aliis particulis integrantibus non componatur, ipsa tamen ignis integritatem ingreditur, illum-

LIBER III. CAPUT I. 325  
que componit, aut saltem apta est componere, & integrare: Angelus verò substantia est incorporea, & spiritualis, quod neque ex partibus integrantibus componatur, nec aptus sit ut substantiam aliquam corpoream, seu materialem integret, aut integraliter componat: sed hæc amplius infra patebit, aut de constitutivo substantiæ incorporeæ, seu spiritus pertractabimus.

## PROPOSITIO III.

*Proprietates substantiæ enumerantur.*

**A**Liquæ communiter ex Aristotele substantiæ proprietates adsignari solent, quarum præcipuas exponam, à aliis omisis, quæ nullius sunt ferè momenti.

Prima est, *non esse in subiecto*; id est, non indigere aliquo subiecto ut naturaliter existat: sed hoc potius substantiæ quidditatem, quam ejus proprietatem esse ex supradictis colligitur.

Secunda proprietas est, *Substantiæ nihil esse contrarium*: cum enim ea contraria dicantur, quæ ab eodem subiecto se se mutuò pellunt: certè substantiæ, cum in subiecto non sint, nequeunt se se ab eodem subiecto pellere: & consequenter nequeunt invicem esse contrariæ. Hoc quidem communiter asseritur, sunt tamen experientia teste, substantiæ aliq̄ inter se pugnantes, sed hujusmodi pugnam ineunt, ut communiter asseritur, non ratione sui, sed ratione qualitatum caloris nempe, frigoris, humiditatis, & siccitatis juxta illud *lib. 1. Ovidii Metamorphosum.*

..... *Corpore in uno*

*Frigida pugnant calidis, bumentia sicca.*

Sed quid de hoc sentiendum videatur ex alibi dicendis constabit.

Tertia substantiæ proprietates est, *non suscipere magis, & minus*. Suscipere magis, & minus est, aliquid posse dici magis, & minus tale: sic dicimus manum magis, aut minus calidam: aquam magis, aut minus frigidam: hominem magis, aut minus doctum, &c. Dico itaque substantiam non suscipere magis, & minus: neque enim lapis est magis, aut minus substantia, quam lignum: nihil enim minus eget subiecto, cui inhæreat substantia lapidis, quam substantia ligni.

Præterea probatur, quia substantia cujuslibet rei est ipsa ejus essentia: cum enim substantia dicatur à substando, & non substat nisi accidentibus, sequitur in qualibet re nihil esse præter substantiam, & accidentia: cumque in eadem re, quiddam non est ejus accidens, sit ejus essentia, sequitur substantiam rei esse illius essentiam: atqui essentia nequit suscipere magis, & minus: ergo neque substantia. Quod autem essentia non suscipiant magis, & minus est certum, consistunt enim in indivisibili, & ut ait Aristoteles, sunt sicut numeri: quemadmodum enim numeris, si vel unitatem addas, aut detrahas, essentialiter illos mutas: ita similiter si essentia addas, aut detrahas prædicatum aliquod essentiale, non erit amplius eadem essentia, sed alia diversa.

Advertendum tamen est id non ita esse substantia proprium, quin etiam accidentibus conveniat, præsertim si abstractè summantur, habent enim etiam suam essentiam, seu constitutum essentiale, quod nequit suscipere magis, & minus: licet enim aliquid sit magis, & minus calidum; caliditas tamen non est magis, aut minus caliditas quam altera: similiter licet aliquid sit magis, aut minus quantum, quæritas tamen non est magis, aut minus quantitas, quam alia, & sic de reliquis:

nul-

nullum enim abstractum magis, aut minus suscipere potest: proprium tamen est substantiæ, ut nec in abstracto, neque in concreto possit suscipere magis, & minus, non enim dicitur magis, vel minus humanitas, animalitas, &c. nec magis, nec minus homo, animal, &c. frigiditas verò licet nequeat dici magis, vel minus frigiditas; dicitur tamen in concreto quid magis, vel minus frigidum. Sed hæc ex iis quæ postea de accidentibus dicentur, clariora fient.

Quarta substantiæ proprietates est, *ut eadem manens, contraria excipiat*. Sic eadem manus hominis modo calida est, modo frigida: Tum & Angelus, & anima rationalis oppositos affectus, ac veluti motus suscipiunt, ut amoris, odii, &c. nec in hoc aliqua occurrit difficultas.

Ultima tandem substantiæ proprietates est subsistentia, de qua pleræque se se offerunt difficultates, quas capite sequenti resolvo.

## CAPUT II.

*De subsistentia, termino substantiæ.*

**I**TA connexa est subsistentiæ notio cum præcipuis Christianæ Fidei mysteriis, Trinitatis videlicet, & Incarnationis, ut vix de ea pertractare possimus, quin de præfatis mysteriis, omninò mirandis, aliquid admisceamus: Theologos itaque nunc, licet præter intentionem, agere cogimur, ut videlicet quæ circa subsistentiam sumus dicturi, omninò cum fidei regulis componantur, indeque Philosophia certior; fides verò, non quidem certior, sed explicatior evadat.

ali-

aliquibus definitionibus præmissis, verissima quædam Fidei Christianæ pronuntiata proponam, quæ nempe in præfenti præoculis sunt omnino habenda, quæ postea explicabuntur.

## DEFINITIONES.

1. **S**ubsistentia est terminatio substantiæ: qua videlicet substantia terminatur, sistit, subsistit, nec ulterius progreditur.

2. *Subsistens est substantia terminata.* Substantiæ autem subsistentes aliquando appellantur *Supposita*, aliquando *Personæ*, seu *Hypostasises*. Quilibet enim substantia subsistens dicitur *Suppositum*; quæ si intellectualis sit, dicitur *Persona*, seu *Hypostasis*. Hinc *Personalitas* est ipsa subsistentia substantiæ, quæ vim habet intellectivam. *Natura* demùm est ipsa substantia in se ipsa considerata, præcisa subsistentia: quatenus tamen est radix, & principium operationum.

## PRONUNCIATA.

1. **C**hristus est perfectè Deus, simul & homo: ita ut Deus de homine, & homo de Deo verè enunciatur.

2. In Christo sunt duæ naturæ; divina scilicet, & humana.

3. In Christo est tantum una Persona, eaque divina.

4. Christus habet totum esse hominis, præter subsistentiam humanam.

## PROPOSITIO IV.

*Subsistentia est terminatio substantiæ, seu id quo substantia terminatur.*

**D**ixi jam in defin. 3. subsistentiam esse illud, quo sub-

substantia terminatur, sistit, subsistit, nec ulterius progreditur: hoc idem nunc assero; non quidem ut repetam, sed ut explicatius proponam, ac rationibus evincam. Quemadmodum itaque quantitas in longum, latumque extensa, linea, seu lineis terminatur, quæ idcirco ab Euclide *defin. 6. lib. 1.* ejusdem fines, seu termini appellantur, quod in eis sistat, subsistat, nec ulterius extendatur: ita similiter substantia certis limitibus veluti coercetur, ac terminatur; in eisdemque sistit, nec ulterius substantialiter progreditur: hanc itaque substantiæ terminationem abstracto vocabulo *Subsistentiam* appello.

Quod autem subsistentia nihil sit præter hujusmodi terminationem substantialem ipsius substantiæ, vel naturæ. Probatur 1. ex ipsa voce *Subsistentia*: subsistere enim nihil aliud sonat, quam consistere, id est, non ulterius tendere, aut progredi, ut optimè notant Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo, P. Honoratus Fabri, & alii: ergo terminatio illa substantialis, quæ nempe substantia ita terminatur ut substantialiter non progrediatur ulterius, est ipsa notio subsistentiæ.

Probatur 2. ex ineffabili Incarnationis mysterio, quia Christus Dominus habet totum esse hominis, id est, illa omnia, quæ naturæ humanæ sunt essentialia, & substantialia, præter subsistentiam humanam: sed Christus Dominus habet omnia, quæ naturæ humanæ sunt substantialia, & essentialia, præter terminationem propriam humanæ naturæ: ergo terminatio hæc est naturæ humanæ subsistentia. Hinc si natura, seu substantia terminatur in se, habere dicitur propriam subsistentiam, seu in se sistere, aut subsistere; si verò ulterius progressa, terminetur in alio, dicitur non in se, sed in alio subsistere: sed hæc inferius amplius patebunt.



## PROPOSITIO V.

*Terminatio illa aliquid addit supra substantiam, seu naturam terminatam.*

**P**ROBATUR, quia eadem substantia, vel natura potest hoc, vel illo modo terminari: si enim natura humana Christi Domini non fuisset unita Verbo Divino, terminata esset in se; quia verò Verbo Divino est unita, non in se terminatur, sed in Verbo: ergo terminatio illa substantiæ, vel naturæ aliquid addit supra illam: aliquid, inquam, sive positivum, sive negativum, ut mox dicam.

## PROPOSITIO VI.

*Terminatio illa supra substantiam, seu naturam nihil addit positivum.*

**T**RES sunt in hac re sententiæ: Prima est Henrici Gandavensis *Quodlib. 4. quest. 4.* Richardi in *3. dist. 6. art. 1. quest. 1.* Aureoli *dist. 1. quest. 3. art. 3.* & Durandi in *1. dist. 34. quest. 1.* asserentium subsistentiam, seu terminationem naturæ nihil addere supra ipsam naturam realiter ab illa distinctum, sed tantum ex nostro concipiendi modo: sed hæc sententia communiter rejicitur ob rationem dictam propof. præced. Secunda sententia tenet subsistentiam supra naturam, quam terminat, addere modum quemdam positivum, quo nempe ultimo terminatur, & completur in ratione substantiæ: ita Cajetanus, & communiter Thomistæ, P. Suarez, Vazquez, Valentia, & alii plures ex Societate Jesu. Tertia sententia defendit terminationem illam substantiæ, seu subsistentiam solum addere supra substantiam, & naturam, quam terminat, aliquid negativum: ita Subt. Scotus, ejusque Schola, Gabriel, Ocham, & ex recentioribus quam plures; hanc postea

amplectar simul, & ex ponam, nunc autem assero subsistentiam, seu terminationem naturæ supra hanc nihil addere positivum, neque entitativum, neque modale.

**P**ROBATUR 1. Auctoritate S. Thomæ *3. part. quest. 2. art. 2. ad ter.* Tum & ex S. Bonaventura in *2. dist. 3. part. 1. art. 2. quest. 2.* & in *3. dist. 5. art. 2. quest. 2.* quorum verba non refero, cum hæc conclusio sit jam satis communis: qui tamen plura videre desiderat adeat R. P. Thyrsus Gonzalez *tom. 3. select. disp. 27.* ubi hanc sententiam magna eruditione, ac soliditate pertractat, ac firmat, tum Conciliorum, & Patrum auctoritate, tum gravissimis rationum momentis.

**P**ROBATUR 2. ex ipsa nominis æthimologia: subsistere enim idem est, atque ibi sistere, ibi consistere, nec ulterius progredi: quemadmodum itaque quantitatem terminari, nec ulterius extendi, nihil eidem addit positivum; sed tantummodo ultra terminos, seu limites eam circumscribentes non extendi: ita substantiam subsistere nihil eidem addit positivum; sed tantum ulterius substantialiter non progredi, aut extendi: subsistentia igitur nihil addit positivum ipsi substantiæ.

**P**ROBATUR 3. Verbum Divinum ita naturam humanam assumpsit, ut quidquid in ea est perfectionis assumpserit: ut enim ait Apostolus Hebr. 4. *Faetus est nobis per omnia similis absque peccato*: si autem aliquam perfectionem non assumpisset, eam certe excepisset, quemadmodum excepit peccatum: sed Verbum Divinum non assumpsit rationem personæ, seu subsistentiam humanam: ergo hæc subsistentia non est quid positivum.

**P**ROBATUR 4. Nam nihil positivum asseri debet, quin positivè convincatur, vel ratione, vel experientia, vel

332 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
revelatione, (22. lib. 2.) sed subsistentiam addere supra naturam aliquid positivum, neque ex ratione, neque ex divina revelatione convincitur: ergo, &c. Et primo quidem non convinci ex divina revelatione, patebit infra, ubi ostendemus mysterium Dominicę Incarnationis recte, imò melius, ac facilius explicari absque modo illo substantię superaddito; imò, ut recte Cornæus in *Metaph. dist. 3. quest. 2.* Theologi antiqui præfatum mysterium per sexcentos circiter annos feliciter explicarunt, nihil de prædicto modo positivo cogitantes. 2. Nec ratione aliqua concluditur, ut ex obiectionum solutione patet. Imò evidentissimè, ni fallor, ratione convincitur, subsistentiam nihil supra naturam addere positivum: nam nullus est effectus formalis illius superadditi positivi: non enim est ut substantiam, seu naturam à subiecto reddat independentem, hoc enim habet ex suis prædicatis intrinsecis; natura enim, adhuc citra subsistentiam, est à subiecto independens. Neque est reddere naturam incommunicabilem; nam præterquam quod hic effectus negativus est, non positivus, ad illum minimè opus est aliquid naturę addere positivum. Præterea neque est conferre naturę existentiam; hæc enim ab ejsdem essentia non distinguitur: quemadmodum itaque humanitas Christi Domini unita Verbo suam propriam habet essentiam, propriam etiam habet existentiam. Neque prædictus effectus formalis est reddere naturam individuum: est enim natura hæc una numerò antequam subsistere intelligatur. Neque tandem est reddere naturam terminatam, & completam; licet enim hic sit formalis effectus subsistentię, cæterum nihil cogit asserere, huiusmodi complementum esse quid positivum. Imò imperceptibile est qualiter subsistentia, si quid sit positivum, naturam compleat: complere enim est

LIBER III. CAPUT II. 333  
est aliquam addere perfectionem, qua res indigeat, vel qua melius se habeat: explicent igitur adversarii, quomodo subsistentia hæc perfectionem naturę tribuat, præcipue cum ipsi naturę, etiam sine subsistentia, nihil essentialia deficiat. Nullus ergo est effectus formalis positivus subsistentię: & per consequens subsistentia nihil positivum addit supra naturam, quæ est subsistens.

#### PROPOSITIO VII.

*Hinc subsistentia supra naturam dicit aliquid negativum.*

Cum enim addat aliquid (5.) id autem non sit quid positivum, (6.) certè erit aliquid negativum.

#### PROPOSITIO VIII.

*Negativum illud quod subsistentia addit supra naturam, est negatio anterioris extensionis substantialis.*

Subsistentia, ut dixi prop. 4. est terminatio naturę, seu substantię; hæc autem terminationem assero esse negationem ulterioris extensionis substantialis. Quod feliciter explicatur exemplo figurę: Quemadmodum enim quantitas terminata, seu circumscripta dicitur figura: sic substantia terminata, seu circumscripta, dicitur subsistens, quasi certis terminis sistens, seu consistens: similiter etiam quemadmodum terminatio quantitatis, supra quantitatem, vel extensionem tantummodo addit negationem ulterioris quantitatis, seu extensionis accidentalis quoquo versum: ita terminatio quam dicit subsistentia, tantum addit supra substantiam terminatam, negationem ulterioris extensionis substantialis, id est, dicit substantiam, quæ non tendit ulterius in ratione substantię; sed sit ita completa in hoc

hoc esse substantia, ut nihil sit aliud ultra, quod ad hoc esse substantiæ completæ pertineat. Ut autem negatio hæc ulterioris extensionis substantialis apprimè intelligatur, videndum est quis sit huiusmodi negotiationis terminus, quo exposito, totum subsistentiæ negotium intelligetur, id autem explicio propositione sequenti.

## PROPOSITIO IX.

*Explicatur in quo consistat ulterior illa extensio substantialis, cujus negationem addit subsistentia supra naturam.*

**S**ubstantia, ut dixi defin. 2. radix est, & principium suarum proprietatum, actionum, affectuum, ac operationum; & sub hoc conceptu dicitur *Natura*. Quo supposito, dico illam substantiam, seu naturam, dici ulterius extensam, quæ sive ex naturæ rerum instituto, sive ex divina ordinatione, & decreto, non est se sola principium totale, & singulare suarum proprietatum, & operationum, sed indiget alia substantia, cum qua prædictum principium totale, & singulare constituat, nec se sola sit sufficiens ad prædictas operationes, & effectus eliciendos: illa verò substantia, seu natura in se sistit, & caret præfacta extensione ulteriori substantiali, quæ ita est in se completa, ut secundum se sit principium adæquatum, totale, & singulare suarum proprietatum, operationum, &c. ut autem hoc perfectè intelligatur aliqua sunt præmittenda.

1. Esse principium totale, seu adæquatum operationum nihil aliud est, præter ita esse illarum principium, ut ad eas efficiendas alio comprincipio non egeat: sic natura humana in Petro est principium totale, seu adæquatum omnium humanarum operationum; natura verò humana in Christo Domino se sola non est principium

pium adæquatum, & totale suarum operationum; sed simul cum Verbo Divino, à quo fuit assumpta. Similiter anima Petri, se sola considerata, non est principium adæquatum, & totale omnium actionum hominis; sed simul cum corpore, cui est unita.

2. Esse principium singulare operationum est esse hoc unicum, & non esse plura principia; nec esse universale, & commune: sic Petrus est unicum, & singulare suarum actionum principium; non verò Petrus, & Paulus idem pondus sustinentes, non enim sunt unum, sed duo principia, & causæ ad prædictum effectum concurrentes: similiter nec causa prima cum secunda concurrentes facit unum principium singulare, eo quod causa sit universalis, & communis.

Dico itaque substantiam in se sistere, seu non esse ulterius extensam, nihil aliud esse, quam esse principium totale, seu adæquatum, & unum, seu singulare suarum operationum; substantiam autem in se non sistere, sed ulterius substantialiter extendi, est se sola non esse principium totale, & singulare suarum operationum; sed cum alia efficere prædictum principium totale, & singulare. Cum enim substantia sit radix, & principium operationum, illa in se sistit, quæ prædicto modo se sola est illarum principium; illa verò in se non sistit, sed ulterius extenditur, quæ vel ex natura sua, aut ex divino decreto, non se sola, sed simul cum alio, prædictum principium totale, & singulare constituit.

Ex his itaque colligitur illam substantiam in se subsistere, seu habere propriam subsistentiam, quæ se sola est principium totale, & singulare suarum operationum; quia nempe in se sistit, nec ulterius extenditur, seu substantialiter progreditur; illa verò in se non subsistit, sed propria caret subsistentia, quæ non se sola, sed simul

cum alia substantia efficit prædictum principium totale; & singulare operationum, quia nempe ulterius substantialiter extenditur, seu progreditur. Potissima hujus explanationis probatio est, juxta eam quam optimè explicari cuncta, quæ de substantia, supposito, & persona dicuntur, ut in sequentibus palam fiet.

## COROLLARIA.

1. **H**inc fit naturam humanam Christi Domini non habuisse propriam substantiam; cum enim sit unita Verbo Divino, non sistit in se, sed ulterius est substantialiter extensa: unde ipsa non est principium totale, sed tantum partiale suarum actionum; ceterum cum Verbo Divino, à quo assumpta est, unum efficit principium totale, & singulare operationum illius suppositi.

2. Imò nec potuit Verbum Divinum assumere personam humanam, seu naturam retenta propria substantia: Nam id fiat, si possibile est: erit ergo substantia humana, & non erit: erit quidem, quia sic supponitur: & insuper non erit, quia sola humanitas non erit principium totale singulare actionum illius suppositi: ergo non sistit in se, nec dicet negationem ulterioris extensionis substantialis: ergo neque habebit propriam substantiam: habebit ergo illam, & non habebit, quod implicat. Potest ergo Verbum Divinum assumere naturam, non personam; humanitatem, non hominem.

3. Anima humana, cum separata est à corpore, subsistit substantia propria, quia principium est totale, & singulare suorum actionum; secus verò cum est corpori unita, in hoc enim statu non est principium totale, sed partiale suorum actionum, saltem omnium; operatur enim

enim eos simul cum corpore, cui, seu forma, est unita: non ergo subsistit substantia propria, sed totius. Idem ob eandem rationem dico de corpore; subsistere nempe substantia propria, cum ab anima separatum est; substantia verò totius, cum animæ est unitum.

4. Elementa in mixto non subsistunt propria substantia: ignis enim, qui in hac charta est, sive actu, sive potentia, perinde est, non est principium totale omnium operationum hujus mixti: igitur non subsistit substantia propria, sed communi totius mixti; qualibet verò elementi particula, à mixto separata, jam subsistit substantia propria, quia principium est totale, ac singulare suarum operationum.

## PROPOSITIO X.

Explicantur quæ ad suppositum pertinent.

**S**uppositum, ut dixi, est substantia subsistens, seu substantia, quæ est principium totale singulare suarum actionum. Si autem hæc substantia, quæ principium est totale, & singulare suarum operationum, simplex sit, subsistit substantia propria, & ipsa sola est verè suppositum; si verò substantia supradicta composita sit, seu ex partibus invicem unitis coalescat, communiter nulla ex his propria gaudet substantia; sed quælibet pars subsistit substantia totius, seu compositi, ideoque non quælibet pars seorsim; sed totum ex ipsis conflans erit suppositum: ratio autem colligitur ex supradictis, cum enim nulla ex prædictis partibus sit principium totale, & singulare operationum, nulla subsistit in se, seu substantia propria: sic anima rationalis in homine ob prædictam rationem non subsistit in se, aut propria substantia: similiter nec corpus animæ unitum



in se subsistit, quia neque corpus, neque anima in homine, seorsim spectata, sunt principium totale, & singulare operationum hominis; sed tantum homo, seu compositum ex ipsis, quod quia prædictum principium est humanarum actionum, verè subsistit, & est suppositum: idèdque communiter dicitur, *actiones esse suppositorum*.

Neque dici potest animam corpori unitam subsistere in corpore, seu subsistentia corporis; neque corpus in anima, seu subsistentia animæ: si enim nulla ex his humani compositi partibus seorsim spectata subsistit, quomodo una pars subsistat in alia, seu alterius partis subsistentia. Dixi autem id ita communiter se habere, nam in Christo hujusmodi res aliter contingit: subsistentia enim qua Christus subsistit, est subsistentia Verbi. Ratio autem est, quia cum Verbum Divinum sit principium totale, & singulare omnium attributorum notionalium, quæ Verbo competunt, subsistit in se: deindè cum humanitas ratione unionis hypostaticæ sit ulterius substantialiter extensa, non subsistit in se, sed in Verbo: ergo subsistentia, qua Verbum, & humanitas Verbo unita, subsistunt, est subsistentia Verbi: sed Verbum, & humanitas eidem Verbo substantialiter unita, est Christus: ergo Christus subsistit subsistentia Verbi.

Sed dices, in Petro, exemp. gr. neque anima subsistit in corpore, neque corpus in anima, sed utrumque in toto, seu subsistentia totius: ergo similiter in Christo nec humanitas subsistit in Verbo, neque Verbum in humanitate, sed utrumque in toto, id est, Christo: ergo subsistentia qua Christus subsistit, neque est humanitatis, neque Verbi, sed totius ex utroque constati. Respondeo, ut rectè adnotat P. Honoratus Fabri, ex solutione hujus objectionis totam rem pendere. Dico igitur

tur subsistentiam qua Christus subsistit esse Verbi Divini: cum enim Verbum sit principium totale, & singulare suorum attributorum notionalium, in se subsistit: humanitas autem (corol. 1. præc.) non subsistit in se: ergo in alio: ergo vel in toto, vel in Verbo; non in toto; aliter enim in Christo præter subsistentiam Verbi alia daretur subsistentia, nempe totius: ergo tam Christus, quàm ejus sacratissima humanitas subsistunt in Verbo. Quod fecus se habere in Petro perspicuum est, nam neque anima, neque corpus in illo composito sunt principium totale, & singulare suarum operationum, qualiter Verbum, etiam humanitati unitum taliter principium est suorum attributorum notionalium.

Hinc apertè vides rationem cur Verbum non terminetur, seu sistat in humanitate, quia nempe humanitas nihil confert ad notiones Verbi: & similiter apparet cur humanitas sistat in Verbo, quia videlicet Verbum, quod in se sistit, concurrat cum humanitate ad omnes illius actiones. Hinc est tantum una persona, quia est tantum unum principium totale singulare, tum ratione notionum Verbi, tum ratione actionum hominis; illarum quidem Verbum solum; istarum verò Verbum cum humanitate, quæ sistit in Verbo.

Dices iterum ex nostra hypothesi sequi animam rationalem separatam à corpore esse suppositum, & consequenter personam, cum sit intellectualis, quod videtur absurdum. Resp. concedens sequelam, neque inde aliquid mihi apparet absurdum: sicque apertè tenet Magister Sententiarum lib. 3. dist. 5. ubi sic ait: *Anima non est persona quando alie rei unita est personaliter, sed quando per se est: absoluta enim à corpore persona est, sicuti Angelus*. Idem tenet Hugo à Sancto Victore relatus à Divo Bonaventura in 3. dist. 5. art. 2. quæst. 3.

idemque ferè censet Cajetanus 3. part. *quest. 6. art. 3.* dum ait, animam dum separata est à corpore, esse semiperfonam : scio quidem communiter non appellari personam, quod nempe incompleta censeatur : ceterum licet anima separata in ratione hominis sit incompleta, seu ut aptius loquar, sit homo incompletus ; non est tamen incompleta in ratione animæ, id est, non est anima incompleta, habet enim quidquid ad sui constitutionem requirit : quemadmodum & consecratio Corporis, & Sanguinis Christi Domini completa est in ratione Sacramenti Eucharistiæ, licet in ratione sacrificii sit incompleta ; seu potius sola consecratione sacrificium est incompletum, ad hoc enim ut tale sit, requirit etiam sumptionem : nec in hoc apparet aliqua difficultas.

Hic autem advertas oportet, animam, ver. gr. Divi Petri, quæ est in Cælo, non esse suppositum, nec personam Divi Petri : ad hoc enim requiritur tota humana Divi Petri natura ; certum autem est solam animam Divi Petri non esse totam ejus naturam humanam, cum præter animam essentialiter etiam corpus includat : licet ergo anima Divi Petri separata, sit persona, sicut Angelus ; non verò est suppositum, aut persona Divi Petri.

Dices iterum animam separatam eatenus dici incompletam, quatenus ordinatur ad componendum hominem : hocque sufficere ut proprie nec dicatur suppositum, nec persona, ajente Boetio, personam esse *rationalem naturam individuan, & incommunicabilem*. Respondeo ad rationem personæ requiri incommunicabilitatem, in sensu, ut ajunt, composito ; retenta enim ratione personæ, substantia est incommunicabilis, cum communicari alteri, seu eidem uniri nequeat, retenta pro-

propria substantia ; & consequenter retenta ratione personæ ; non verò est de ratione personæ rationalem naturam esse incommunicabilem, quatenus ex se, seu in sensu diviso ; dum enim incommunicata est, in se sistit, nec ulterius extenditur ; unde subsistens est, & persona : licet itaque anima separata ordinetur ad hominem componendum, sitque corpori communicabilis, & unibilis ; id tamen non tollit sistere in se dum separata est, esseque principium totale singulare suarum actionum : cum itaque sit in eo statu substantia intellectualis subsistens, erit, ut dixi, suppositum, & persona.

## PROPOSITIO XI.

*Hinc exponitur in quo formaliter consistat ratio suppositi, & substantiæ.*

CONSTAT satis ex dictis. *Suppositum* enim est substantia, seu natura in illo statu nobili constituta, in quo ipsa veluti sui juris sit, nulloque alio indigeat comprincipio ad operandum : sed ipsa sit principium totale singulare suarum operationum. *Subsistentia* verò est status ille, seu modus existendi nobilis, quem habet natura sic constituta.

Unde hic modus partim est quid positivum, nempe natura ipsa, quatenus est principium singulare : & partim negativum, quatenus ut sit principium totale, dicit exclusionem alterius comprincipii. Posita enim natura, seu substantia cum virtute productiva operationum, nullo alio indigente comprincipio, confurgit in natura ipsa ratio principii totalis, in quo formaliter consistit ratio substantiæ, & suppositi.

Hinc suppositum, & substantia realiter non differunt, nisi quoad rectum, & obliquum ; quatenus scilicet suppositum explicat in recto naturam in eo statu consti-

342 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
tutam; subsistentia verò explicat in recto statum illius  
nature.

Pespicia quidem sunt hæc. Sed quia rationes suppo-  
siti, & subsistentiæ à nullo præcipue habuerunt Philoso-  
phi, nisi à Fide Mysteriorum Sanctissimæ Trinitatis, &  
Incarnationis, abs re non erit, hanc nostram senten-  
tiam, iis, quæ circa ea ab ipsa fide docemur, pro modu-  
lo nostro aptare: quod si assequutus fuerim, majus  
inde robur accepturam non dubito: ideò has duas  
propositiones subjungo.

### PROPOSITIO XII.

*Aptatur ratio suppositi, & subsistentiæ, juxta no-  
strum sensum Mysterio Sanctissimæ  
Trinitatis.*

**T**res esse in divinis personas realiter distinctas, Pa-  
trem scilicet, & Filium, & Spiritum Sanctum, fi-  
des docet: cumque persona nihil aliud sit (def. 2.)  
quam rationalis naturæ suppositum, tria esse divina  
supposita necesse est, nempe suppositum Patris, suppo-  
situm Filii, & suppositum Spiritus Sancti. Sed quam  
diligentè aptetur singulis Personis ratio suppositi juxta  
sensum nostrum, patet ex sequentibus.

Nam, ut habemus ex Symbolo Sancti Athanasii,  
quamvis *alia sit persona Patris, alia Filii, alia Spi-  
ritus Sancti*; tamen *Patris, & Filii, & Spiritus San-  
cti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna maje-  
stas*: singulisque his tribus Personis communicatur to-  
ta divinitas cum omnibus suis perfectionibus absolutis;  
consequenterque inter alias, cuique communicatur  
idem intellectus, seu principium intellectionum; eadem  
voluntas, seu principium volitionum; eademque omni-  
potentia, seu principium operationum ad extra: idque  
tam

tam intimè, & æqualiter, ut unaquæque sit principium  
totale dictarum operationum: habetque naturam ea  
integra virtute constitutam, ut nullo indigeat alio com-  
principio ad operandum. Vides igitur in singulis per-  
sonis divinis, juxta sententiam nostram, rationem sup-  
positi.

Vides etiam rationem suppositi in divinis consistere  
in positivo, & negativo. In *Positivo* quidem, quia  
quælibet divina persona, seu suppositum, quatenus prin-  
cipium totale *Quod*, claudit in suo conceptu naturam  
divinam, ac consequenter virtutes illas intelligendi, vo-  
lendi, & ad extra operandi; tum etiam notiones perso-  
nales, cujusque proprias, ab ipsa tamen natura realiter  
indistinctas, quæ re vera quid positivum sunt. In *Neg-  
ativo* autem, quia nequit intelligi esse principium to-  
tale, quin in ipsa totalitate principii, non intelligatur  
statim aliquid negativum, nempe exclusio, aut negatio  
alterius comprincipii, seu non indigere ad operandum  
aliena virtute, ut videre est in quolibet principio totali  
creato; cum hac tamen insigni differentia, quod à divi-  
nis suppositis, illud negativum, seu exclusio comprinci-  
pii, est essentialis; in creatis verò accidentalis.

Nec obstat unam personam non posse operari sine  
alia; quia hoc non provenit ex defectu virtutis in sin-  
gulis, cum in unaquaque sit integra virtus intellectiva,  
volitiva, & operativa ad extra; sed provenit ex eo quod  
virtus, quæ in singulis reperitur sit eadem; idem nempe  
intellectus, eadem voluntas, eadem omnipotentia; con-  
sequenterque non potest Pater mediis his virtutibus in-  
telligere, velle, & operari, quin eis ipsis non intelligat,  
vellit, & operetur Filius, & Spiritus Sanctus. Itaque  
unaquæque persona est principium totale ad eas ope-  
rationes eliciendas, quin aliæ concurrant cum ea veluti  
prin-

Sed cautè in hac materia loquendum, nam cum prædicationes substantivæ, juxta Concilia, Patres, & Theologos, supponant pro natura divina, quæ unica, & individua est in tribus personis, quanvis verificetur esse tres habentes illam totalem virtutem, non tamen verificatur esse tria principia totalia, sed unum totale principium: quemadmodum juxta S. Athanasii Symbolum, verificantur tres habentes omnipotentiam; non tamen tres omnipotentes, sed unus omnipotens.

Dices ex nostra sententia sequi naturam divinam, præcissam à relationibus, esse suppositum, & personam, quia etiam, ut ab illis præcissa, est principium totale: sicque ultra tres personas singulares, daretur alia communis, quod est absurdissimum. Resp. negando sequellam, & ejus probationem, quia natura divina à relationibus præcissa non est principium totale, nec ipsa est *Quod* operatur, sed est virtus communis *Quo* operatur Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus. Hinc quando dicimus Deum intelligere, Deum velle, Deum operari, non intelligimus naturam præcissam à relationibus, sed Deum Patrem, Deum Filium, & Deum Spiritum Sanctum; actiones enim, juxta vulgare proloquium, sunt suppositorum, non naturæ: & operationes intelligendi, volendi, & creandi indivisæ sunt toti Trinitati.

Ex dictis satis constat quare conveniat, juxta nostrum sensum, ratio suppositi, seu subsistentis, Personis divinis; quælibet enim ex illis est respectu dictorum operationum principium totale. Adderem (si licet) & ego, Patrem titulo alio singulari esse suppositum, & subsistens, nempe quia est principium totale; & adæquatum generationis Verbi. Imò dici poterit esse suppositum,

& subsistens, quia est principium totale processions Spiritus Sancti: Filiumque etiam esse subsistens, & suppositum, quia ejusdem processions Spiritus Sancti est principium totale; nec ideò sunt duo principia totalia, sed unicum, cum unica, sed integrè, & totaliter sit in utroque virtus spirativa. Sed de his melius in Theologia.

## PROPOSITIO XIII.

*Aptatur etiam ratio suppositi, & subsistentiæ, juxta nostram sententiam mysterio Incarnationis.*

**D**Uas esse in Christo naturas hypostaticè, & substantialiter unitas, divinam, & humanam; unum verò esse suppositum, seu personam, eamque divinam, nullamque in ipso remanere humanam subsistentiam, accipimus ex principiis Fidei; sed quam facile hæc catholica dogmata aptentur nostræ sententiæ, unusquisque judicare poterit ex his, quæ sequuntur.

Ex natura humana, & Verbo divino hypostaticè, & substantialiter unitis, confurgit in Christo ratio principii totalis suarum operationum. In hoc omnes conveniunt, quia natura humana se sola non habet sufficientem virtutem ad illas eliciendas: sunt enim operationes Theandricæ, seu hominis Dei, infiniti valoris, & meriti, quæ requirunt infinitam virtutem, qualem habere Verbum divinum naturæ humanæ unitum omnes catholici fatentur. Ex utroque igitur humanitate, & Verbo unitis confurgit respectu operationum Christi unum principium totale.

Quò semel concesso, infertur juxta nostram sententiam Christum esse suppositum, esse unicum, esseque non humanum, sed divinum: esse *Suppositum*, quia ex duplici natura, humana scilicet, & divina hypostati-



cè unitis, & Verbo fit, ut diximus, principium totale, in quo consistit ratio suppositi; esse *Unicum*, quia non sunt in Christo duo principia totalia; sed unicum, *nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus*: esseque *Divinum*, quia totalitas illius principii provenit à divina natura, & Verbo humanitati substantialiter unitis; ab eis enim habet, ut non indigeat aliena virtute, seu comprincipio ad suas eliciendas operationes.

Hinc etiam sequitur in Christo nullum esse suppositum humanum, quia natura humana se sola, cum non habeat virtutem ad operationes illas theandricas infiniti valoris producendas, non est respectu earum principium totale, ideoque nec habet, nec habere potest in statu illo unionis hypostaticæ, propriam subsistentiam. Contra tamen, Verbum divinum, quod etiam postquam unitum fuit humanitati, retinet propriam subsistentiam, estque suppositum, ac persona divina, quia est respectu omnium suarum operationum principium totale: unde in Christo, licet sint duæ naturæ divina, & humana, non sunt duæ personæ, sed unica; & hæc est persona Verbi, in qua, seu (ut alii dicunt) per quam subsistit humanitas Christi, ita ut verè possit dici cum omnibus Catholicis, hic homo est Deus: & Deus est homo, quia suppositum habens humanitatem, est suppositum habens divinitatem, & è contra. Non tamen dici poterit, *Deus assumpsit hominem*, si homo supponat pro supposito humano, quod nullum est; sed solum assumpsisse humanitatem.

Vides igitur in Christo rationem suppositi, & subsistentis consistere in positivo, & negativo: in *Positivo* quidem, nempe in duabus naturis divina, & humana, & personalitate Verbi; sed cum ratio principii totalis, quæ  
in

in ipsis reperitur, dicat in suo conceptu totalitatis negationem, seu exclusionem alterius principii, consistet etiam in *Negativo*. Hæc sufficiant, ut compertum sit omnibus, hanc nostram sententiam, stabilientem *Suppositum* in ratione principii totalis, non solum non opponi principii Fidei, nec quomodocumque illis aptari, sed esse eis conformiorem.

## CAPUT III.

*De Accidente: sive de Ente prout alterum accidentario afficit.*

**P**OSTQUAM de substantia, sive de ente prout est per se, & subsistit, in superiori capite egimus, superest ut de accidente, sive de ente prout est in alio, in hoc quod auspicamur, agamus. Quantumvis autem accidentia sensibus videantur obvia, eorum tamen notio non ita statim intellectui appareat, quin multum in ea discutienda Philosophis negotii facessat. Ut itaque claritate procedam, paucas definitiones præmitto.

## DEFINITIONES.

1. **A**ccidens est quod enti jam in suo esse constituto, & subsistenti advenit, seu advenire intelligitur. Sic Philosophum esse, est hominis accidens, quia advenit ei in esse hominis jam constituto, & subsistenti: similiter esse album est accidens respectu papyri, quia eidem in suo esse subsistenti advenit, seu advenire intelligitur.

2. Ea quæ enti præfato modo adveniunt, eidem *in esse*,

*esse, seu in illo esse* dicuntur; & illud ens, cui insunt, vel in quo sunt, *subiectum accidentium* appellatur: Ideoque accidens dicitur *esse ens in alio*, quia qua tale est, in alio est: Ideoque ab Aristotele *lib. 1. Metaph. cap. 1. & lib. 12. cap. 1.* & aliis plerisque in locis appellatur, non simpliciter ens, qualis est substantia; sed *entis ens*, quia nempe accidentis esse est in alio, saltem quatenus accidens est. Sed de his postea.

3. Hoc autem quod est esse in alio, duplici modo contingere potest: primus appellatur communiter à Philosophis: *Inherentia, seu inherere*; secundus: *Adherentia, seu adherere subiecto*. Ea autem inherere dicuntur, quæ saltem per miraculum existere possunt extra subiectum, cui dicuntur inherere: sic albedo panis inherere dicitur, quia per miraculum extra proprium subiectum valet existere, ut videmus in Sacra Eucharistia. Illa verò adherere dicuntur subiecto, quæ nec per miraculum ab illo separata possunt existere: talis est unio, quæ sine extremis nequit existere; sicut nec Philosophia extra hominem.

## PROPOSITIO XIV.

*Aristotelis, ac Peripateticorum mens circa accidentis naturam aperitur.*

**N**E in his, quæ de accidentibus deinceps dicturus sum à Peripateticæ doctrinæ tramite discedere videar, quid de ipsis Aristoteles, ejusque fidsimus Interpretes S. Thomas dixerint, præmittendum duxi. Aristoteles itaque, & cum eo Angelicus Doctor variis in locis asserunt, accidentia non esse simpliciter entia, sed entis. Sic S. Thomas *7. Metaph. lib. 1.* Philosophum exponens, ait: *Alia verò* (id est, accidentia) *dicuntur entia, non quia ipsa habeant secundum se aliquam quiddita-*

*ditatem, quasi secundum se entia, cum non ita dicantur absolute quid; sed eo quod sunt talis entis.* Idem asserit *12. Metaph. lect. 1. Quantitas, qualitas, & hujusmodi non sunt simpliciter entia, nam ens dicitur quasi esse habens: hoc autem solum est substantia, quæ subsistit: accidentia autem dicuntur entia, non quia sunt, sed quia magis ipsis aliquid est, sicut albedo dicitur esse, quia ejus subiectum est album: idè dicit Aristoteles, quod non dicuntur simpliciter entia, sed entis entia.* Idem quoque ait *1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 3.* his verbis: *Dicendum est quod sicut dicit Boetius, accidentis esse est inesse. Unde omne accidens non dicitur ens, quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est: unde & magis dicitur esse entis quam ens, ut dicitur 7. Metaph. & quia ejus est fieri, vel corrumpi, cujus est esse; idèd proprie loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur, sed dicitur fieri, vel corrumpi, secundum quod subiectum incipit, vel desinit esse in actu secundum illud accidens.* Idem asserit variis in locis.

Præterea cum totum esse accidentis sit inesse alteri, subiecto scilicet, cujus esse dicitur, necesse est accidens esse ens in alio. Quid autem sit esse in alio, sive in subiecto explicat Aristoteles *lib. de Pradicamentis, tract. 1. cap. 2.* Qui quidem liber licet à Jamblico, & aliquibus dubitetur an sit Aristotelis, communiter tamen illius esse, tenent Philosophi cum Severino Boethio: Asserit itaque loco citato: *Atque id in subiecto esse dico, quod in aliquo quidem est, & non uti pars; ut sit autem seorsum ab eo in quo inest, fieri nequit.* Cujus asserit exemplum Grammaticam, quæ est in anima, & colorem, qui est in corpore. Ad cujus intelligentiam adnotare oportet, cum nempe dicit Aristoteles, & non uti

*uti pars*, intelligere, & non uti pars subiecti in quo est: constat enim ex ipso Aristotele *tract. 2. de Prædicam. cap. 1.* partes substantiarum esse quidem in toto; non tamen tamquam in subiecto; quia sunt ejus partes: idque apertè patet exemplo coloris, qui in corpore est tamquam in subiecto, quia pars corporis non est, licet sit pars colorati, quod ex corpore tamquam subiecto, & ex colore tamquam forma coalescit.

Asserit præterea Aristoteles loco nuperrimè citato, ea esse in subiecto non tamquam pars, quæ de subiecto dicuntur, non quidem secundum rationem, sed solum secundum nomen, sive denominationem: sic enim loquitur: *Eorum quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto prædicari interdum nihil prohibet; rationem verò est impossibile.* Sic non dicimus corpus esse colorem; hoc est enim quod Aristoteles appellat, *prædicari secundum rationem*; rectè verò dicimus corpus esse coloratum, quod est prædicari secundum nomen, quod corpori tribuit color, seu secundum denominationem.

In his clauditur tota Aristotelis circa accidentium notionem doctrina, quæ tamen ut enucleatius appareat, sequentia Theoremata, veluti totidem Scholia addenda decrevi.

## PROPOSITIO XV.

*Accidens, juxta Aristotelis mentem, absolute, & simpliciter non habet esse reale, & physicum; habet tamen esse aliquale, aut secundum quid.*

Quod accidens, juxta Aristotelis mentem, absolute, & simpliciter nullum habet esse, patet nam accidens, juxta ejus doctrinam, non est simpliciter ens, neque habet absolute, & simpliciter quiddita-

tem:

tem: sed quod simpliciter, & absolute non est ens, neque habet quidditatem, absolute, & simpliciter non habet esse reale, & physicum: ergo accidens absolute, & simpliciter non habet esse reale, & physicum. Totum autem hoc expressè constat ex verbis S. Thomæ Philosophi exponentis, quæ suprâ adduximus.

Quod verò accidens, juxta ejusdem Philosophi mentem, habeat aliquod esse, seu sit aliquid secundum quid, probatur, nam ut suprâ vidimus, accidentia sæpè dicuntur à Philosopho, & S. Thoma *entis entia*: ergo aliquæ sunt entia: Quomodo enim erunt entis entia, si nullatenus, aut in nullo sensu sint entia: ergo in aliquo sensu entia sunt: sed quatenus sunt entia esse habent: ergo in aliquo sensu, juxta Aristotelis mentem, habent accidentia aliquale esse, seu secundum quid.

Quodnam autem sit hoc esse aliquale, seu secundum quid, quod habent accidentia, non modicam secum fert difficultatem: si enim absolute, & simpliciter non sunt ens, nec habent quidditatem, certè absolute, & simpliciter erunt nihil: & consequenter nullum habebunt esse neque aliquale. In hujus difficultatis explanatione totam Aristotelis intelligentiam in hac accidentium re consistere haud dubito. Eam autem explicat S. Thomas 12. *Metaph. lect. 1.* nam post illa verba quæ prop. 13. retulimus, hæc addit: *Nec est mirum si accidentia dicuntur entia, cum non sint simpliciter entia, quia etiam privationes, & negationes dicuntur quodammodo entia, sicut non album, & non rectum: dicimus enim quod non album est, non quia non album esse habeat, sed quia subiectum aliquod est albedine privatum. Hoc igitur commune est inter accidentia, & privationes, quia de utrisque dicitur ens ratione subiecti; sed in hoc differunt quod subiectum secundum acci-*

den-

352 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT;  
*dentia habet esse aliquale; secundum verò privationes non habet esse aliquale; sed est deficiens ab esse.* Hæc Divus Thomas. Ubi apertè asserit albedinem, & ejus carentiam solummodo appellari entia ratione subiecti, quod album, exemp. gr. aut non album dicitur: ita ut absolutè, & simpliciter neque albedo sit ens, neque ejus carentia: sint tamen tam albedo, quàm ejus carentia ens ratione subiecti: albedo quidem quatenus subiectum habet esse album, quod est *esse aliquale*; privatio verò albedinis, solummodo quatenus subiectum dicitur non esse album, seu non habere illud *esse aliquale*, quod est esse album. Hinc communiter asserunt Thomistæ accidens non esse ens *ut quod*, sed *ut quo*: & consequenter non habere quidditatem ut quod, sed ut quo; id est, accidentia esse tantum id quo subiectum aliquatè est, seu habet esse aliquale. Hæc juxta Aristotelis mentem dicta sunt, ex quibus sequentia corollaria deducuntur.

#### COROLLARIA

##### *Ex Peripatetica doctrina circa accidentia.*

1. **I**nsertur accidentis esse esse inesse, nec aliud habere esse præter inesse subiecto. Hoc præterquàm quod à S. Thoma explicante Philosophum innumeris pene locis adferatur, insertur ex dictis. Cum enim accidens in se absolutè, & simpliciter non habeat quidditatem, aut esse, certè tota ejus quidditas erit inesse subiecto, solum enim dicitur esse quatenus subiectum ratione accidentis aliquatè dicitur esse.

2. Sequitur ex eadem doctrina, accidentia adhuc divinitus non posse existere sine subiecto: nam accidentia adhuc divinitus non possunt existere sine sua essentia, sine suo esse, sine sua quidditate: sed accidentium essentia, esse, & quidditas est inesse subiecto: ergo nec divi-

nitus

nitus existere possunt in eo statu, quo non insunt, seu inherere subiecto: ergo juxta Peripateticam doctrinam nec divinitus existere possunt sine subiecto.

Videntes hanc difficultatem plerique Philosophi, qui se Peripateticos esse profitentur, ut realem accidentium remanentiam in Sacra Eucharistia (quæ omninò asserenda est) tuentur, Aristotelis doctrinam interpretari, seu potius corrigere, & emendare moliantur, asseruntque accidentis quidditatem, & essentiam non esse actu inesse, aut inherere subiecto; sed tantum exigere inherere subiecto, posse autem divinitus privari termino illius exigentiæ, sicque per miraculum posse conservari sine subiecto. Sed contra, nam si id ita esset, accidentia absolutè, & simpliciter haberent esse, contra id quod tam apertè variis in locis asserit Aristoteles: sequela autem probatur, nam si accidens esset id quod exigit inherere subiecto, accidens in se esset quid, haberet quidditatem, & esset in se ens: exigentia enim illa alicujus est: ergo accidens absolutè, & simpliciter esset ens.

Præterea, quia accidens, juxta Aristotelem, & Peripateticos solum habet esse ut quo, ita ut nullatenus sit compositum ex quo est, & quo est: sed si ejus essentia esset exigere esse in subiecto, non esset tantum ut quo; sed esset compositum ex quo est, & quod est: esset enim id quod exigit esse in subiecto: & quo subiectum est, & denominatur tale: ergo juxta Peripateticam doctrinam, accidens non est quod exigit esse in subiecto: sed potius constituitur per inesse, seu inherere subiecto: & consequenter extra subiectum, esset sine sua essentia: ergo extra illud nec divinitus esse potest.

Hanc difficultatem sibi objicit S. Thomas loquens de accidentibus Eucharisticis *3. part. quæst. 77. art. 1. in ar- gum.*



4. cui respondet his verbis: *Ad quantum dicendum, quod accidentia huiusmodi, manente substantia panis, & vini, non habebant ipsa esse, nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huiusmodi esse per ea: sicut nix est alba per albedinem. Sed post consecrationem ipsa accidentia quæ remanent habent esse, unde sunt composita ex esse, & quod est.* Ubi aperte patet, ut ibidem notat Eminent. Cajetanus, Angelicum Doctorem asserere accidentia in Sacra Eucharistia transire de quo est in quod est; & esse deinceps composita ex quo est, & quod est. Quod quam difficile sit, tu vide sis. Si enim in statu separationis sunt quod; id est, quod exigit esse in subiecto, certè etiam in ipso subiecto sunt quod, idque propriè, absolute, & simpliciter; non enim eo quod in subiecto sint, amittere possunt esse id quod exigit in subiecto esse: unde accidentia in subiecto erunt quoad se, & in se absolute, propriè, & simpliciter ens, quod est expressè contra Aristotelem: imò nulla erit ratio, cur propriè loquendo neque fiant, neque corruptantur, cum tamen eorundem propria productioni, & corruptioni adversatur tum Aristoteles, tum S. Thomas loco adducto prop. 13. ex 1. 2. quæst. 110. Sed nunc jam nostra Theoremata circa accidentium naturam proponamus.

## PROPOSITIO XVI.

*Quidquid rei in suo esse constituta advenit, seu advenire intelligitur, accidens est.*

CONSTAT hoc ex defin. 1. Tum ex his quæ in præcedentibus ex Aristotele diximus, etque communis omnium Philosophorum sensus. Hincque procedit vulgaris illa accidentis definitio à Porphyrio tradita: accidens est quod adesse, & abesse potest sine corruptione

*ptione subiecti.* Subiecti, inquam, considerati secundum essentiam, & præcindendo ab ejus actuali existentia: quod quidem addo, ne quis objicere velit dicens, mortem, & calorem in summo esse accidentia, cum tamen subiectum, cui accidunt destruant. Sed in hoc nulla est difficultas.

## PROPOSITIO XVII.

*Diverse accidentium species enumerantur.*

I. **A**ccidentia alia Modalia, alia Entitativa dicuntur. Modalia sunt, quæ à subiecto, cui insunt, nec divinitus possunt existere separata: imò neque sine ipso concipi possunt: sunt enim eisdem essentialiter affixa: talis est simitas nasi, & digiti inflexio, quæ nec per miraculum ab illis subiectis valent existere separata; neque illis non cognitis concipi possunt. Entitativa verò dicuntur ea, quæ à subiecto cui insunt, saltim divinitus possunt existere separata, eo quod ei non sint essentialiter affixa: talis est color, qui destructa substantia panis, remanet in Eucharistia.

2. Accidentia, quæ Entitativa vocantur, alia naturaliter possunt existere sine subiecto; alia verò non nisi per miraculum: illa naturaliter possunt existere sine subiecto, quæ extra subiectum constituta, principium adhuc sunt, seu esse possunt aliquarum operationum, vel effectuum; talia sunt indumentum, & arma, quæ accidentia quidem sunt hominis induti, vel armati, ab illo tamen separata existunt, quia separata proprios adhuc habent effectus: proprios inquam lanæ, aut serici, quo indumentum contextum est; vel ferri, quo arma fieri fabricata: huiusmodi autem accidentia à plerisque Logica appellantur. Illa verò à subiecto secunda naturaliter non possunt existere, quæ extra illum nullam habent

356 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
in natura operationem, aut effectum: de quibus pos-  
sita singillatim agendum est.

§. I.

De accidentibus modalibus, sive modis.

DEFINITIONES.

1. **A**ccidens modale, sive modus est, *quædam res alicujus actualis determinatio*. Sic unio determinatio est actualis extremorum, ut faciunt unum: curvitas digiti determinatio illius est ad illum modum essendi, &c. Seu etiam modus est *status rei ipsi non essentialis*. Sic unio est status extremorum, quo nempe faciunt unum: & curvitas digiti est talis illius positio, aut status; & neque curvitas est digito essentialis, qui rectus esse potest; nec extremis unio, quæ separata persistunt, vel possunt persistere, aut saltem sine ipsa concipi possunt.

2. Modus alius est *Intrinsicus*, alius *Extrinsicus*. Intrinsicus est, quo res intrinsicè afficitur; ut figura respectu ceræ; cera enim intrinsicè afficitur per figuram. Extrinsicus est, quo res non quidem afficitur extrinsicè, cæterum ab eo aliquam accipit denominationem: talis est visio à qua paries denominatur visus. Verum hic modus valde improprie talis appellatur, & equivocè, cum status rei minimè sit.

3. Modus item alius est *Amisibilis*, quem res amittere potest, ut rotunditas ceræ, cera quidem de rotunda potest fieri quadrata. *Inamisibilis* est, qui amitti non potest, talis est dependentia ceræ à Deo.

4. Tandem modus alius est *Positivus*, alius *Privativus*. Positivus est ille, quo res aliquale esse dicitur habere, ut extensio, qua substantia dicitur, & est exten-

LIBER III. CAPUT III. 357  
sa. Privativus est ille, quo res dicitur aliqualiter deficiens ab esse; seu dicitur aliquid non esse, ut cæcitas, qua homo dicitur cæcus. Alias divisiones omitto, quæ sunt parvi momenti.

PROPOSITIO XVIII.

*Accidens modale, sive modus non est absolutè, & simpliciter ens, sed entis.*

**D**ico accidens modale, sive modum, non esse absolute, & simpliciter ens, neque simpliciter habere esse, aut quidditatem. Constat hoc ex S. Thoma exponente Philosophum locis supra adductis: quod quidem licet universaliter ab Aristotele asseratur de omnibus accidentibus, saltem de modalibus omnino est intelligendum. Deinde probatur, nam modus nihil aliud est, nisi status quidam, & determinatio actualis subiecti cuius est, cui inest, & cui adhæret: ergo solum est, quatenus subiectum illud taliter est, sic videlicet, aut sic; & præter hoc nullum aliud habet esse: quodnam enim aliud esse habere potest, exemp. gr. finitas nasi, quæ modus illius est, præter taliter se nasum habere, esseque in eo determinato statu. Præterea quia ut vidimus ex Aristotele, & S. Thoma, esse accidentis est inesse, quod præsertim de modis innegabile est, cum sint talis status, & tale esse illius rei, quam modificant, & cui sunt essentialiter affixi: ergo non habent absolute, & simpliciter esse: & consequenter absolute non sunt ens, sed entis: non sunt quid, sed quo subiectum illi modo est: nulumque aliud esse habent præter hoc, quod est subiectum illis aliquid esse: Ita ut omnia illa, quæ ut supra vidimus, ab Aristotele generatim de accidentibus dicta sunt, omnino in modis, seu accidentibus modalibus sunt tenenda.

## PROPOSITIO XIX.

*Modus non potest cognosci sine re, cujus est modus.*

**P**robatur, quia nihil concipi potest, quin concipiatur ejus essentia: sed essentia modi est inexistētia, seu adhærentia subiecto: ergo modus nequit concipi, sine ejusdem existentia in subiecto: sed hæc inexistētia in subiecto, nequit concipi sine subiecto: ergo neque modus. Præterea quia si modus conciperetur sine re cujus est modus, conciperetur, & non conciperetur: conciperetur, ut supponitur, & non conciperetur, quia non conciperetur ejus essentia, quæ est adhærentia subiecto. Hinc licet res cui modus adhæret, possit concipi sine modo, ut digitus sine curvitate; modus tamen concipi nequit sine re cujus est modus, ut prædicta curvitas digiti sine digito.

## PROPOSITIO XX.

*Hinc modus neque per miraculum existere potest separatus à re, cujus est modus.*

**P**atet, nam essentia modi est inesse subiecto: ergo si existeret sine illo, esset, & non esset: esset quidem ut supponitur: non esset, quia non esset ejus essentia, quæ est esse in subiecto, quod modificat. Vides aperte contradictionem: non ergo, nec divinitus, potest esse modus sine re cujus est modus. Licet itaque res, cui modus accidentaliter adhæret, esse possit sine illo modo; modum tamen esse sine re, est impossibile: sic extrema existere possunt sine unione; non verò unio sine illis. In hoc autem omnes conveniunt.

## PROPOSITIO XXI.

*Modus distinguitur modaliter, ut ajunt, à re cujus est modus.*

**Q**uæstio est inter Neotericos acriter exagitata an modi ab entitatibus, quas modificant, aliqua distinctione reali distinguantur. Dixi inter Neotericos, nam ab antiquis Philosophis nulla facta est hujusmodi quæstionis mentio, nec ullus assignatur, qui realem inter entitates suosque modos distinctionem asserat, aut expressè saltem respuat. Prima itaque sententia negat omnem realem distinctionem inter modum, & rem modificatam: hanc tuerent Nominales, & cum ipsis Stephanus de Meles *Log.gen. part. 1. tract. 3. quæst. 4. cap. 1. Casim. in Metaph. intent. part. 3. disp. 2. quæst. 3.* Emmanuel Maignan *Phil. nature, cap. 6. prop. 6. corol. 2.* & alii. Secunda sententia defendit modos distingui distinctione quadam reali minoris ab entitatibus, quas modificant: hanc tenent communiter Scholastici cum P. Suarez *Metaph. disp. 7. sect. 1.* quos sequitur P. Honor. Fabri *lib. 5. Metaph. prop. 14.* & alii. Ab hac quæstione breviter me expediam, ne in his, quæ parum adferunt utilitatis, tempus inutiliter teram.

Assero itaque modos distingui modaliter à rebus ipsis quas modificant. Ratio est, quia res existere potest sine modo; non verò modus sine modificato: Item verificatur, res est; modus non est: ergo inter rem, & modum aliqua reperitur distinctio: non quidem qualis est inter rem, & rem, ut inter Petrum, & Paulum; sed alia minor, quam modalem appello: ergo res, ejusque modus modaliter distinguuntur. An autem hæc modalis distinctio, quæ nec solius rationis est, nec rei à re, in aliquo sensu sit appellanda realis, quæstio est de solo nomine:

mine: communiter autem illam *Realem minorem* appellant.

## PROPOSITIO XXII.

*Explicari potest quid addat modus supra entitatem, quam modificat.*

**E**X dictis fatis colligi potest, modum, saltem si in abstracto sumatur, nihil addere supra modificatum, quod sit simpliciter ens, aut entitas: cum modus simpliciter nec entitas sit, nec ens (17.) solum itaque addit supra entitatem nudè sumptam, si positivus sit, esse illud aliqualè ipsius entitatis, qua tali modo esse in concreto dicitur: sic curvitas digiti, supra digiti entitatem, nihil addit præter illud esse aliqualè, quo digitus appellatur curvus. Si verò modus privativus sit, solum addit privationem, qua res dicitur deficiens ab illo aliquali esse, seu illo esse privata: sic cæcitas, præter hominis entitatem solum addit privationem visus, qua cæcus, seu non videns dicitur. Sed de his ulterius redibit sermo, cum de singulis modis in particulari pro loci opportunitate pertractabimus.

## §. II.

*De accidentibus entitativis.*

## PROPOSITIO XXIII.

*Præter accidentia modalia, dantur etiam accidentia entitativa.*

**P**robatur, nam multæ sunt entitates, quæ rei in suo esse constitutæ adveniunt, aut advenire concipiuntur, quale est lumen respectu corporis ab eo illuminati: color respectu colorati, &c. ergo hujusmodi entitatibus convenit notio, & definitio accidentis initio hujus capitis assignata: ergo sunt accidens respectu rei, cui

ad-

advenire dicuntur: sed non modale; aliter entitates non essent: ergo entitativum.

**S**ed dices: unde nam constet lumen, & colorem entitates esse, & non potius modos corporis illuminati, & colorati? Respondeo id constare primò, & ni fallor, evidenter, ex eo quod, teste experientia, lumen, color, & similia concipiuntur sine corpore quod illuminatum, ac coloratum denominant: multa enim de lumine, plurima de colore disputamus, non tantum in genere, verum & in particulari, nulla mentione facta corporis, quod afficiunt, ut cum de his in particulari philosophabitur patebit: ergo non modi; sed entitates sunt propriè, & simpliciter suam quidditatem habentes. Secundò constat ex Sacratissima Eucharistia, ubi post consecrationem, ut fide certum est, non remanet substantia panis, & vini: & consequenter nec remanent ejus accidentia modalia: sed remanent color, odor, &c. ergo hujusmodi accidentia non sunt modi substantiæ panis, & vini, qui (19.) nec divinitus à subiecto possunt existere separata; sunt ergo entitates: cumque sint extra essentiam, & substantiam panis, & vini, eique adveniant, eamque denominent, & afficiant, sequitur esse illius accidentia entitativa.

## PROPOSITIO XXIV.

*Hujusmodi accidentia entitativa possunt saltem divinitus existere sine subiecto.*

**P**atet, cum enim entitates sint, habent simpliciter, & absolute esse, atque realem, & physicam unitatem, & essentiam: quid ergo vetat ut saltem divinitus possint sine subiecto existere, ac conservari. Sic miraculosè, ut dixi, existit, & conservatur color in Eucharistia. Addidi verò *saltem divinitus*, quia aliqua sunt accidentia

en-



entitativa, communiter *Logica* appellata, quæ naturaliter sine subiecto, quod denominant, & afficiunt, existere possunt, ut patet in vestimento, quod separatim ab homine vestito potest existere.

## PROPOSITIO XXV.

*Explicatur generatim quænam accidentia naturaliter, quænam verò divinitus existere valeant sine subiecto.*

**E**X entitatibus prædictis, quæ subiecto in suo esse constituto adveniunt, quæque sunt ejus accidentia, aliquæ tales sunt, ut suapte natura extra subiectum illud posita, plurimos habeant in rerum natura effectus, atque operationes: ita ut non solum à conditore mundi ad illud subiectum afficiendum, atque denominandum sint conditæ; verum etiam ad alios, eosque non contemnendos effectus, in natura præstandos sint institutæ: hujusmodi itaque entitates, in se, & quoad se consideratas, substantias esse, atque simpliciter entia per se, nemo dubitat: cumque præterea principium sint, & causa suarum operationum, quas seorsim ab omni subiecto possunt exercere, nullatenus in natura rerum sunt frustra: ergo ex nullo capite, sublato licet omni subiecto, quod denominant, aut afficiant, eas defecturas esse vincitur, cum nec frustra sint, nec subiecto illo egeant, ut operationes suas eliciant: hujusmodi ergo accidentia naturaliter existere valent sine ullo subiecto: talia sunt arma respectu hominis armati; vestis respectu vestiti, & alia hujusmodi, ut alibi dixi.

Alia verò ex præfatis entitatibus, rem in suo esse completo afficientibus, tales sunt ut à naturæ conditore ad id tantum in rerum natura sint constitutæ, ut subiectum

etiam illud afficiant, denominent, & in aliquo esse accidentali perficiant; extra illud autem posita, effectum nullum, nullamque habeant operationem: hæ itaque licet absolute, & simpliciter entia sint, suamque proprie habeant quidditatem; quia tamen extra subiectum ad nihil deserviunt, certè extra illud posita, essent omninò frustra: sed ex naturæ instituto, nihil est in ea ponendum frustra: ergo prædictæ entitates, destructo subiecto, destrui debent, nec naturaliter sine illo existere possunt: valent tamen divinitus sine illo conservari: cum enim veræ entitates sint, & à subiecto prorsus distinctæ, cur non poterunt à Deo seorsim ab illo conservari, ob peculiare suæ infinitæ sapientiæ fines? Hujus generis accidentia sunt gratia sanctificans, & habitus infusi, qui ad id tantum muneris à Deo auctore supernaturali condita sunt, & animæ infunduntur, ut eos in ea præstent effectus, quos Theologi hujusmodi habitibus assignant: ideoque nec gratia extra subiectum quod justum, & Deo gratum reddit; neque habitus supernaturales prædicti, juxta rerum ordinem sine subiecto persistere possunt, essent enim omninò frustra.

Dices tamen ex his, quæ à nobis asserta sunt, sequi nulla esse proprie loquendo accidentia entitativa: nam ea quæ extra subiectum posita proprias habent operationes, & effectus, in omnium sententia substantia sunt; illa autem quæ extra subiectum nullum habent effectum, cum verè sint entitates in se, ac simpliciter entia, non est cur eisdem substantiæ ratio sit deneganda. Quod insuper clarissimè suadetur S. Augustini verbis: in illud enim Psalmi 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Post alias quas refert hujus nominis *substantia* significationes, addit: *Intelligitur alio modo substantia, illud quo sumus quicquid sumus.* Et post pau-

paucā: *Dicitur Homo, dicitur pecus, dicitur terra, dicitur Cælum, Sol, Luna, lapis, mare, aër, omnia ista substantia sunt, eo ipso quo sunt. Naturæ ipsæ substantiæ dicuntur. Deus est quedam substantia, nam quod nulla substantia est, nihil omnino est: Substantia ergo aliquid esse est.* Quibus verbis aperte docet S. Augustinus, quidquid in se habet esse, substantiam esse: quod verò substantia non est, nihil omnino esse; addo ego, absolute, & simpliciter. Cum itaque accidentia illa, de quibus loquimur, licet sine subiecto frustra sint, habeant tamen propriè quidditatem, sintque in se absolute, & simpliciter ens, certè in se substantiæ erunt. Ob hanc rationem, ut verum fatear, cur eisdem ratio substantiæ neganda sit, non satis video. Cæterum cum jam ad quæstionem de voce pervenerimus, sistendum est; potiusque judico cum plerisque loquendum, ideoque appellanda esse accidentia entitativa: cum enim à subiecto seorsim existere nequeant, certè totum suum esse est veluti alterius, & in alio; & consequenter accidentia.

## §. III.

*De unione accidentium cum subiecto.*

## PROPOSITIO XXVI.

*Aliqua de unione in communi præmittuntur.*

UNIO nihil aliud est quam *nexus extremorum*. Unio de extremorum modus est: est enim eorundem actualis determinatio, ut unum quid constituat: est præterea status quidam ipsorum, eorundem entitatibus non essentialis, quo unum efficere dicuntur. Hoc inquam est unio sub metaphysicis abstractionibus considerata: in quo autem stet realiter, & physicè nexus ille, quo extrema ununtur, de singulis unionibus pro  
loci

loci opportunitate seorsim est inquirendum; neque enim pro omnibus eadem physica ratio est assignabilis; in alio enim, physicè loquendo, consistit unio accidentis cum subiecto, ac unio formæ præsertim rationalis cum materia: & in alio, eoque valde à supradictis diverso, unio continuativa, seu partium continui corporei consistit, ut suo loco patebit. Duo autem ad omnem unionem necessariò prærequiruntur; coëxistentia videlicet extremorum, nam quod non est, uniri non potest; & intima, aut saltim immediata eorundem præsentia: neque enim calor apud Indos existens, unitus esse valet manui meæ in Hispania degenti. In quo itaque stat physicè accidentium unio cum subiecto breviter sequentibus propositionibus aperio.

## PROPOSITIO XXVII.

*Modus per se ipsum unitur subiecto.*

RATIO est, quia modus nullum aliud habet esse præter inesse, & adherere subiecto (17.) ita ut ejus quidditas, & essentia sit esse in subiecto, quod modificat, ut ex dictis constat: ergo modus per se ipsum unitur subiecto.

## PROPOSITIO XXVIII.

*Accidens entitativum non unitur subiecto per suam entitatem.*

PROBATUR, quia accidens entitativum (23.) potest saltim divinitus existere separatim ab omni subiecto: ergo potest existere, & non esse unitum: ergo non unitur per suam entitatem: ergo per aliquid ei superadditum: quid autem hoc sit videamus.

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

## PROPOSITIO XXIX.

*Explicatur in quo physicè consistat unio accidentium entitativorum cum subiecto.*

**D**ICO 1. Accidentia illa entitativa, quæ in se substantia sunt, possuntque naturaliter esse sine subiecto, quod denominant, ut indumentum, arma, & similia, non habere strictam cum subiecto unionem: ut enim eidem tribuant denominationes vestiti, armati, &c. sufficit certam cum illo conjunctionem habere, ac veluti contiguitatem, ut subiectum illa habere dicatur, illa deferre, &c. ut satis perspicuum est.

**D**ICO 2. Accidentia illa entitativa, quæ non nisi per miraculum valent existere sine subiecto, uniri cum illo, ac veluti alligari per ipsas actiones Dei conservantes accidentia illa in loco eodem in quo est eorumdem subiectum, & non in alio; id ita exigente recto rerum ordine, ne, accidentibus illis extra subiectum conservatis, aliquid esset in natura rerum frustra. Præsupponit itaque huiusmodi accidentium cum subiecto unio, decretum Dei, quo scilicet decernat illa accidentia tantum in eo loco conservare, in quo subiectum conservat: ita ut decretum istud, non quidem sit unio, sed potius terminetur ad actiones prædictas conservativas accidentium in loco subiecti, in quibus unio consistit. Ratio autem huius rei est, quia, hoc solum posito, ita est illigatum accidens illud subiecto, ut moveatur ad motum subiecti, atque ut subiectum illo accidenti verè affici, ac denominari dicatur, illosque effectus producere, quos sine illo producere non valebat: sic albedo (quod solum, exemp. gr. dictum volo) eo præcisè quod à Deo ex vi prædicti decreti in eo tantum loco conservetur in quo est nix, movebitur ad motum nivis; hæc denominabitur alba,

visumque disgregabit, quod quidem sine albedine facere nequibat: ergo unio huiusmodi accidentium cum subiecto in hoc tantum consistit, & si quid aliud realiter ab hoc distinctum additur, id gratis, & sine fundamentum fugitur.

Dices, ex his sequi duo corpora divinitus, in eodem loco existentia, & compenetrata, eo ipso fore inter se unita; sed hoc nemo dicit: ergo unio aliquid addit ad supradicta. Sequela probatur, nam corpora penetrata conservantur per actiones Dei in eodem loco: ergo essent unita. Respondeo negans sequelam, nam ut prædicta corpora dicerentur unita, oportebat ut unum totale, & singulare principium constituerent suarum operationum, ad quod nullatenus sufficit in eodem loco prædictis actionibus conservari: sed insuper necesse est præsupponi decretum Dei statuentis mutuum illorum in operando dependentiam, quo nempe Deus decernat non concurrere cum operationibus unius illorum corporum, quin aliud etiam ad illas concurrat. Sic, ut suo loco patebit, ut anima rationalis corpori sit unita, non sufficit utcumque in corpore conservari, seu in eodem loco, in quo corpus est: sed insuper requiritur ut simul cum corpore, ac dependenter ab illo suas operationes efficiat: quod quidem habet ob negationem divini concursus ad operandum sine corporis dependentia: ut autem accidens denominet, ac afficiat subiectum, atque hoc cum accidente aliquos effectus producat, sufficit in eodem loco per præfatas actiones conservari simul cum subiecto: ideoque in prædictis actionibus conservatis stabit physicè unio accidentis cum subiecto.

Dices iterum, cur ut anima dicatur corpori unita, efficiatque cum eo unum totale, ac singulare operationum principium, præter actiones conservativas corpo-

ris, & anima, requiratur ulterius decretum illud decernens mutam illorum dependentiam in operando; non autem id etiam requiratur in accidenti entitativo. Respondeo id ideo esse, quia corpus suas habet sine anima operationes: similiter & anima separata suas quoque habet, easque nobilissimas, ideoque, ut per unionem unum efficiant compositum, imò & suppositum, necessum est per decretum illud mutò reddi corpus, & animam in operando dependentia; accidens verò entitativum, de quo loquimur, cum extra subiectum, ut dixi, nullas habeat operationes, certè nullo peculiari decreto opus habet, ut ejus operationes reddantur à subiecto, cui inest, dependentes, cum suapte natura nullas elicere valeat independentè ab illo: ideoque præcisè posita ratione conservativa accidentis in eodem loco, in quo est subiectum, intelligitur eidem esse verè unitum.

## PROPOSITIO XXX.

*Extensio accidentis commensuratur extensioni subiecti.*

**I**nfertur ex dictis; cum enim accidens ex vi ejusdem cum subiecto unionis debeat esse ubi est subiectum, necesse est coextendi subiecto, in quo recipitur, & cui unitur. Nec in hoc est aliqua difficultas.

## CAPUT IV.

*De extensione, seu quantitate.*

**A**GIMUS in præsentì capite de extensione, seu quantitate in abstracto sumpta, quatenus videlicet enti corporeo, & incorporeo competit: id enim omninò metaphysici juris est. Nihil autem vetat

vetat extensionem sic acceptam, quantitatem etiam appellari: siquidem omnia illa quanta esse dicimus, per quæ respondere possumus ad interrogatum *quantum*: Indubium autem est præfatam questionem de omni extenso institui posse, eidemque directè satisfieri, cum tantam, aut tantam esse ejus extensionem reponimus. Quæ autem hic pertractanda occurrunt, ita humana torquent ingenia, ut ad veritatem assequendam diversas semitas pertentarent Philosophi, & ut verum fatear, ita arduas, ut nullam invenias, quæ innumeris difficultatum scopulis non exasperetur: aliquid itaque me facturum judico, si eam saltem elegerim, quæ minus difficilis videatur.

## DEFINITIONES.

**1.** *Extensio est id, quo aliquid extensum est, in ordine scilicet ad locum.* Illud autem ita extensum dicitur, quod potest alteri esse æquale, vel eo majus, aut minus.

**2.** *Divisibile actu est, quod in partes ex quibus actu constat dividi potest.* Ver. gr. Quantitas bipalmaris est actu divisibilis in duos palmos, quia nempe ex duobus illis palmis constat, in quos dividi potest. *Divisibile verò potentia est id, quod actu quidem est indivisibile; in virtute tamen, seu æquivalenter est divisibile.* Explicatur. Id quod potentia divisibile est, dicitur primo esse actu indivisibile, quia nempe entitas simplex est, nec ulla habet actu partes, in quas dividi possit: dicitur tamen potentia, seu virtute divisibile, quatenus æquivaleret divisibili, ut autem id facile percipias, cogita Angelum per exapadem extensum, certè designare possumus dimidium illius extensionis, tripedalem videlicet ad quam Angelus potest reduci: Item pedalem, semipedalem, & sic indefinitè. Vides itaque Angelum en-

*Comp. Phil. Tom. I.      Aa      tita.*



tativè indivisibile esse, quod nempe partibus careat, in quas dividi possit; dici tamen potentia divisibilem quoad extensionem, quatenus nempe ejusdem extensio, plurimas extensiones eà minores adæquat, aut saltem potest adæquare, ad eandemque reduci. An autem in rebus corporeis detur aliquid, quod sit hujusmodi, postea videbitur; nunc enim tantum explico quid sub his terminis sit intelligendum.

3. *Punctum physicum est, quod nullas habet partes entitativas, in quas dividi possit.*

4. *Punctum mathematicum est, quod nullas, adhuc ideales habet partes, in quas concipi possit divisibile.*

5. *Punctum terminans est extremum lineæ: copulans est extremum commune duarum partium. Linea extremum est superficies: superficies extremum corporis. Constat ex def. 3. & 6. lib. 1. Elem. Euclidis: & ex def. 2. lib. 1. 1. Potest similiter esse tum linea, tum superficies, non solum terminans, sed copulans.*

6. *Figura est extensio terminata, seu terminis comprehensa. Constat ex def. 14. lib. 1. Elem. Euclidis.*

### PROPOSITIO XXXI.

*Nulla entitas physica, & realis est punctum mathematicum, neque ad illud reduci potest.*

**P**Onatur enim realis, & physica entitas, quæ punctum sit mathematicum, aut ad illud reducta, sitque talis entitas A, ponantur & alia puncta mathematica duo B, & C, unum hinc, & aliud inde, medium autem inter illa locum entitas illa A possideat: erit ergo unum, exmp. gr. B, ad dexteram puncti A; aliud verò C ad lævam: ergo entitas illa A habet lævam, & dexteram: ergo habet partes saltem ideales, in quas concipi

cipi valeat divisibilis: ergo non esset punctum mathematicum, quod (def. 4.) nullas, neque ideales habet partes: cumque aliunde supponatur esse punctum mathematicum, certè hujusmodi erit, & non erit, quod est impossibile.

Confirmatur. Disponantur tria prædicta puncta mathematica, modò quo diximus in linea recta; modo verò ita ut veluti triangulum efformet; quo posito, quæro, quænam assignari possit inter utramque dispositionem differentia, certè non alia, nisi quod sibi tria puncta ex alia parte respondeant: ergo habent partes saltem ideales: & consequenter non sunt, nec esse possunt puncta mathematica: nulla ergo entitas physica, & realis esse potest punctum mathematicum, aut ad illud reduci: idque sive talis entitas sit ens corporeum, ut minimum materiæ, aut incorporeum, ut Angelus. Hinc continuum quantum, seu corporeum ex solis punctis mathematicis componi non posse, suo loco probabimus.

### PROPOSITIO XXXII.

*Multa sunt entitativè, & actu indivisibilia.*

**P**Atet, nam multa sunt, quæ nullas habent partes entitativas, in quas actu dividi possint, qualia sunt Deus, Angelus, & anima rationalis, & fortè etiam puncta materiæ, ex quibus cuncta corpora componuntur, de quo suo loco: sed quod nullas habet partes entitativas, in quas dividi possit, est actu, & entitativè indivisibile: ergo multa sunt actu, & entitativè indivisibilia.



## PROPOSITIO XXXIII.

*Prædicta entitativè, & actu indivisibilia, saltem in puncto physico esse debent.*

**P**robatur, nam prædicta indivisibilia alicubi sunt: omne enim quod est, alicubi est; quod enim nulli est non est: sed prædicta indivisibilia, quantumvis talia sint actu, & entitativè, non possunt esse in puncto mathematico (30.): ergo saltem in puncto physico, quod quidem (def. 3.) partibus caret entitativis.

## PROPOSITIO XXXIV.

*Punctum physicum, quamvis sit indivisibile actu; est tamen potentia divisibile.*

**1.** **Q**uod punctum physicum sit actu indivisibile patet, nam (def. 3.) nullas habet partes entitativas, in quas dividi possit: sed si actu divideretur, partes haberet illas, in quas foret actu divisum; easque non tantum imaginarias, sed reales, & physicas: ergo est actu indivisibile.

**2.** Quod verò sit potentia divisibile, probatur simul, & explicatur. Sint enim tria puncta A, B, C, ita ut punctum B sit medium inter A, & C: hoc posito, certum est aliter correspondere punctum B puncto A, posito ad dexteram, quam puncto C, posito ad sinistram: hæc autem diversitas in nullo alio stare posse videtur, nisi quod qua tangit, seu respicit punctum A, non tangit, seu respicit punctum C; & qua punctum istud, nec tangit, nec respicit punctum A: diversa sunt igitur in puncto hoc dextrum, & sinistrum; non autem entitativè, quia supponimus esse actu, & entitativè indivisibile: ergo solum in potentia.

Dum autem dico dextrum, & sinistrum in puncto phy-

physico esse potentia tantum diversa, non ita intelligas velim, ut partes, quæ actu realiter indistinctæ sunt, possint, facta aliqua separatione, esse realiter distinctæ, hoc enim semper omnino imperceptibile iudicavi, quæ enim semel idem realiter sunt, numquam realiter distingui posse demonstrabile videtur. Dico itaque punctum illud solum dici potentia divisibile in dextrum, & sinistrum, quatenus Deus in illius puncti loco, aut eidem æquali, duas alias res ponere valet ipso puncto subduplas, etiam entitativè indivisibiles: idemque dico de qualibet ex his, & sic indefinitè.

Quod autem in hoc nulla appareat implicantia, inde mihi persuasum, quod licet res sit actu, & entitativè indivisibilis, potest Deus facere, ut modò alteri rei coextendatur, modò ad ejusdem dimidium reducatur, ut patet in Angelo; & etiam in anima rationali, quæ parvo corpori infantuli coextensa est; cum verò adoleverit homo, ejusdem majori corpori coextenditur: nulla ergo est repugnantia, ut eadem res actu, & entitativè indivisibilis, aliis duobus, aut pluribus, Deo sic operante, correspondeat; & è converso, ut duo, aut plures eidem faciat correspondere: idque, nihilque aliud intelligo dum dico: punctum physicum esse potentia divisibile, quamvis actu, & entitativè sit indivisibile.

## PROPOSITIO XXXV.

*Hinc omne punctum physicum est extensum.*

**P**robatur, nam (33.) omne punctum physicum est potentia divisibile; id est, potest Deus in illius loco, aut eidem æquali, & correspondenti ponere alia duo puncta subdupla, aut subtripla, &c. sed hoc concipi nequit absque extensione: ergo omne punctum physicum est extensum. Præcipuè cum non repugnet esse

374 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
esse indivisibile, & extensum, ut patet in Angelo, & ani-  
ma, quæ indivisibilia sunt, & extensa.

PROPOSITIO XXXVI.

*Hinc quidquid est, extensum est.*

**P**atet, nam quidquid est, saltem in puncto physico  
est; non enim esse potest in puncto mathematico,  
(30.) sed punctum physicum est extensum (34.): ergo  
quidquid est, extensum est. Quemadmodum itaque  
quidquid est alicubi esse necessum est, ut suo loco pate-  
bit, ita quidquid est, necessariò est extensum.

PROPOSITIO XXXVII.

*Punctum physicum saltem divinitus potest ad ma-  
jorem extensionem adduci, & ad minorem  
reduci.*

**N**ihil enim obstat, ut id saltem divinitus fieri possit:  
si enim aliquid posset obstat, maximè puncti  
entitativi indivisibilitas: hoc autem minimè obstat  
patet, nam Angelus modo ad majorem extensionem  
distrahi, modo ad minorem contrahi potest, cum ta-  
men sit entitativè indivisibilis, idque suis viribus præ-  
stare potest: quænam erit ergo implicancia in hoc quod  
punctum physicum à Deo accipere possit modo ma-  
jorem, modo minorem extensionem, idque indefinitè.

PROPOSITIO XXXVIII.

*Res creata non est extensa per suam entitatem.*

**R**atio est, quia res creata potest saltem divinitus  
habere modo majorem, modo minorem exten-  
sionem (36.): ergo res creata non est extensa per suam  
entitatem: aliter enim impossibile foret, ut manente  
eadem ejus entitate, non maneret eadem extensio. Con-  
fir-

LIBER III. CAPUT IV. 375  
firmatur, nam Angelus, eadem entitate retenta, potest  
modo majorem, modo minorem habere extensionem:  
non itaque entitas Angeli est sua extensio.

PROPOSITIO XXXIX.

*Res creata extensa est effectivè per actionem ipsam,  
per quam existit.*

**P**robatur 1. Nam existere rem, & extensam esse  
sunt inseparabilia (35.): ergo per id per quod res  
existit, est extensa: sed existit per actionem sui produ-  
ctivam: ergo per hanc eandem actionem est extensa, &  
frustra aliud excogitatur.

Probatur 2. Nam causa nequit aliquid producere,  
quin illud extensum producat; sicut nec potest illud  
producere, quin alicubi, & aliquando illud producat:  
ergo res per illud formaliter est extensa, per quod est  
formaliter producta: sed producta est per actionem  
sui productivam, & per illam determinatur ut existat:  
ergo & per eandem actionem est extensa, & determina-  
ta ad talem, aut talem extensionem. Quemadmodum,  
ut suo loco patebit, per eandem actionem est etiam ali-  
cubi, & aliquando: eandem enim actionem hujusmodi di-  
versa maniera gerere videbimus.

Dixi tamen in propositione, rem creatam extensam  
esse effectivè per actionem: formaliter enim extensa  
est per ipsam extensionem, quæ nihil est aliud, juxta  
def. 1. quam ratio illa, qua aliquid dicitur majorem, aut  
minorem locum occupare, quod cum de loco erit ser-  
mo apertis patebit. Quemadmodum itaque res exi-  
stet effectivè per actionem sui productivam; formaliter  
verò per existentiam: ita & extensa est effectivè per  
actionem, formaliter verò per extensionem.

## COROLLARIA.

**I.** **H**inc colligitur, extensionem istam solum logicè, seu formaliter per intellectum distingui ab actione: eadem enim actio, si præcisè concipiatur quatenus est id quo res producta à sua causa dependet, concipitur ut productio; quatenus verò concipitur ut ratio fundandi prædicata respectiva aequalis, inaequalis; majoris, minoris; alogi, proportionalis, &c. concipitur ut extensio. Ob eandem rationem solum formaliter, & logicè distinguitur eadem extensio ab ubicatione, & duratione: si enim concipiatur ut ratio fundandi prædicata respectiva distantis, & indistantis, est ubicatio; quemadmodum, & duratio est, quatenus fundat rationem presentis, & futuri.

Sed dices: sæpissimè mutari ubicationem rei, non mutata ejus extensione: ergo realiter, aut saltem modaliter distinguuntur. Respondeo, quoties mutatur ubicatio, mutari etiam actionem, & consequenter id quod extensio est illius rei; ceterum numquam dici mutari extensionem, nisi cum alia, vel inaequalis, vel dissimilis acquiritur: cum enim actio dei rei per ipsam producta, esse hanc rem, esse hic, esse nunc, esse tantam, &c. certè quolibet ex his mutato, mutatur actio; non tamen illa mutari dicuntur, si actio quæ priori succedit, eadem conferat, quæ prior, excepto illo, ratione cujus mutatur: sic quolibet instanti mutatur actio, diciturque mutari nunc rei, seu durationem; non verò ejus ubicatio, si in eodem loco perseveret; neque extensio, si nec major, aut minor, aut saltem priori dissimilis superveniat.

2. Hinc colligitur extensionem etiam effectivè sumptam, esse modum rei extensæ; est enim actio illius pro-

du-

ductiva, quæ modus est: & consequenter extensio à re extensa modaliter tantum distinguitur.

## PROPOSITIO XXXX.

Non repugnat aliquid indivisibile actu, quod sit impenetrabiliter extensum.

**R**atio est prima, quia nulla in hoc est assignabilis repugnantia: ut enim ex dictis prop. 34. constat, non repugnat extensio cum indivisibilitate actuali, & entitativa, ut patet in Angelo: sed extensionem esse five penetrabilem, five impenetrabilem, perinde se habet ad indivisibilitatem entitativam, & actualem: ergo non repugnat cum hac indivisibilitate extensio impenetrabiliter extensum. 2. Quia in sententia satis communi, potest Angelus ad libitum sese impenetrabilem efficere, ita ut corpus nullum in loco, in quo Angelus est, ingredi possit: ergo extensio impenetrabilis nullam repugnantiam dicit cum indivisibilitate entitativa, & actuali.

3. Quia res creata (38.) extensa est per actionem per quam existit; sed hujusmodi actio potest ita extendere rem illam in loco, ut in illum locum ingredi non sinat aliud corpus, quod simili actione extensum est: ergo res entitativè indivisibilis potest esse per prædictam actionem impenetrabiliter extensa. Antecedens patet; quid enim prohibet actionem Dei præstare in prædicta re actu indivisibili, quod Angelus potest in se pro suo libito præstare?

(\*\*\*)(\*\*\*)

(\*\*\*)

Pro-



## PROPOSITIO XXXXI.

*Hinc non repugnat punctum physicum corporeum.*

**P**Robatur, nam (39.) non repugnat res actu, & entitativè indivisibilis, quæ sit impenetrabiliter extensa: hoc autem esse punctum physicum corporeum patet, nam est actu indivisibile: ergo actu est punctum, juxta defin. 3. & 4. deinde est corporeum, quia cum sit undequaque extensum, ut suppono, est trinè dimensionum: idque non tantum idealiter, & præcisivè à materia sensibili, quale est corpus mathematicum: sed est trinè dimensionum impenetrabiliter, quæ sanè conditio quædam est physica, & sensibilis: ergo est punctum corporeum physicum. Ex hujusmodi autem punctis cuncta corpora componi, & consequenter ex ipsis continuum corporeum integrari, suo loco probabimus: nunc autem iisdem suppositis, reliqua quæ ad quantum corporeum pertinent explicabimus.

Sed dices, si punctum corporeum esset quid indivisibile actu, & impenetrabiliter extensum, certè Angelus esset punctum corporeum; potest enim, ut sæpius dixi, impenetrabiliter extendi, cum actu sit indivisibilis: ergo punctum physicum corporeum, non se habere potest, ut diximus. Sed respondeo, ut aliquid sit corporeum, & materiale omninò requiri, ita esse necessario, & suapte natura impenetrabile, ut non nisi per miraculum penetrari possit cum alio corpore: exigit enim rerum corporearum natura, mundique hujus structura mirabilis, ut corpora illum componentia se mutuò pellant, repellant, moveantur, &c. quod certè sine eorumdem impenetrabilitate fieri nequit; Angelus verò solum pro suo libito se impenetrabilem reddit, ideoque nullatenus potest appellari corporeus.

Co-

## COROLLARIA.

**H**inc colligitur 1. Non rectè à Cartesio, & ejus affecit corpus physicum essentialiter constitui per extensionem trinè dimensionam, quasi illud à corpore mathematico non distinguant; licet enim extensio trinè dimensiona omni corpori etiam physico competat, non tamen illi soli competit, ut enim vidimus, Angelo convenit, qui tamen corporeus non est.

Colligitur 2. Neque constitui rectè corpus per esse actu divisibile, ut enim suo loco patebit, innegabile videtur dari in natura corporea puncta physica, que corporea sunt, licet sint actu indivisibilia. Constituitur itaque corpus physicum per extensionem trinè dimensionam naturaliter impenetrabilem: ita ut si res sic extensa sit entitativè, & actu divisibilis, simpliciter, & absolutè dicatur corpus physicum; si verò sit actu, & entitativè indivisibilis, punctum physicum corporeum, corpusculum, aut atomus appelletur.

## PROPOSITIO XXXXII.

*Punctum physicum corporeum non potest naturaliter penetrari cum alio.*

**R**atio est, quia est extensum impenetrabiliter (40.) ergo nequit naturaliter cum alio puncto corporeo penetrari: Hoc autem habent hujusmodi puncta ex vi actionis eorum productivæ, quæ ita ea extendit, ut sint necessariò in diversis locis, quodlibet videlicet in suo. Aliqua contra hoc objici solent, quæ tunc solvantur cum de continui compositione erit sermo.



PRO-

## PROPOSITIO XXXXIII.

*Punctum physicum corporeum alteri additum, facit totum illud quantitativum majus.*

**R**atio colligitur ex dictis, quia cum quodlibet punctum sit impenetrabiliter extensum, certè duo puncta aequalia duplam habent extensionem: tria, triplam, &c. ita ut duo duplum locum, tria triplum occupent: ergo punctum physicum alteri additum facit totum quantitativum majus. Quod enim vulgò dicitur, punctum scilicet additum puncto non facere majus, de puncto mathematico, quod inextensum omninò est, intelligi debet.

## PROPOSITIO XXXXIV.

*Hinc explicari potest, in quo tandem quantitas corporea consistat.*

**A**spero itaque quantitatem corpoream consistere in illa extensione impenetrabili in ordine ad locum, quam corpora necessariò, & suapte natura habent, juxta ea quæ superius diximus. Ratio autem est, quia hoc solum posito, & alio quocumque sublato, intelligitur corpus esse quantum, seu quantitatem habere corporibus propriam; per impenetrabilitatem enim ab Angeli extensione discriminatur. Item ratione prædictæ extensionis, majoris, minoris, aut æqualis, dicitur corpus esse alteri æquale, aut illo majus, aut minus: duplum, triplum, &c. subduplum, subtriplum, &c. alogum etiam, vel proportionale, quæ omnia respectus sunt, & habitudines in quantitate, veluti ratione fundandi omninò posita: ergo quantitas corporea in prædicta extensione impenetrabili, corporibus necessariò convenienti, formaliter consistit.

Quo-

Quoniam verò, & puncta physica quantitativa appellantur, multoque potius corpora, quæ ut suo loco probabitur, ex ipsis coalescunt: ideò ratio quanti tum in prædictis punctis, tum in corporibus ex illis confluentibus explicanda est. 1. Punctum corporeum dicitur quantum, quia suapte natura est impenetrabiliter extensum, ejusque quantitas in hac extensione impenetrabili consistit, ob rationem supradictam. 2. Corpus ex præfatis punctis compositorum quantitas, in extensione ipsa impenetrabili punctorum illa componentium consistit: cum enim vi illius sint in diversis locis; quodlibet autem sit sua extensione præditum, certè sui ad invicem additione, majus illud extensum, seu majorem illius extensionem constituunt, quod quantum appellamus.

Hinc jam, ni fallor, vides totam essentiam quanti corporei in quolibet puncto physico reperiri, cum suapte natura sit impenetrabiliter extensum: fieri tamen communiter majus corporum quantum; non præcisè additione quantitatis, seu extensionis eidem entitati extensæ; sed potius additione extensi. Quod amplius exemplo aquæ expono: in qualibet enim aquæ guttula tota aquæ essentia reperitur: augetur verò aquæ tantitas, seu quantitas per additionem aliarum guttularum aquæ. Similiter itaque, cum puncta physica impenetrabiliter extensa, ita alia aliis adduntur, ut quodlibet sit in diverso loco, quantum majus necessariò efficiunt; idque continuum, si puncta illa invicem copulentur; si verò unita non sint, quantum discretum, seu numerus appellatur. Dixi *communiter* augeri quantum corporeum additione extensi, ut nunc ab illa quæstione præscindam, utrum nempe in rarefactione idem quantum entitativum majorem adipiscatur extensionem per ad-

mix-

mixtionem inanis, aut per intromissionem aliorum corpusculorum, de quo suo loco.

Hinc rejicienda venit vulgaris illa de quantitate sententia, asserens formalem, atque essentialem ejus rationem consistere, non quidem in extensione in ordine ad locum, sed in extensione partium in ordine ad se. Putant enim ejus Auctores posse partes unius corporis, ver. gr. Christi Domini in Eucharistia, simul omnes constitui penetrativè intra unam quantumvis minimam: imò in loco indivisibili, retenta nihilominus tota illa extensione quam partes illius corporis quanti ex vi quantitatis habent in ordine ad se, ita ut manus una sita sit ad dexteram, altera verò ad sinistram: pedes in imo sint positi; caput verò desuper emineat: collum autem pectus, & humeri capiti subint, &c. totamque hanc situum distinctionem in loco indivisibili existere dicant.

Id autem esse omninò inintelligibile, imò & impossibile, vel inde patet, quod in indivisibili repugnet esse suprà, & infrà: dextrum, & sinistrum; hæc enim omnia aliter nec dici, nec intelligi, neque esse possunt, nisi secundum diversas partes loci; neque enim magis repugnare videtur esse in spatio indivisibili trinam dimensionem in longum, latum, & profundum secundum rationem formalem dimensionis, quam esse in eodem indivisibili loco suprà, & infrà: dextrum, & sinistrum: Implicat igitur extensio, quæ non sit in ordine ad locum: ideoque in hac, & non in illa, quantitatis notio, & essentia consistit, dummodo extensio sit impenetrabilis, ut dictum est.

Sed adversus nostram assertionem objicies ex sacratissimo Eucharistia mysterio. Tota quantitas Christi Domini est in modica etiam sacratissimæ hostiæ parti-

ticula: sed non est ibi extensio impenetrabilis corporis Christi, cum omnes ejus partes in unius loco compenetratè contineantur: ergo quantitas non consistit in illa extensione impenetrabili. Huic obiectioni respondeo 1. concedens majorem, & distinguens minorem: non est in Eucharistia extensio impenetrabilis corporis Christi, tanta, quanta est illa quam habet circumscriptivè in Cælo, concedo: extensio minor, nego; & nego consequentiam. Itaque, ut dixi prop. 36. extensio puncti physici; & consequenter cujuslibet rei quantè potest esse minor, & minor indefinitè, saltem divinitus: extensio itaque, quam habent singula puncta physica dum component corpus Christi circumscriptivè existens, reduci potest in Eucharistia per actionem Dei illa ibi reproducentem, ad multo minorem extensionem; ita ut cuncta puncta, quæ in statu circumscriptivo corpus Domini juxta propriam sibi debitam mensuram componebant, illud sacramentaliter eodem modo, eodemque ordine, ac dispositione component; sub multò tamen minori extensione, ita inquam minori, ut totum Christi corpus sit impenetrabiliter extensum, & ut ajunt, pars extra partem, sub modicissima qualibet Hostiæ particula. Hinc vides, ita totum Christi Domini corpus sub modica particula contineri, ut illius partes sint in locis distinctis, ideoque non invicem compenetratè; sed quælibet in suo loco impenetrabiliter extensa: sic caput extra collum est, sed ei superiùs unitum: collum pectori eminet: brachia ad thoracis latera existunt, &c.

Clarissimum hujus rei habes in dioptrici exemplum; in experimento scilicet, quod in *tract. 18. Comp. Mathem. prop. 2.* exposui simul, ac demonstravi. Applicetur enim parvo foramini in tenebra factò lens convexa: ejusque ope intra clausum conclave ita transmittentur obic-

obiecti Solē illuminati species, ut in subiecta ad proportionatam distantiam alba papyro, obiectum illud, omnibus suis partibus, etiam minimis, absolute, describi miraberis, propriis insuper, iisque vividis coloribus expressum. In hac itaque obiecti imagine, quæ bis millicuplo, & amplius minor est illo obiecto, omnia etiam minima, quæ in eo sensibus observantur, suis locis distributa, ac distincta, non sine voluptate conspiciuntur.

Quemadmodum itaque obiecti prædicti ita ingentis, & extensi imago, sic brevissimis terminis clauditur, ac sub modica illa extensione depingitur, ut omnes ejus partes, etiam minima, magna cum distinctione sint expresse, absque ulla prorsus confusione, compenetratione, aut commixtione, sed potius cum debita cunjunctura ab alia, quoad debitum sibi locum distinctione: Ita similiter totum Christi Domini corpus in qualibet hostiæ particula verè, realiter, ac physicè contineri dico; idque absque ulla partium compenetratione, aut unius intra aliam, seu in loco illius, existentia; sed tantum quælibet ex illis ad minorem extensionem redacta; atque ad ita minorem, ut ex omnibus illis extra se invicem constitutis, totum Christi Domini corpus sub modica illa hostiæ particula contineatur: quæ quam facile sint intelligibilia, tu vide sis.

Dixi autem totum Christi Domini corpus *sub modica Hostiæ particula* præfato modo contineri; non verò dixi sub quolibet indivisibili, quia nihil nos ad id ita asserendum cogit: quod enim Concil. Trident. definit *sess. 13. can. 3.* est: *Sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri.* Continetur enim in minimo panis, seu in ejus minima particula, quæ minima licet sit, extensionem tamen ha-

bet

vetat extensionem sic acceptam, quantitatem etiam appellari: siquidem omnia illa quanta esse dicimus, per quæ respondere possumus ad interrogatum *quantum?* Indubium autem est præfatum quæstionem de omni extenso institui posse, eidemque directè satisfieri, cum tantam, aut tantam esse ejus extensionem reponimus. Quæ autem hic pertractanda occurrunt, ita humana torquent ingenia, ut ad veritatem assequendam diversas semitas pertentarent Philosophi, & ut verum fatear, ita arduas, ut nullam invenias, quæ innumeris difficultatum scopulis non exasperetur: aliquid itaque me facturum judico, si eam saltem elegerim, quæ minus difficilis videatur.

## DEFINITIONES.

**I.** *Extensio est id, quo aliquid extensum est, in ordine scilicet ad locum.* Illud autem ita extensum dicitur, quod potest alteri esse æquale, vel eo majus, aut minus.

**2.** *Divisibile actu est, quod in partes ex quibus actu constat dividi potest.* Ver. gr. *Quantitas bipalmaris est actu divisibilis in duos palmos, quia nempe ex duobus illis palmis constat, in quos dividi potest. Divisibile verò potentia est id, quod actu quidem est indivisibile; in virtute tamen, seu æquivalenter est divisibile.* Explicatur. Id quod potentia divisibile est, dicitur primo esse actu indivisibile, quia nempe entitas simplex est, nec ullas habet actu partes, in quas dividi possit: dicitur tamen potentia, seu virtute divisibile, quatenus æquivaleret divisibili, ut autem id facile percipias, cogita Angelum per exapadam extensionem, certè designare possumus dimidium illius extensionis, tripedalem videlicet ad quam Angelus potest reduci: Item pedalem, semipedalem, & sic indefinitè. Vides itaque Angelum en-

*Comp. Phil. Tom. I. Aa tita-*



tativè indivisibilem esse, quod nempè partibus careat, in quas dividi possit; dici tamen potentia divisibilem quoad extensionem, quatenus nempè ejusdem extensio, plurimas extensiones eà minores adæquat, aut saltem potest adæquare, ad eandemque reduci. An autem in rebus corporeis detur aliquid, quod sit hujusmodi, postea videbitur; nunc enim tantum explico quid sub his terminis sit intelligendum.

3. *Punctum physicum est, quod nullas habet partes entitativas, in quas dividi possit.*

4. *Punctum mathematicum est, quod nullas, adhuc ideales habet partes, in quas concipi possit divisibile.*

5. *Punctum terminans est extremum lineæ: copulans est extremum commune duarum partium. Linea extremum est superficies: superficies extremum corporis. Constat ex def. 3. & 6. lib. 1. Elem. Euclidis: & ex defn. 2. lib. 11. Potest similiter esse tum linea, tum superficies, non solum terminans, sed copulans.*

6. *Figura est extensio terminata, seu terminis comprehensa. Constat ex defn. 14. lib. 1. Elem. Euclidis.*

### PROPOSITIO XXXI.

*Nulla entitas physica, & realis est punctum mathematicum, neque ad illud reduci potest.*

**P**onatur enim realis, & physica entitas, quæ punctum sit mathematicum, aut ad illud reducta, sitque talis entitas A, ponantur & alia puncta mathematica duo B, & C, unum hinc, & aliud inde, medium autem inter illa locum entitas illa A possideat: erit ergo unum, exemp. gr. B, ad dexteram puncti A; aliud verò C ad lavam: ergo entitas illa A habet lavam, & dexteram: ergo habet partes saltem ideales, in quas concipi

cipi valeat divisibilis: ergo non esset punctum mathematicum, quod (def. 4.) nullas, neque ideales habet partes: cumque aliunde supponatur esse punctum mathematicum, certè hujusmodi erit, & non erit, quod est impossibile.

Confirmatur. Disponantur tria prædicta puncta mathematica, modò quo diximus in linea recta; modo verò ita ut veluti triangulum efformet; quo posito, quæ, quænam assignari possit inter utramque dispositionem differentia, certè non alia, nisi quod sibi tria illa puncta ex alia parte respondeant: ergo habent partes saltem ideales: & consequenter non sunt, nec esse possunt puncta mathematica: nulla ergo entitas physica, & realis esse potest punctum mathematicum, aut ad illud reduci: idque sive talis entitas sit ens corporeum, ut minimum materiæ, aut incorporeum, ut Angelus. Hinc continuum quantum, seu corporeum ex solis punctis mathematicis componi non posse, suo loco probabimus.

### PROPOSITIO XXXII.

*Multa sunt entitativè, & actu indivisibilia.*

**P**atet, nam multa sunt, quæ nullas habent partes entitativas, in quas actu dividi possint, qualia sunt Deus, Angelus, & anima rationalis, & fortè etiam puncta materiæ, ex quibus cuncta corpora componuntur, de quo suo loco: sed quod nullas habet partes entitativas, in quas dividi possit, est actu, & entitativè indivisibile: ergo multa sunt actu, & entitativè indivisibilia.



## PROPOSITIO XXXIII.

*Predicta entitativè, & actu indivisibilia, saltem in puncto physico esse debent.*

**P**robatur, nam prædicta indivisibilia alicubi sunt: omne enim quod est, alicubi est; quod enim nulli est non est: sed prædicta indivisibilia, quantumvis talia sint actu, & entitativè, non possunt esse in puncto mathematico (30.): ergo saltem in puncto physico, quod quidem (def. 3.) partibus caret entitativis.

## PROPOSITIO XXXIV.

*Punctum physicum, quamvis sit indivisibile actu; est tamen potentia divisibile.*

1. **Q**uod punctum physicum sit actu indivisibile patet, nam (def. 3.) nullas habet partes entitativas, in quas dividi possit: sed si actu divideretur, partes haberet illas, in quas foret actu divisum; easque non tantum imaginarias, sed reales, & physicas: ergo est actu indivisibile.

2. Quod verò sit potentia divisibile, probatur simul, & explicatur. Sint enim tria puncta A, B, C, ita ut punctum B sit medium inter A, & C: hoc posito, certum est aliter correspondere punctum B puncto A, posito ad dexteram, quam puncto C, posito ad sinistram: hæc autem diversitas in nullo alio stare posse videtur, nisi quod qua tangit, seu respicit punctum A, non tangit, seu respicit punctum C; & qua punctum istud, nec tangit, nec respicit punctum A: diversa sunt igitur in puncto hoc dextrum, & sinistrum; non autem entitativè, quia supponimus esse actu, & entitativè indivisibile: ergo solum in potentia.

Dum autem dico dextrum, & sinistrum in puncto phy-

## LIBER III. CAPUT IV.

373

physico esse potentia tantum diversa, non ita intelligas velim, ut partes, quæ actu realiter indistinctæ sunt, possint, facta aliqua separatione, esse realiter distinctæ, hoc enim semper omnino imperceptibile iudicavi, quæ enim semel idem realiter sunt, numquam realiter distingui posse demonstrabile videtur. Dico itaque punctum illud solum dici potentia divisibile in dextrum, & sinistrum, quatenus Deus in illius puncti loco, aut eidem æquali, duas alias res ponere valet ipso puncto subduplas, etiam entitativè indivisibiles: idemque dico de qualibet ex his, & sic indefinitè.

Quod autem in hoc nulla appareat implicantia, inde mihi persuadeo, quod licet res sit actu, & entitativè indivisibilis, potest Deus facere, ut modò alteri rei coëxtendatur, modò ad ejsdem dimidium reducat, ut patet in Angelo; & etiam in anima rationali, quæ parvo corpori infantuli coëxtensa est; cum verò adoleverit homo, ejsdem majori corpori coëxtenditur: nulla ergo est repugnantia, ut eadem res actu, & entitativè indivisibilis, aliis duobus, aut pluribus, Deo sic operante, respondeat; & è converso, ut duo, aut plures eidem faciat correspondere: idque, nihilque aliud intelligo dum dico: punctum physicum esse potentia divisibile, quamvis actu, & entitativè sit indivisibile.

## PROPOSITIO XXXV.

*Hinc omne punctum physicum est extensum.*

**P**robatur, nam (33.) omne punctum physicum est potentia divisibile; id est, potest Deus in illius loco, aut eidem æquali, & correspondenti ponere alia duo puncta subdupla, aut subtripla, &c. sed hoc concipi nequit absque extensione: ergo omne punctum physicum est extensum. Præcipuè cum non repugnet esse

374. TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
esse indivisibile, & extensum, ut patet in Angelo, & anima, quæ indivisibilia sunt, & extensa.

PROPOSITIO XXXVI.

*Hinc quidquid est, extensum est.*

**P**atet, nam quidquid est, saltem in puncto physico est; non enim esse potest in puncto mathematico, (30.) sed punctum physicum est extensum (34.): ergo quidquid est, extensum est. Quemadmodum itaque quidquid est alicubi esse necessum est, ut suo loco patebit, ita quidquid est, necessarium est extensum.

PROPOSITIO XXXVII.

*Punctum physicum saltem divinitus potest ad majorem extensionem adduci, & ad minorem reduci.*

**N**ihil enim obstat, ut id saltem divinitus fieri possit: si enim aliquid posset obstat, maxime puncti entitativi indivisibilitas: hoc autem minime obstat patet, nam Angelus modo ad majorem extensionem distrahi, modo ad minorem contrahi potest, cum tamen sit entitativè indivisibilis, idque suis viribus præstare potest: quænam erit ergo implicantia in hoc quod punctum physicum à Deo accipere possit modo majorem, modo minorem extensionem, idque indefinitè.

PROPOSITIO XXXVIII.

*Res creata non est extensa per suam entitatem.*

**R**atio est, quia res creata potest saltem divinitus habere modo majorem, modo minorem extensionem (36.): ergo res creata non est extensa per suam entitatem: aliter enim impossibile foret, ut manente eadem ejus entitate, non maneret eadem extensio. Con-

fir-

firmatur, nam Angelus, eadem entitate retenta, potest modo majorem, modo minorem habere extensionem: non itaque entitas Angeli est sua extensio.

PROPOSITIO XXXIX.

*Res creata extensa est effectivè per actionem ipsam, per quam existit.*

**P**robatur 1. Nam existere rem, & extensam esse sunt inseparabilia (35.): ergo per id per quod res existit, est extensa: sed existit per actionem sui productivam: ergo per hanc eandem actionem est extensa, & frustra aliud excogitatur.

Probatur 2. Nam causa nequit aliquid producere, quin illud extensum producat; sicut nec potest illud producere, quin alicubi, & aliquando illud producat: ergo res per illud formaliter est extensa, per quod est formaliter producta: sed producta est per actionem sui productivam, & per illam determinatur ut existat: ergo & per eandem actionem est extensa, & determinata ad talem, aut talem extensionem. Quemadmodum, ut suo loco patebit, per eandem actionem est etiam alicubi, & aliquando: eandem enim actionem hujusmodi diversa munera gerere videbimus.

Dixi tamen in propositione, rem creatam extensam esse effectivè per actionem: formaliter enim extensa est per ipsam extensionem, quæ nihil est aliud, juxta def. 1. quam ratio illa, qua aliquid dicitur majorem, aut minorem locum occupare, quod cum de loco erit sermo apertius patebit. Quemadmodum itaque res existit effectivè per actionem sui productivam; formaliter verò per existentiam: ita & extensa est effectivè per actionem; formaliter verò per extensionem.

Co-

## COROLLARIA.

**X.** **H**inc colligitur, extensionem istam solum logicè, seu formaliter per intellectum distinguì ab actione: eadem enim actio, si præcisè concipiatur quatenus est id quo res producta à sua causa dependet, concipitur ut productio; quatenus verò concipitur ut ratio fundandi prædicata respectiva equalis, inequalis; majoris, minoris; alogi, proportionalis, &c. concipitur ut extensio. Ob eandem rationem solum formaliter, & logicè distinguitur eadem extensio ab ubicatione, & duratione: si enim concipiatur ut ratio fundandi prædicata respectiva distantis, & indistantis, est ubicatio; quemadmodum, & duratio est, quatenus fundat rationem præsentis, & futuri.

Sed dices: sapissimè mutari ubicationem rei, non mutata ejus extensione: ergo realiter, aut saltem modaliter distinguuntur. Respondeo, quoties mutatur ubicatio, mutari etiam actionem, & consequenter id quod extensio est illius rei; ceterum numquam dici mutari extensionem, nisi cum alia, vel inequalis, vel dissimilis adquiritur: cum enim actio det rei per ipsam producta, esse hanc rem, esse hic, esse nunc, esse tantam, &c. certè quolibet ex his mutato, mutatur actio; non tamen illa mutari dicuntur, si actio quæ priori succedit, eadem conferat, quæ prior, excepto illo, ratione cujus mutatur: sic quolibet instanti mutatur actio, diciturque mutari nunc rei seu durationem; non verò ejus ubicatio, si in eodem loco perseveret; neque extensio, si nec major, aut minor, aut saltem priori dissimilis superveniat.

2. Hinc colligitur extensionem etiam effectivè sumptam, esse modum rei extensa; est enim actio illius pro-

ductiva, quæ modus est: & consequenter extensio à re extensa modaliter tantum distinguitur.

## PROPOSITIO XXXX.

Non repugnat aliquid indivisibile actu, quod sit impenetrabiliter extensum.

**R**atio est prima, quia nulla in hoc est assignabilis repugnantia: ut enim ex dictis prop. 34. constat, non repugnat extensio cum indivisibilitate actuali, & entitativa, ut patet in Angelo: sed extensionem esse five penetrabilem, five impenetrabilem, perinde se habet ad indivisibilitatem entitativam, & actualem: ergo non repugnat cum hac indivisibilitate extensio impenetrabilis: potest ergo aliquid indivisibile actu esse impenetrabiliter extensum. 2. Quia in sententia satis communi, potest Angelus ad libitum sese impenetrabilem efficere, ita ut corpus nullum in loco, in quo Angelus est, ingredi possit: ergo extensio impenetrabilis nullam repugnantiam dicit cum indivisibilitate entitativa, & actuali.

3. Quia res creata (38.) extensa est per actionem per quam existit; sed hujusmodi actio potest ita extendere rem illam in loco, ut in illum locum ingredi non sinat aliud corpus, quod simili actione extensum est: ergo res entitative indivisibilis potest esse per prædictam actionem impenetrabiliter extensa. Antecedens patet; quid enim prohibet actionem Dei præstare in prædicta re actu indivisibili, quod Angelus potest in se pro suo libito præstare?

(\*\*\*) (\*\*\*)

(\*\*\*)



## PROPOSITIO XXXXI.

*Hinc non repugnat punctum physicum corporeum.*

**P**robatur, nam (39.) non repugnat res actu, & entitative indivisibilis, quæ sit impenetrabiliter extensa: hoc autem esse punctum physicum corporeum patet, nam est actu indivisibile: ergo actu est punctum, juxta defin. 3. & 4. deinde est corporeum, quia cum sit undequaque extensum, ut suppono, est trine dimensum: idque non tantum idealiter, & præcisivè à materia sensibili, quale est corpus mathematicum: sed est trine dimensum impenetrabiliter, quæ sanè conditio quædam est physica, & sensibilis: ergo est punctum corporeum physicum. Ex hujusmodi autem punctis cuncta corpora componi, & consequenter ex ipsis continuum corporeum integrari, suo loco probabimus: nunc autem iisdem suppositis, reliqua quæ ad quantum corporeum pertinent explicabimus.

Sed dices, si punctum corporeum esset quid indivisibile actu, & impenetrabiliter extensum, certè Angelus esset punctum corporeum; potest enim, ut sæpius dixi, impenetrabiliter extendi, cum actu sit indivisibilis: ergo punctum physicum corporeum, non se habere potest, ut diximus. Sed respondeo, ut aliquid sit corporeum, & materiale omninò requiri, ita esse necessario, & suapte natura impenetrabile, ut non nisi per miraculum penetrari possit cum alio corpore: exigit enim rerum corporearum natura, mundique hujus structura mirabilis, ut corpora illum componentia se mutuo pellant, repellant, moveantur, &c. quod certè sine eorundem impenetrabilitate fieri nequit; Angelus verò solum pro suo libito se impenetrabilem reddit, ideoque nullatenus potest appellari corporeus.

Co-

## COROLLARIA.

**H**inc colligitur 1. Non rectè à Cartesio, & ejus affectis corpus physicum essentialiter constitui per extensionem trine dimensam, quasi illud à corpore mathematico non distinguant; licet enim extensio trine dimensa omni corpori etiam physico competat, non tamen illi soli competit, ut enim vidimus, Angelo convenit, qui tamen corporeus non est.

Colligitur 2. Neque constitui rectè corpus per esse actu indivisibile, ut enim suo loco patebit, innegabile videtur dari in natura corporea puncta physica, quæ corporea sunt, licet sint actu indivisibilia. Constituitur itaque corpus physicum per extensionem trine dimensam naturaliter impenetrabilem: ita ut si res sic extensa sit entitative, & actu indivisibilis, simpliciter, & absolutè dicatur corpus physicum; si verò sit actu, & entitative indivisibilis, punctum physicum corporeum, corpusculum, aut atomus appelletur.

## PROPOSITIO XXXXII.

*Punctum physicum corporeum non potest naturaliter penetrari cum alio.*

**R**atio est, quia est extensum impenetrabiliter (40.) ergo nequit naturaliter cum alio puncto corporeo penetrari: Hoc autem habent hujusmodi puncta ex vi actionis eorum productivæ, quæ ita ea extendit, ut sint necessariò in diversis locis, quodlibet videlicet in suo. Aliqua contra hoc objici solent, quæ tunc solvantur cum de continui compositione erit sermo.



PRO-

## PROPOSITIO XXXXIII.

*Punctum physicum corporeum alteri additum, facit totum illud quantitativum majus.*

**R**atio colligitur ex dictis, quia cum quodlibet punctum sit impenetrabiliter extensum, certè duo puncta æqualia duplam habent extensionem: tria, triplam, &c. ita ut duo duplum locum, tria triplum occupent: ergo punctum physicum alteri additum facit totum quantitativum majus. Quod enim vulgò dicitur, punctum scilicet additum puncto non facere majus, de puncto mathematico, quod inextensum omninò est, intelligi debet.

## PROPOSITIO XXXXIV.

*Hinc explicari potest, in quo tandem quantitas corporea consistat.*

**A**sfero itaque quantitatem corpoream consistere in illa extensione impenetrabili in ordine ad locum, quam corpora necessariò, & suapte natura habent, juxta ea quæ superius diximus. Ratio autem est, quia hoc solum posito, & alio quocumque sublato, intelligitur corpus esse quantum, seu quantitatem habere corporibus propriam; per impenetrabilitatem enim ab Angeli extensione discriminatur. Item ratione prædictæ extensionis, majoris, minoris, aut æqualis, dicitur corpus esse alteri æquale, aut illo majus, aut minus: duplum, triplum, &c. subduplum, subtriplum, &c. alogum etiam, vel proportionale, quæ omnia respectus sunt, & habitudines in quantitate, veluti ratione fundandi omninò posita: ergo quantitas corporea in prædicta extensione impenetrabili, corporibus necessariò convenienti, formaliter consistit.

Quoniam verò, & puncta physica quantitativa appellantur, multoque potius corpora, quæ ut suo loco probabitur, ex ipsis coalescunt: ideo ratio quanti tum in prædictis punctis, tum in corporibus ex illis confluentibus explicanda est. 1. Punctum corporeum dicitur quantum, quia suapte natura est impenetrabiliter extensum, ejusque quantitas in hac extensione impenetrabili consistit, ob rationem supradictam. 2. Corporum ex præfatis punctis compositorum quantitas, in extensione ipsa impenetrabili punctorum illa componendum consistit: cum enim vi illius sint in diversis locis; quodlibet autem sit sua extensione præditum, certè sui ad invicem additione, majus illud extensum, seu majorem illius extensionem constituunt, quod quantum appellamus.

Hinc jam, ni fallor, vides totam essentiam quanti corporei in quolibet puncto physico reperiri, cum suapte natura sit impenetrabiliter extensum: fieri tamen communiter majus corporeum quantum; non præcisè additione quantitatis, seu extensionis eidem entitati extensæ; sed potius additione extensi. Quod amplius exemplo aquæ expono: in qualibet enim aquæ guttula tota aquæ essentia reperitur: augetur verò aquæ tantitas, seu quantitas per additionem aliarum guttularum aquæ. Similiter itaque, cum puncta physica impenetrabiliter extensa, ita alia aliis adduntur, ut quodlibet sit in diverso loco, quantum majus necessariò efficiunt; idque continuum, si puncta illa invicem copulentur; si verò unita non sint, quantum discretum, seu numerus appellatur. Dixi *communiter* augeri quantum corporeum additione extensi, ut nunc ab illa quæstione præscindam, utrùm nempe in rarefactione idem quantum entitativum majorem adipiscatur extensionem per admix-

382 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
mixtionem inanis, aut per intromissionem aliorum corpufculorum, de quo suo loco.

Hinc rejicienda venit vulgaris illa de quantitate sententia, asserens formalem, atque essentialem ejus rationem consistere, non quidem in extensione in ordine ad locum, sed in extensione partium in ordine ad se. Putant enim ejus Auctores posse partes unius corporis, ver. gr. Christi Domini in Eucharistia, simul omnes constitui penetrativè intra unam quantumvis minimam: imò in loco indivisibili, retenta nihilominus tota illa extensione quam partes illius corporis quanti ex vi quantitatis habent in ordine ad se, ita ut manus una sita sit ad dexteram, altera verò ad sinistram: pedes in imo sint positi; caput verò desuper emineat: collum autem pectus, & humeri capiti subsint, &c. totamque hanc situum distinctionem in loco indivisibili existere dicant.

Id autem esse omninò inintelligibile, imò & impossibile, vel inde patet, quod in indivisibili repugnet esse suprà, & infrà: dextrum, & sinistrum; hæc enim omnia aliter nec dici, nec intelligi, neque esse possunt, nisi secundum diversas partes loci; neque enim magis repugnare videtur esse in spatio indivisibili trinam dimensionem in longum, latum, & profundum secundum rationem formalem dimensionis, quam esse in eodem indivisibili loco suprà, & infrà: dextrum, & sinistrum; Implicat igitur extensio, quæ non sit in ordine ad locum: ideoque in hac, & non in illa, quantitatis notio, & essentia consistit, dummodo extensio sit impenetrabilis, ut dictum est.

Sed adversus nostram assertionem objicies ex sacratissimo Eucharistie mysterio. Tota quantitas Christi Domini est in modica etiam sacratissimæ hostiæ parti-

ticula: sed non est ibi extensio impenetrabilis corporis Christi, cum omnes ejus partes in unius loco compenetratè contineantur: ergo quantitas non consistit in illa extensione impenetrabili. Huic obiectioni respondeo 1. concedens majorem, & distinguens minorem: non est in Eucharistia extensio impenetrabilis corporis Christi, tanta, quanta est illa quam habet circumscriptivè in Cælo, concedo: extensio minor, nego; & nego consequentiam. Itaque, ut dixi prop. 36. extensio puncti physici; & consequenter cujuslibet rei quantè potest esse minor, & minor indefinitè, saltim divinitus: extensio itaque, quam habent singula puncta physica dum componunt corpus Christi circumscriptivè existens, reduci potest in Eucharistia per actionem Dei illa ibi reproducentem, ad multo minorem extensionem; ita ut cuncta puncta, quæ in statu circumscriptivo corpus Domini juxta propriam sibi debitam mensuram componebant, illud sacramentaliter eodem modo, eodèmq; ordine, ac dispositione componant; sub multò tamen minori extensione, ita inquam minori, ut totum Christi corpus sit impenetrabiliter extensum, & ut ajunt, pars extra partem, sub modicissima qualibet Hostiæ particula. Hinc vides, ita totum Christi Domini corpus sub modica particula contineri, ut illius partes sint in locis distinctis, ideoque non invicem compenetratè; sed quælibet in suo loco impenetrabiliter extensa: sic caput extra collum est, sed ei superius unitum: collum pectori eminet; brachia ad thoracis latera existunt, &c.

Clarissimum hujus rei habes in dioptrici exemplum; in experimento scilicet, quod in *tract. 18. Comp. Mathematic. prop. 2.* exposui simul, ac demonstravi. Applicetur enim parvo foramini in fenestra factò lens convexa: ejusque ope intra clausum conclave ita transmittentur obie-

obiecti Sole illuminati species, ut in subiecta ad proportionatam distantiam alba papyro, obiectum illud, omnibus suis partibus, etiam minimis, absolutum, describi miraberis, propriis insuper, iisque vividis coloribus expressum. In hac itaque obiecti imagine, quæ bis millicuplo, & amplius minor est illo obiecto, omnia etiam minima, quæ in eo sensibus observantur, suis locis distributa, ac distincta, non sine voluptate conspiciuntur.

Quemadmodum itaque obiecti prædicti ita ingentis, & extensi imago, sic brevissimis terminis clauditur, ac sub modica illa extensione depingitur, ut omnes ejus partes, etiam minimæ, magna cum distinctione sint expressæ, absque ulla prorsus confusione, compenetratione, aut commixtione, sed potius cum debita cujuslibet ab alia, quoad debitum sibi locum distinctione: Ita similiter totum Christi Domini corpus in qualibet hostiæ particula verè, realiter, ac physicè contineri dico; idque absque ulla partium compenetratione, aut unius intra aliam, seu in loco illius, existentia; sed tantum quælibet ex illis ad minorem extensionem redacta; atque ad ita minorem, ut ex omnibus illis extra se invicem constitutis, totum Christi Domini corpus sub modica illa hostiæ particula contineatur: quæ quam facile sint intelligibilia, tu vide sis.

Dixi autem totum Christi Domini corpus *sub modica Hostiæ particula* præfato modo contineri; non verò dixi sub quolibet indivisibili, quia nihil nos ad id ita asserendum cogit: quod enim Concil. Trident. diffinit *sess. 13. can. 3.* est: *Sub singulis cujusque speciebus partibus separatione facta totum Christum contineri.* Continetur enim in minimo panis, seu in ejus minima particula, quæ minima licet sit, extensionem tamen ha-

bet

bet multorum millium punctorum physicorum capacem.

Si autem hæc minus arrideant, quòd à communi loquendi modo aliena videantur, aliter eidem obiectioni cum communiori sententia satisfacere conabor. Concessis itaque præmissis, distinguo consequens. Quantitas continua non consistit in illa extensione actualiter impenetrabili, concedo: non consistit in illa extensione, quæ suapte natura impenetrabilis sit, seu exigat esse actualiter impenetrabilem, nego. Itaque, ut constat ex prop. 40. Quantum corporeum ut tale essentialiter constituitur per extensionem trinè dimensam, quæ ita sit impenetrabilis, ut non nisi per miraculum possit cum alio corpore penetrari: partes autem, seu puncta physica corporis Christi Domini, in minima hostiæ particula compenetrantur: unde privatae sunt impenetrabilitate actuali; non verò existentiali, seu radicali, quæ cum ipsis est realiter idemphicata: quæ ab aliquibus quantitas *intrinsicæ* appellatur.

Hinc patet juxta hunc dicendi modum, nullam corpus Christi Domini habere in hoc Sacramento actualem, & formalem organizationem, quæ re vera partes extra partes supponit; sed tantum radicalem, quatenus, ut connaturali modo existat, exigit habere caput in superiori loco; pedes in inferiori, &c. In primo autem discurrendi modo actualem, & formalem organizationem in singulis minimis particulis hostiæ conservat. Quid verò tanto mysterio dignius, ac congruentius dicatur, judicent doctiores.

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)



## PROPOSITIO XXXV.

*Hinc quantitas non est accidens entitativum, sed modale.*

**I**Nfertur ex dictis, nam (43.) quantitas est ipsa extensio impenetrabilis entis corporei, quod quantum appellatur: hæc autem extensio impenetrabilis, sive effectivè, sive formaliter sumatur, est modus, ut constat ex prop. 38. ergo quantitas non est accidens entitativum, sed modale entis corporei.

Sed contra hoc objicitur ex sacratissimo Eucharistiæ mysterio. Nam si quantitas esset modus substantiæ corporeæ, non posset absente substantia remanere quantitas: sed absente substantia panis, remanet in Eucharistia quantitas panis: ergo quantitas non est modus substantiæ panis, sed accidens entitativum ab ea realiter absolute distinctum. Sed respondeo negans minorem, nam destructa substantia panis in Eucharistia, seu facta mirabili illa conversione prædictæ substantiæ in substantiam corporis Christi, non amplius remanet quantitas panis, sed solum quantitas accidentium ibi remanentium, quæ, cum sint entitativa, & corporea, sunt ibi impenetrabiliter extensa; in eodem videlicet loco, in quo erat ante consecrationem extensa substantia panis. Sed hoc apertius in Physica explicabitur, cum de accidentibus in particulari erit sermo.

## PROPOSITIO XXXVI.

*Explicari possunt juxta nostram hypothesein species quantitatis continuæ corporeæ.*

**T**Res communiter adsignantur species quantitatis continuæ, videlicet linea, superficies, & corpus, quæ aliter quidem à Mathematicis; aliter verò à Physicis

ficis accipi debent. Mathematici enim, dum quantitatem ab omni materia, & affectione sensibili abstractam considerant, asserunt lineam esse unicam tantum dimensionem secundum longitudinem, absque ulla profus latitudine: Superficiem esse duplicem dimensionem, secundum longitudinem scilicet, & latitudinem, absque ulla profunditate: Corpus verò esse quod trinam habet dimensionem, longitudinem videlicet, latitudinem, & profunditatem. Si verò quantitas non sub hac abstractione spectetur; sed quatenus in se, & de facto in natura corporea, ac materiali existit, prout nempe à Physicis accipi oportet, aliter præfatæ species quantitatis corporeæ sunt exponendæ.

Quemadmodum itaque punctum physicum corporeum est quid actu indivisibile, extensum tamen impenetrabiliter, ita linea, quæ series est hujusmodi punctorum secundum longum tantum disposita, erit quidem entitativè unica secundum longitudinem dimensio, hæcque actu secundum longum divisibilis, cum ex partibus, seu punctis prædictis realiter entitativè distinctis, sit secundum longitudinem composita; nullatenus verò habet aliam dimensionem entitativam, seu entitativè divisibilem, cum secundum latum sit entitativè indivisibilis; est tamen, tum secundum latum, tum secundum profundum divisibilis potentiâ, quatenus nempe quodlibet ex eam componentibus punctis est undequaque impenetrabiliter extensum; & in hoc linea corporea à linea mathematica distinguitur. Similiter superficies, quæ ex hujusmodi lineis secundum latitudinem sibi conjunctis componitur, est actu divisibilis secundum longum, & latum; ideoque duplici constat dimensione; nullam verò habet entitativam profunditatem, cum ut sic sit actu, & entitativè indivisibilis; licet hanc tertiam

dimensionem habere dicatur in potentia, quatenus nempe lineæ illæ physica superficiem componentes, sunt etiam secundum profunditatem impenetrabiliter extensa, ac potentia divisibiles. Corpus verò, seu solidum physicum, est quod undequaque est impenetrabiliter extensum; ideoque trinam habet dimensionem. Omnia hæc ex dictis patent.

## PROPOSITIO XXXXVII.

*Punctum physicum corporeum est figuratum.*

**P**ROBATUR, quia est extensum, & terminatum: ergo (def. 6.) est figuratum. Hinc punctum physicum corporeum quamlibet figuram habere potest, ideoque potest esse sphericum, cubicum, oblongum, &c. Imò potest dari punctum, quod semper eandem figuram retineat: tum & punctum quod figuram mutet, & facile possit conformari: quod enim hoc possibile sit in nostra de punctorum extensione hypothesi per actionem eorundem productivam, indubium videtur. An autem de facto huiusmodi sint in natura rerum puncta, in Physicis resolvitur.

## PROPOSITIO XXXXVIII.

*Quantitatis proprietates expenduntur.*

**T**RES communiter assignantur Quantitatis proprietates. Prima est non habere contrarium: una siquidem quantitas non est alteri contraria. Secunda proprietas est non suscipere magis, & minus: potest quidem unum quantum dici majus, aut minus alio; sed non magis, aut minus quantum. Sic numerus quaternarius non est magis numerus quam quaternarius; est tamen quaternarius, quaternario major. Tertia proprietas est esse fundamentum veræ, atque propriæ æqualitatis,

&amp;

& inæqualitatis; omniumque proportionum. Aliam addo quantitatis proprietatem, nempe esse mensurabilem: consistit autem mensurabilitas in hoc, quod per applicationem unius quantitatis optimè notæ, possit cognosci altera nondum nota: sic cum ulna applicatur panno, hujus quantitas innotescit, diciturque esse decem, vel viginti ulnarum, &c.

## CAPUT V.

## De Qualitate.

## DEFINITIO.

**Q**UALITAS est id quo aliquid dicitur quale: sive id quo respondetur in concreto accidentali ad interrogatum *Quale*.

Hæc definitio est Aristotelis in prædicamentis tract. 2. cap. 4. ubi ait: *Qualitatem verò dico, secundum quam quales quidam esse dicuntur.* Hanc definitionem aliqui non modò rejiciunt; verum & contemptu non modico explodunt; sed immeritò, cum ipsa prorsus legitima sit, & perspicua; ceteræ verò non parum obscuritatis præferant: explicat enim clarissime, quid nomine qualitatis intelligatur, quod & Geometris solemne est in suis definitionibus. Cum enim qualitatem dico, intelligo tantum abstractum illius concreti per quod respondetur ad interrogatum *Quale*. Quid autem sit huiusmodi interrogatum, ita est per se notum, ut alia definitione non egeat, nisi fortè ut res, quæ alioquin est clara, ipsa definitione reddatur obscurior: nullus enim est, quantumvis rusticus, cui si interroges, qualis hic homo sit, respondeat hodie venisse, aut esse do-

mi-

mi, vel esse hexapedalis altitudinis, &c. Sed potius dicitur esse bonum, aut malum; doctum, vel indoctum; prudentem, aut stultum; divitem, aut pauperem; album, aut nigrum; sanum, aut infirmum, &c. *Quemadmodum*, & si de illo quæritur quantus sit, id est, quam altus, quam crassus, nemo respondebit esse album, esse pauperem, aut imprudentem, &c.

Hæc igitur interrogata ita per se patent, & ex ipso usu sunt nota, ut nulla explicatione, nullave definitione indigeant: tenenda igitur est prædicta definitio, præcipue cum cæteræ, quæ ab iis, qui illam rejiciunt, consueverunt, ita sint obscuræ, ut qualitatis notionem potius confundant, quam explicant: quod ut pateat eas simpliciter, & absque impugnatione ulla proponam, cum ipsa quam præfererunt obscuritate, rejiciendas esse, sit factis manifestum.

Aliqui igitur sic qualitatem definiunt, dicentes esse *modum substantiæ*: alii esse *accidens absolutum consequens formam*: alii esse *accidens complens substantiam, tum ad agendum, tum ad existendum*: alii esse *accidens absolutum non quantum*: alii esse *accidens entitativum absolutum, determinans subiectum ad modum formæ substantialis*: alii esse *accidens quod secundum rationem superiorem prædicamenti, tantum sequitur actualitatem perfectam*: alii esse *quandam entis veritatem secundariam, & accidentalem*: alii tandem esse *accidens penetrabile, & insensibile*. Alias omitto, quæ nihil minoris obscuritatis habent, nec minoribus sunt difficultatibus obnoxia.

## PROPOSITIO XXXIX.

*Quod entitativè, & in se substantia est, potest esse qualitas respectu alterius substantiæ.*

Ex

**E**X prædicta qualitatis explicatione ab Aristotele tradita, apertè colligitur illa omnia rationem qualitatis habere, quibus aliquid dicitur *Quale*. Qualitatem verò esse extra essentiam rei, quæ qualis denominatur, eique accidere, patet ex Logica: illa igitur omnia rationem qualitatis habebunt, quæ de subiecto prædicantur in quale accidentario, seu extra essentiam subiecti.

Quo supposito, assero; id quod in se, & entitativè est substantia, posse respectu alterius substantiæ esse qualitatem. Probatur, quia potest prædicari de illa substantia in quale accidentario: ergo respectu illius potest esse qualitas. Antecedens probatur, quia in primis, quantumvis substantia sit, non implicat prædicari de alia in quale; differentia enim essentialis, exemp. gr. rationale, prædicatur de homine in quale essentialiter, cum videlicet dicimus: *Homo est rationalis*; rationale autem esse substantiam, est certum; alioquin potissima hominis pars essentialis, non esset substantia: non ergo implicat substantiam prædicari in quale. Deinde neque implicat prædicari accidentario, cum respectu alterius substantiæ possit esse accidens, saltem logicum, ut dixi proposit. 24. ergo quod entitativè substantia est, potest de alia substantia prædicari in quale accidentario: ergo respectu illius potest esse qualitas.

## PROPOSITIO L.

*Fere omnia, quæ communiter qualitates appellantur, sunt in se, & entitativè substantia.*

**H**Ujus assertionis veritas multò amplius patebit in Physica, cum singularim de rerum corporearum qualitativè erit sermo: nunc autem eam ostendam adductis tantum aliquibus exemplis; ex quibus quid de

ca-

cæteris dicendum sit colligi poterit.

1. Quoties de statua quæritur qualis sit: responderi solet esse deauratam, deargentatam: esse pictam, & similia: ergo de statua per modum adjacentis, per modum qualitatis, sive in quale accidentario, prædicatur aurum, argentum, pigmenta, &c. sed hæc omnia proculdubio sunt in se, & entitativè substantia: ergo qualitates prædictæ, quibus videlicet statua talis, aut qualis dicitur esse, sunt in se substantia.

2. Aërem esse nebulosum, qualitas est aëris: quærenti enim qualis sit aër, rectè respondetur esse nebulosum: fed nebula sunt substantia: ergo hujusmodi aëris qualitas est substantia.

3. Sanitas est qualitas animalis: sanitas autem nihil aliud est præter *habere humores debite temperatos*; seu *habere debitam humorum temperiem*: hæc autem humorum temperies physice nihil aliud est, quam ipsi humores cum hac vel illa proportione, hac vel illa rantiitate invicem temperati: humores autem substantias esse quis dubitet?

4. Proprietates, quæ vulgò dicuntur ab essentiis, quarum sunt, fluere, oriri, emanare, resultare, produci; de eisdem etiam dicuntur prædicari in quale accidentario; non quidem contingenter, sed necessario, ut diximus in Logica lib. 1. prop. 24. hujusmodi itaque proprietates, quantumvis in quale prædicentur, & catenus re, & nomine sint qualitates respectu essentia, nihilominus tamen sunt plerumque in se ipsis veræ substantia: quod sequenti exemplo ex physicis desumpto, breviter ostendo. Risibilitas est proprietas hominis; esse enim risibile prædicatur in quale de homine, estque extra ejus essentiam: risibilitatem tamen, seu principium ridendi nihil entitativum in suo conceptu includere, quod

quod substantia non sit, sic cum P. Emmanuele Maignan, ni fallor, demonstro.

1. Ex eo quod homo sit rationalis, consequens est ut sit admirativus; admirari enim est actus quidam rationalitatis, judicium scilicet de magnitudine, aut novitate rei, quæ intellectui subito, atque insperatè occurrens, tenet illum veluti suspensum, ob ignoratam illius eventus causam. 2. Ex eo quod homo sit animal, consequens est ut sit corporea, atque sensibilis lætitiæ capax, in quantum scilicet sanguine constat spirituoso, sicut & cætera animalia, quæ hujusmodi sanguine vitam sistent. Hic verò sanguis, speciatim in homine, repentinè admirationis motu excitatus, ex arteriis, ac potissimum ex splene (juxta commune dictum, *Splen ridere facit*) in cor subito affluxu, magna que copia derivatur, quo fit ut cordis sinus dilatentur, quorum subsequenti contractione, sanguis ille iterum repentinè motu erumpens, pulmonem invadat, subito diltendat, indeque aërem repente excludat, cujus impetu fibræ illæ, quæ certam habent, atque proportionatam tensionem, pulsantur, quarum motu, ita muscoli diaphragmatis, pectoris, asperæ arteriæ, atque laringis moventur, ut certus quidam oris, ac vultus sequatur motus, quo grata fiat hujus immutatio, simulque acuta, & elata vox cum cachinno edatur, quæ vox cum prædicta vultus immutatione, prout à dictis causis proveniens, *risus* appellatur: ita ut ridere nihil aliud sit, quam à prædictis causis vultum grato illo modo conformare, vocemque præfato illo modo emittere: *Risibilis* autem dicitur, qui causas illas in se intrinsecè habet: ipsa autem *risibilitas* dicitur ab essentia hominis oriri, quatenus ex eo quod homo admirativus est, ac spirituoso illo sanguine præditus præcipue in splene, atque secundum partes organi-



Hinc jam, ni fallor, vides totum quod in risibilitate, seu ridendi potentia entitativum includitur, substantiam esse. 1. Admirativum esse, idem est, ac esse rationale, cum admiratio, ut dixi, sit actus rationalitatis; rationale autem substantiam esse nemo dubitat. 2. Sanguis spirituosus arteriarum, cordis, splenis, &c. substantia est: item splen, cor, pulmones, muscoli, nervosæ fibræ, aliæque partes organica, substantiæ sunt: quidquid ergo in risibilitate, seu principio risus entitativum reperitur, substantia est. Dixi *entitativum*, nam motus sanguinis, partium organicarum situs, & alia hujusmodi, harum substantiarum sunt modi, ab eis modaliter, ut ajunt, distincti, quæ simul cum substantiis prædictis principium ridendi constituere, satis colligitur ex dictis.

Prædicta exempla explicuisse sufficit, ut vel hinc pateat, qualiter alia multa, quæ qualitates physicæ censentur, substantias esse in se, & entitative; quæ eatenus dicuntur, & sunt qualitates, quantenus de alia substantia accidentario, & in quale prædicantur. Dixi autem in propositione *ferè omnia*, quæ qualitates appellantur esse in se entitative substantias, quia aliqua fortè sunt in natura corporea, quæ in quale accidentario de aliquibus entibus prædicantur, & consequenter sunt eorum qualitates, quæ ex illo sunt genere accidentium entitativorum, quæ ut diximus prop. 24. solum per miraculum sine subiecto omni existere valent, quæ minus propriè substantias appellari loco citato diximus.

## PROPOSITIO LI.

*Dividitur qualitas in Metaphysicam, Physicam, Moralem, & Mathematicam.*

**Q**ualitas *Metaphysica* est, quæ tantum formaliter distinguitur à re, cujus est qualitas: talis est potentia intelligendi, quæ ab anima solum formaliter, seu per rationem distinguitur: idemque dico de potentia volendi.

*Qualitas Physica* est, quæ à re, cujus est qualitas plusquam formaliter, seu per rationem distinguitur. Dividitur qualitas physica in entitativam, & modalem. *Entitativa* est, quæ realiter entitative distinguitur à re, cujus est qualitas, ut color, qui à pariete realiter distinguitur. *Qualitas Modalis* est, quæ modus est subiecti, cujus est qualitas, seu illius quædam determinatio: tales sunt humiditas, siccitas, subtilitas, perspicuitas, &c. Ne autem mireris aliquas qualitates à me dici esse modales, id enim aperte docet S. Thomas 1. 2. *quest. 49. art. 2.* his verbis: *Propriè qualitas importat modum quemdam substantiæ: modus autem, teste Augustino, est quem mensura præfigit: idè importat quandam determinationem, secundum aliquam mensuram, & idè sicut id secundum quod determinatur potentia materiæ secundum esse substantiale, dicitur qualitas, quæ est differentia substantiæ; ita secundum quod determinatur potentia subiecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas accidentalis.*

*Qualitas Moralis* est, quæ resultat ex recta hominum existimatione: sic honestas, bonitas, malitia, reëtitudo, irreëtitudo sunt qualitates morales respectu actionum humanarum: similiter sunt qualitates morales jus, dominium, meritum, reatus, &c.

*Qualitas Mathematica* est, quæ convenit quantitati abstracte, sive continuæ, sive discretæ: sic in figuris esse rectilineam, curvilineam, quadrangularem, polygonam, &c. esse proportionalem, alogam, similem, &c.

sunt qualitates quantitatis continuæ. In numeris autem esse parem, impari: primum, perfectum, quadratum, cubum, &c. sunt eorumdem qualitates.

## PROPOSITIO LII.

*Qualitates distribuuntur in quatuor classes.*

**A**ristoteles distribuit qualitates in quatuor classes, in quarum qualibet gemina continentur qualitatum species. In prima classe sunt *Habitus*, & *Dispositio*. In secunda, *Potentia*, & *Impotentia*. In tertia, *Passio*, & *Patibilis qualitas*. In quarta verò, *Forma*, & *Figura*.

Primam qualitatum classem componunt *Habitus*, & *Dispositio*: & ille quidem diuturnior est; hæc autem non diu permanens. Quidquid itaque facultati naturali advenit, quo nempe subiectum disponitur, vel ad aliquid operandum, agendum, cognoscendum, aut resistendum, &c. si diu manet, nec sine difficultate amoveri potest à subiecto dicitur *Habitus*: sic scientia, ars, virtus, vitium, ac firma valetudo, quod facultati naturali adveniant, ut eam aut juvent, aut male afficiant, si diu permaneant, dicuntur *Habitus*. Si verò facile delectantur, parumque durent, *Dispositio* dicuntur; qualis est morbus, qui citò curatur, valetudo, quæ facile frangitur; scientia quæ citò obliviscitur, & alia huiusmodi.

Secundam classem ingrediuntur *Potentia*, & *Impotentia*. *Potentia* hic sumitur pro virtute agendi, eaque vegeta, seu robusta, qualis est, quæ in homine sano reperitur ad currendum. *Impotentia* verò accipitur pro carentia prædictæ virtutis; aut etiam pro languida, & infirma potentia, qualis est, quæ in claudo reperitur ad ambulandum.

Tertiam classem faciunt *Patibilis qualitas*, & *Passio*. Utraque sumitur pro qualitatibus sensibilibus quibuslibet, ita sensum afficientibus, ut is ex ejus sensatione aliquid patiat. Est tamen inter patibilem qualitatem, & passionem hoc discrimen, quod patibilis qualitas diu durat; passio verò brevi evanescat: sic rubor in facie ex peculiari temperamento proveniens *Patibilis qualitas* dicitur, quod diu, seu toto vitæ tempore duret; rubor verò ille, qui ex verecundia provenit, quod citò transeat, *Passio* appellatur.

Quartam classem efficiunt *Forma*, & *Figura*. Nominè *Figure* intelligitur quantitas intra quosdam definitos terminos clausa; per *Formam* verò, eadem quantitas, non nudè circumscripta, sed insuper cum certa symmetria, & proportionè terminorum, qua sensui grata, aut ingrata appareat. De *Figura* itaque dicitur quod sit rectilinea, curvilinea, circularis, elliptica, parallelepipedæ, &c. De *Forma* verò dicitur quod sit pulchra, deformis, horrenda, &c. Circa has qualitatum species aliqua solent disputari, quæ, quia de nomine sunt, nulliusque momenti, lubens omitto.

## PROPOSITIO LIII.

*Proprietates qualitatis explicantur.*

**P**rima qualitatis proprietas est habere contrarium: sic calor contrariatur frigori. Hæc autem proprietas non omni qualitati convenit, cum intellectus, voluntas, figura, imò & colores, excepto albo, & nigro, contrarium non habeant, ut bene observat Philosophus. Secunda est suscipere magis, & minus, seu intendi, atque remitti; sed nec huiusmodi proprietas omni qualitati convenit, cum facultas naturalis, seu potentia, ut intellectus, &c. non intendatur, nec remittatur;

quem-

398 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT'  
quemadmodum nec figura, neque enim una est magis quadrata, quàm alia. Quomodo autem id aliis qualitatibus conveniat, explicabitur in Physica. Tertia est fundare rationem similitudinis, vel dissimilitudinis: illa enim similia dicuntur, quæ iisdem qualitatibus polent; dissimilia verò, quæ diversis. Quarta est diffundi, seu propagari per medium, ut calor per aërem; sed hæc proprietas paucissimis qualitatibus convenit. Quinta est reflecti, quæ tantum lumini, & sono convenit. Cætera, cum de singulis qualitatibus erit sermo, explicabuntur.

## CAPUT VI.

### De Relatione.

TRACTATUS iste de Relatione innumeris pro-  
pæmodum tricis ab Scholasticis implicatur, quæ cum ad nihil deserviant, nisi fortè, ut rem alioquin facilem, ac perspicuam, obscuram, ac difficilem reddant, illis rejectis, ea solum, quæ scitu digna videbuntur, sequentibus propositionibus aperiam: præmissa tamen terminorum explicatione.

#### DEFINITIONES.

1. **R**elatio est respectus unius ad aliud: sive id quo unum respicit aliud; id est, ratio illa formalis sub qua aliquid concipitur, non absolute prout est in se, sed per comparisonem ad aliud. Sic Alexander considerari potest absolute, & in se, quatenus videlicet homo est: & per comparisonem ad Philippum, qui eum genuit, diciturque ejusdem filius; hæc itaque

ratio filii, seu filiatio, est relatio, qua Alexander ad patrem suum Philippum refertur. Appellatur etiam *Relatio, Respectus, Ordo, Habitudo, Connotatio, Comparatio*. Dicitur autem *Relatio*, quod unum referat ad aliud: *Respectus*, quia per illam unum quasi aliud respicit: *Ordo*, quia ad aliud ordinatur: *Habitudo*, qua nempe aliquid ad aliud quodammodo se habet: *Connotatio*, qua nempe unum aliud connotat, aut simul notat: & denique *Comparatio*, qua videlicet unum comparatur ad aliud, quæ omnia idem significant.

2. Quoniam verò relatio est unius ad aliud, certè in ipsa duo reperiri necesse est, unum videlicet, & aliud; id est, quod refertur, & illud ad quod refertur. Quod refertur, dicitur *Fundamentum quod*, seu *remotum relationis*, quod & ab aliquibus appellatur *Subiectum*, & exprimitur in recto: Id autem ad quod refertur, *terminus dicitur relationis*, & exprimitur in obliquo. Ultraque autem dicuntur *relationis extrema*.

3. *Fundamentum quo*, seu *proximum relationis*, quod & *ratio fundandi* appellatur, est illud ratione cuius unum refertur ad aliud.

Sed hæc omnia ut à tyronibus facile percipiantur, exemplis illustremus. Philippus est Alexandri pater: Paternitas, seu ratio formalis Patris, est relatio, qua Philippus refertur ad Alexandrum: Subiectum, seu fundamentum *quod* hujus relationis est Philippus: Alexander est terminus: generatio est ratio fundandi ejusdem relationis, seu fundamentum *quo*: Philippus autem, & Alexander sunt ejus termini. Similiter sit paries albus A, similis parieti albo B: similitudo hæc est relatio, qua paries A, refertur ad parietem B: paries A est fundamentum *quod*, quia est id quod refertur, cum nempe dicimus parietem A, esse similem parieti B; paries

ries verò B est terminus, quia est id ad quod paries A refertur : albedo est ratio fundandi, seu fundamentum quo, quia ratioe illius paries A similis est parieti B: utrique autem parietes sunt hujus relationis termini. Sed hæc ulterius in sequentibus exponentur.

Notandum verò est 1. Relationem, ut communiter asseritur, dupliciter considerari, vel secundum conceptum *in*, vel secundum conceptum *ad*; id est, relatio est in uno ad aliud; cum enim sit respectus unius ad aliud, certè hujusmodi respectus alicujus est: ergo in aliquo est: en conceptum *in*: deinde est ad aliud, scilicet ad terminum: vide conceptum *ad*.

Notandum est 2. Dupliciter iterum posse sumi relationem, activè, videlicet, & passivè: cum enim *relatio* nomen sit verbale à referendo deductum, certè sumi potest activè, à verbo activo *referre*: tum & passivè à verbo passivo *referri*. Relatio activè sumpta est actus intellectus unum ad alterum ordinantis, & referentis, illudque relatum, & ordinatum denominantis: passivè verò est fundamentum, quatenus à prædicto actu intellectus accipit denominationem ordinati, & relati ad aliud: in hac autem relatione passivè sumpta duo vides necessariò includi, illud nempe omne quod ex parte obiecti fundamentum, seu motivum præbet intellectui, ut unum referat ad aliud, quod & relationem fundamentalem appello: & insuper ipsa denominatio relati eidem à prædicto actu referente proveniens, quam simul cum illo fundamento relationem formalem constituere postea dicam. Sed hæc omnia ex sequenti propositione perspicua fient.



## PROPOSITIO LIV.

*Quanam ad relationem tum componendam, tum efficiendam concurrant, explicantur.*

**A** Criter Metaphysici disputare solent circa essentialiter constitutum relationis, & in diversas scinduntur sententias. Aliqui enim asserunt, relationem realiter esse realiter entitative distinctam à fundamento, & termino, ita vetustiores Thomista Capreolus, Cajet. Ferrar. Alii dicunt, modaliter tantum à fundamento, & termino distingui, ita Sotus, Javelus, & alii, hancque communius defendunt Thomista. Tertia sententia defendit relationem à fundamento, & termino tantum distingui distinctione rationis, habente tamen fundamentum in rebus, sic Nominales, & alii.

Quid autem in hac re dicendum sit, ex nullo alio capite aptius colligi posse videtur, quam ex solerti speculatione eorum quæ ad relationem quoquo modo concurrunt: attentius itaque illius constructionem intueamur.

Intellectus itaque multoties è duobus, quæ cognoscit, unum comparat, seu confert cum alio, qua quidem comparatione, unum ordinat, atque refert ad aliud: & in hac cognitione comparante, ac referente sitam esse relationem activam, diximus supra. Posita jam hac cognitione intentionaliter conferente, ac referente unum ad aliud, necessariò fit ut prædictum obiectum, hoc ipso referatur ad illud aliud, denomineturque relatum ad illud: & in hoc sitam esse dixi relationem passivam.

Præterea: cum intellectus, nisi fingat, numquam referat unum ad aliud, quin ex parte ipsorum, motivum aliquod, sive aliquid causæ reperiat, cur istud referat, &



cur ad illud aliud referat; id est, quin intueatur in uno extremo rationem referendi; & in altero extremo rationem terminandi: hinc, inquam, fit in relatione necessario reperiri rationem referendi, quam fundamentum *quo*, seu proximum supra appellavimus, seu rationem fundandi, quæ quidem ratio in subiecto relati existens, efficit illud esse fundamentum proximum dem relationis, cum sine illa ratione, solum esset fundamentum remotum: idem respectivè dicendum est de ratione terminandi, quæ ex parte termini relationis reperitur. Sed rem, ut clariùs percipiatur, exemplis illustremus.

*Exemplum 1.* Respiciat intellectus duos homines, exemp. gr. Philippum, & Alexandrum, quorum primus secundum genuit: attendit itaque intellectus specialiter Philippum, quatenus ex se dedit esse Alexandro, sicque Philippum cum Alexandro confert: atque eatenus eundem intentionaliter fert, seu ut voce frequentiori utar, refert ad Alexandrum: & quia rebus varia nomina imponit pro varietate conceptuum, quos de ipsis efformat, idcirco Philippo, quatenus per conceptum illum referentem expresso, nomen tribuit appellativum, vocatque *Patrem* Alexandri. Similiter dum Alexandrum considerat, quatenus à Philippo producitur, eundem ad Philippum intentionaliter fert, seu refert, illique, ut ita ducto, seu relato, filii nomen adaptat, appellatque Philippi filium.

Hinc patet 1. Fundamentum *quo*, seu proximum relationis, quæ paternitas appellatur, esse generationem activam; fundamentum autem ejusdem *quod*, seu remotum, esse Philippum, qui nempe Alexandrum genuit: similiter fundamentum *quo*, seu proximum relationis, quæ est filiatio, esse generationem passivam; &

fun-

fundamentum ejusdem *quod*, seu remotum esse Alexandrum, qui nempe genitus est: terminum autem præfatæ paternitatis, esse filium; & filiationis, esse patrem.

Patet 2. Relationem fundamentalem tum paternitatis, tum filiationis includere generationem, in patre quidem activam; in filio verò passivam, propter quas Philippus, & Alexander, extrema sunt relationum prædictarum, & intentionaliter referibiles, id est, cognoscibiles per conceptum intellectus, eos prædicto modo referentem. Relationem autem formalem paternitatis, & filiationis, addere supra prædicta, denominationem, qua actu Philippus, & Alexander dominantur relati intentionaliter ad invicem, per actum intellectus eos prædicto modo referentem, quem quidem actum idcirco diximus esse relationem activam.

*Exemplum 2.* Videns intellectus duos parietes A, & B pariter albos, invicem illos confert, atque scorsim jam hunc ad illum, jam è converso refert, illisque hujusmodi conceptu referente expressis, relativum nomen attribuit, dicitque: *Pariet A similis est parieti B.* Item: *Pariet B similis est parieti A.* Unde relatio hæc *similitudo* vocatur, idque utrinque, quemadmodum & illa, quam superius explicuimus, hinc *Paternitas*; illinc verò appellatur *Filiatio*.

Vides jam 1. In hujusmodi parietibus A, & B pariter albis, albedinem in unoquoque existentem esse fundamentum *quo*, seu proximum relationis prædictæ, quæ *similitudo* dicitur. Utrumque autem parietem esse fundamentum *quod*, seu remotum ejusdem relationis, sive hinc inde similitudinis, atque etiam terminum ordine converso.

Vides 2. Relationem fundamentalem similitudinis

Cc 2

in-

includere albedinem in utroque pariete pariter existentem, propter quam bini illi parietes extrema sunt relationis, seu ad invicem intentionaliter referibiles: Formalis autem relatio similitudinis est denominatio illa, qua paries A ad B, & B ad A, propter existentem in eis pariter albedinem ab intellectu sub conceptu referente considerantur, seu hac speciali relatione similitudinis referuntur, & asseruntur esse similes.

## PROPOSITIO LV.

*Relatio fundamentaliter sumpta, tantum consistit in fundamento, & termino, & ratione fundandi.*

**H**Æc propositio ex his quæ nuper dicta sunt satis apertè colligitur. Ratio autem illius est, quia sic sumpta relatio, solum id essentialiter includit, quod intellectui præbet fundamentum, ut per actum comparantem referat unum ad aliud, fundamentum scilicet ad terminum: sed hoc solum est subiectum, seu fundamentum, terminus, & ratio fundandi: ergo relatio fundamentaliter sumpta, hæc tantum essentialiter includit. Minor patet, nam posita actione generativa, qua Philippus, exemp. gr. genuit Alexandrum, & qua hic ab illo genitus fuit, habet intellectus quidquid requiritur, ut Philippum patrem dicat Alexandri, & hunc illius filium: ergo relatio paternitatis, tum & filiationis fundamentaliter sumptæ, nihil aliud includunt, præter fundamentum, terminum, & rationem fundandi. Positis similiter duobus parietibus pariter albis, habet intellectus quidquid requirit, ut eos similes asserat: ergo relatio similitudinis fundamentaliter accepta, in binis illis parietibus pari albedine affectis, præcisè consistit. Idem dicam de aliis relationibus. Neque ab hoc aliquem dif-

fen-

ferentur existimo: major autem est difficultas circa relationem formaliter acceptam, quam sequentibus propositionibus expono.

## PROPOSITIO LVI.

*Relatio formaliter sumpta non est aliquis modus superadditus fundamento, termino, rationique fundandi.*

**A**sserunt communiter Thomistæ, relationem formaliter sumptam esse modum quemdam superadditum fundamento, termino, ac rationi fundandi, ab ipsisque modaliter distinctum: dicunt enim similitudinem, exemp. gr. duorum parietum pariter alborum, esse aliquid reale extra intellectum utrique parieti inherens, ab utroque pariete, & ab utriusque albedine distinctum, distinctione, si non majoris, saltim minoris realitatis, ratione cujus parietes prædicti sunt formaliter similes, atque relati relatione similitudinis. Contra hanc sententiam stare videtur S. August. lib. 5. de Civitate Dei, cap. 16. S. Thomas quæst. 7. de pot. art. 8. & opusc. 48. tract. 5. de Prædicamento ad aliquid, cap. 2. & 3. & opusc. 58. tract. 5.

Hanc sententiam impugnare communiter conantur adversarii hac ratione. Quia si prædictus modus distinctus realiter est à parietibus pariter albis, certè poterit à Deo destrui, aut saltim per nostrum concipiendi modum ab illis abstrahi, ipsis parietibus cum pari albedine remanentibus: sed positis parietibus cum pari albedine, necesse est esse similes, & consequenter habere inter sese relationem similitudinis: ergo secluso illo modo superaddito, persistit relatio: ergo hæc in illo non consistit. Sed huic rationi respondent Thomistæ cum Joanne à S. Thoma, & aliis, secluso illo modo, parietes illos esse

esse similes fundamentaliter, non verò formaliter: & consequenter præcisso illo modo superaddito, ad invicem referri relatione fundamentali similitudinis; non verò formali. Verùm quid cogit alium admittere respectum, ordinem, aut similitudinem, præter hanc, quæ ab ipsis appellatur fundamentalis? Stat ergo hæc similitudo integra, ac perfecta absque ullo modo superaddito.

Alia insuper ratione, & meo videri efficacius, rejicitur prædicta sententia, nam si detur talis modus superadditus, in quo nempe consistat relatio formalis, certè in principiis Adversariorum, erit productus: sed non est productus, quippè, ut probat Aristoteles 5. *Physic. cap. 2.* ad relationem non datur per se motus, hoc est, non datur specialis actio ipsius productiva: ergo relatio formalis nequit esse prædictus modus superadditus.

Dices cum plerisque, modum illum, non quidem produci, sed resultare, & pullulare: præclaræ sanè voces, quid tamen in præsentis casu significant non est facile assignare, si, ut supponitur, non significant idem, ac produci. Alii dicunt prædictum modum, seu entitativam verè produci. Sed contra, si enim producitur: ergo ab aliqua causa; sed nulla causa est assignabilis prædicti modi productiva: ergo non producitur. Respondent aliqui modum illum, seu formalem relationem similitudinis inter duos parietes albos exemp. gr. produci ab eo qui dealbat parietem; sed qualiter possit ille qui hunc parietem Valentis dealbat producere modum prædictum similitudinis in pariete albo apud Indos existente, non video. Inexplicabilis igitur est tum productio, tum causa prædicti modi productiva: ergo prædictus modus superadditus admittendus non est, præ-

sertim cum nulla efficaci ratione ejus existentia convincatur.

## PROPOSITIO LVII.

*Relatio formaliter sumpta, non est realis aliqua tendentia, seu aliquis ordo realis ad terminum, ab intellectu independens.*

Quamplures sunt qui defendunt, relationem formaliter sumptam constitui per ordinem aliquem realem, seu realem tendentiam, quam independenter ab omni intellectu cognitione habere dicunt fundamentum ad terminum, licet ab ipsis fundamento, & termino realiter indistinctam. Oppositum defendunt alii, præsertim Nominales, quos sequitur P. Emmanuel Maignan *Phil. entis, cap. 10. num. 9.* & alii.

Et quidem si res attentius inspicatur, quæstio videtur esse de solo nomine: certum est enim Philippum, exemp. gr. genuisse Alexandrum, atque in hoc nihil aliud reale, & entitativum juxta utriusque sententiæ Doctores reperiri, præter entitatem Philippi, entitatem Alexandri, & actionem generativam, qua nempe Philippus Alexandrum genuit. Dicunt autem primæ sententiæ Auctores, hoc esse Philippum referri realiter ad Alexandrum: Dicunt alii nullatenus inde habere referri, sed ab actu intellectus comparante, & referente Philippum ad Alexandrum, cum videlicet dicit: *Philippus est Alexandri Pater*: ideoque ante hunc intellectus actum, nullam realiter reperiri propriè dictam relationem formaliter talem; sed solum fundamentalem, quatenus nempe Philippum generare Alexandrum præbet intellectui fundamentum, ut comparans Philippum cum Alexandro, illum hujus Patrem appellet.

Satius mihi loqui videtur cum secundæ sententiæ Auctoribus, ideoque assero, ante operationem intellectus nul-

nullum esse proprie loquendo realem ordinem, nullamque physicam tendentiam fundamenti ad terminum, qua nempe ad illud feratur, referatur, aut tendat. Ratio autem est primò, quia intelligibile est qualiter ratione filiationis, filius realiter, ac physicè feratur, aut tendat ad patrem: si enim filius, ut filius est, emanat à patre, quatenus nempe ab eo generatur, qualiter ut filius est, tendit ad patrem, sunt enim termini oppositi *emanare ab*, & *tendere ad*, si nempe physicè sumantur respectu ejusdem: omnino enim impossibile esse videtur ut id ratione cujus aliquid physicè ab aliquo dimanat, ratione ejusdem tendat ad illud, à quo dimanat.

2. Quia imperceptibile est qualiter unum album tendat ad aliud album: qualiter item album tendat ad nigrum; ad illud quidem ob similitudinem, ad hoc ob dissimilitudinem, & idem dicam de aliis quibuscumque, quæ referri dicuntur, certè nemo dicit hujusmodi tendentiam esse aliquem motum, sive inclinationem physicam unius albi ad aliud album, ejusdem albi ad nigrum, filii ad patrem, æqualis ad æqualem, &c. talem, inquam, motum, & inclinationem, qualem chalybs habet ad magnetem, & lapis ad centrum, nemo certè id dicit: non est itaque talis tendentia realis, sive inclinatio fundamenti ad terminum in relatione, ante omnem intellectus considerationem. Si verò dicas talem tendentiam non esse talem motum physicum, aut inclinationem; sed solum ita ad instar illius explicari, certè parum philosophicè loqueris, cum hoc non physicam realitatem, sed metaphoram sapiat.

Dicent forsitan aliqui, patrem ut patrem, non posse concipi sine filio, quod quidem arguere videtur realem ordinem, atque tendentiam patris ad filium: cur enim

pater, ut pater, concipi nequit sine filio, nisi ob hujusmodi tendentiam, aut respectum? Sed quam leve sit hoc fundamentum patebit, si attentius inspiciamus veram rationem, ob quam concipi nequit pater, ut talis, absque eo quod eadem cognitione involvatur filius. Pater itaque, ut pater, idem est, idemque sonat, ac *habens filium*, quod enim phrasi dicitur habens filium, hac simplici voce *Pater* elegantius exprimitur. Quid ergo mirum si pater non possit sub ratione patris intelligi, quin ea intellectu involvatur filius, cum evidenter sit impossibile, ut intelligatur habens filium, quin hac ipsa intellectu involvatur filius: non ergo potest ex hoc capite tendentia ulla, aut respectus realis deduci, quod in fundamento reperitur actualiter, seu plusquam fundamentaliter, ante omnem intellectus considerationem.

## PROPOSITIO LVIII.

*Relatio formaliter sumpta, supra fundamentum, & terminum rationemque fundandi, addit denominationem extrinsecam, ab actu intellectus referente, desumptam.*

EX dictis facile colligitur, relationem formaliter acceptam, addere necessario supra fundamentum, terminum, & rationem fundandi, denominationem extrinsecam desumptam ab actu intellectus, qui fundamentum comparat, fert, seu refert ad suum terminum, modo dicto prop. 53. Ratio autem est, quia relatio sic sumpta dicit fundamentum passivè relatum ad terminum: sed fundamentum non est passivè relatum per aliquem ordinem sibi idempficatum, (56.) neque per modum superadditum (55.): ergo solum est passivè relatum per actum intellectus illum activè referentem ad terminum: ergo relatio formaliter sumpta, solum addit



addit supra fundamentum, & terminum, rationemque fundandi extrinsecam denominationem, à prædicto actu provenientem. Licet autem hoc satis apertè ex dictis colligatur, juvat tamen sequenti exemplo meam circa relationem sententiam apertius explicare.

Numerus, ut communiter definitur, est *Unitatum collectio*: ideoque numerus duo necessarìò dicitur, *plura* videlicet, & *unum*: plura quatenus ex pluribus unitatibus integratur: & unum quatenus omnes illæ unum numerum esse dicuntur, unum inquam, unitate collectionis, seu numerationis, quæ proculdubio nihil aliud est quam extrinseca denominatio unitatibus ipsis ab actu intellectus illas numerante, & colligente proveniens. Hinc dupliciter numerus considerari potest, *fundamentaliter* nempe, & *formaliter*: fundamentaliter sunt unitates illæ, quæ numerantur, suntque ejusdem numeri veluti materia; formaliter verò sumptus addit unitatem illam intentionalem, quæ veluti forma numeri est, provenitque ipsis unitatibus ab actu intellectus illas numerante. Ita innuit satis apertè S. Thomas 1. part. quæst. 30. art. 1. ad 4. tum & Arist. dum dicit, *numerum esse in anima*. Quo supposito ad nostrum intentum redeamus.

Quemadmodum itaque numerus fundamentaliter sumptus constituitur ex unitatibus à parte rei, & ante considerationem intellectus existentibus; formaliter verò acceptus solum addit unitatem intentionalem ab actu intellectus numerante, & colligente desumptam: ita similiter dico relationem fundamentaliter sumptam constitui per fundamentum, terminum, rationemque fundandi; formaliter verò sumptam solum addere prædictis rationem ducti, lati, seu relati, qua fundamentum ductum, latum, seu relatum dicitur ad terminum,

quæ latio, seu ratio intentionalis est, & desumpta ab actu intellectus comparante, ducente, ferente, seu referente fundamentum ad terminum modo supra explicato.

## COROLLARIUM.

**H**inc fit, à parte rei, & independenter ab intellectu nullam aliam esse relationem, quam fundamentalem; formalis enim intentionalis est, ac dependens ab intellectu comparante unum cum alio, ac referente unum ad aliud.

Sed contra nostram sententiam objicitur 1. Etiamfi nullus cogitet intellectus, una quantitas bipalmaris æqualis est alteri quantitati bipalmari: unus paries albus similis est alteri parieti pariter albo: ergo realiter, & ante considerationem intellectus, quantitates illæ, & parietes illi se mutuò respiciunt, ac referuntur: ergo ante considerationem intellectus dantur relationes reales. Resp. distinguens antecedens, ante intellectus considerationem quantitates illæ sunt æquales: & parietes illi sunt similes fundamentaliter, concedo; formaliter, nego: similiter distinguo consequens, quantitates illæ, & parietes illi mutuò referuntur fundamentaliter, concedo; formaliter, nego. Dico itaque, duas quantitates bipalmares esse ante intellectus operationem æquales fundamentaliter, quatenus nempe una est bipalmaris, & alia item bipalmaris, quo intellectui fundamento sunt, ut dum illas comparat, æquales asserat; non verò esse formaliter æquales, seu invicem relatas relatione æqualitatis, nisi quatenus una comparatur cum alia per supradictum actum intellectus; non enim reperitur extra intellectum comparatio ulla; per hunc igitur actum comparantem refertur una quantitas ad aliam, estque & dicitur formaliter relata relatione æquali-

latis. Idem dico de parietibus pariter albis. Quod confirmari potest exemplo numeri binarii, nam ante considerationem intellectus non aliter reperitur, nisi fundamentaliter, quatenus nempe est una unitas, & alia unitas; per actum verò intellectus eas numerante, & colligente, conficiunt formaliter numerum binarium, ipsis existentibus quasi præfati numeri materia; illo verò actu intellectus quasi forma: similiter itaque una quantitas bipolaris, & alia item bipolaris, sunt quasi materia relationis æqualitatis; actus verò intellectus illas invicem comparans, ac referens, quasi forma dictæ relationis.

Objicies 2. Relatio formalis patris ad filium est realis, & independens ab intellectu: ergo idem dicendum est de reliquis relationibus; cum nulla sit in aliis peculiaris ratio, quæ ad aliter discurrendum nos cogat. Antecedens probatur, nam si relatio formalis patris ad filium non esset realis, & ante intellectus operationem, pater non esset pater, nec filius esset filius realiter, sed solum id eis per intellectus operationem conveniret; sed hoc est falsum: ergo relatio formalis patris ad filium realis est, & ab intellectu independens. Respondeo negans primum antecedens; & ad ejus probationem nego sequelam. Et ut tibi pateat quam illegitima sit prædicta consequentia, attendas quæso, quid omnes oppositæ sententiæ fautores dicant: asserunt enim Philippum, ver. gr. non ideò esse Alexandri patrem, quia ad Alexandrum refertur; sed potius ideò referri, imò esse referibilem, quia est pater; ideò autem esse ejus patrem, quia illum genuit. Unde clarissimè infertur, perinde se habere ad hoc, ut Philippus sit pater Alexandri, quod relatio patris sit realis, & ab intellectu independens; sive ab eo dependens, cum prius sit esse patrem, id est, rea-

liter genuisse, quam referri. Est itaque Philippus verè, & realiter Alexandri pater ante operationem intellectus; referri verò formaliter ad illum habet ab actu intellectus comparante, & referente, ut super ius dixi.

Instabis, vox *Patris* est relativa: ergo nequit vocari pater qui non refertur: sed, ut dixi, Philippus ante operationem intellectus vocatur Alexandri pater: ergo ante operationem intellectus refertur ad illum. Respondeo concedens antecedens, & primum consequens, nego autem subsumptum, nempe Philippum ante operationem intellectus, seu independentem ab illo vocari patrem Alexandri, licet sit verè ejus pater; nam ut dixi prop. 53. nomen patris impositum est Philippo ad significandum eum secundum id, secundum quod objicitur conceptui referenti illum ad Alexandrum, nempe quatenus illum genuit, ideoque significat conceptum illum referentem, illumque supponit. Est itaque hæc vox *Pater* relativa, tum quia ex vi suæ impositionis significat directè, & materialiter Philippum, quatenus genuit Alexandrum, seu fundamentaliter refertur ad illum; tum quia indirectè significat, & exprimit conceptum illum comparantem, ac referentem, ratione cuius est formaliter ad filium relatus. Vides hic patrem ante intellectus operationem esse patrem, quia genuit filium; deinde intellectum comparare, & referre illum ad filium, eique, prout sit cognito, & intentionaliter relato, nomen relativum patris imponere; quod, ni fallor, est satis perspicuum.

Objicies 3. Aliqua sunt entia, quorum conceptus essentialis obiectivus, & quidditativus est necessariò relativus, qualis est creatura, cuius conceptus essentialis, & quidditativus est referri ad Deum, ac dependere ab illo: cognitio item, cuius conceptus est referri ad obiectum

ctum à se cognitum, quod representat : ergo ejusmodi res per suam essentiam formaliter referuntur : ergo saltem in his relationes istæ non sunt intentionales, sed reales, & ab intellectus cognitione independentes.

Respondeo distinguens antecedens, conceptus essentialis, & obiectivus prædictarum rerum est necessariò relativus fundamentaliter, concedo : formaliter nego, & nego consequentiam. Verum quidem est, prædicta entia, & alia similia, non posse concipi quidditivè, nisi relativè concipiatur : sed hoc non inde provenit, quòd secluso conceptu intentionaliter referente, sit ex parte ipsorum aliquis realis, & actualis ordo, sed solum ex eo, quod fundamentum proximum, quod intellectus habet, ut ea entia referat, sit talibus entibus essentialis : sic cõceptus creaturæ est essentialiter respectivus, quia cum creatura sit essentialiter creatura, & à Deo dependens, conceptus creaturæ idem est, ac conceptus dependentis à Deo; ideoque nullatenus potest concipi creatura, quin concipiatur ejus à Deo dependentia, quod est fundamentum proximum relationis : & consequenter nequit concipi creatura ut talis, nisi conceptu illam ad Deum referente : verum quidem est ipsum esse à Deo, esse quid reale, sed hoc non est formaliter referri ad Deum, sed tantum fundamentaliter.

Sed dices, quæ igitur crit differentia inter ea, quibus proximum relationis fundamentum est essentialè, & aliæ quibus accidentale. Respondeo omnia in eo convenire, quod referantur formaliter, & actu per cognitionem comparantem : solum autem differre in eo, quod prima nequeunt ab intellectu quidditivè cognosci, quin illa referat, eo quòd proximum fundamentum sit ipsis essentialè : secunda verò è contra, potest enim intellectus cognoscere quidditatem Philippi, quin illum refe-

rat ad ejus filium Alexandrum, quia eum esse Alexandri patrem, seu illum genuisse, est extra ejus quidditatem : potest ergo hanc cognoscere, non cognito fundamento proximo illius relationis, & consequenter quin referat.

Objicies 4. In Deo dantur relationes reales constituentes, & distinguentes divinas personas : ergo conceptus relationis ut sic, prout nempe præscinditur à creatis, & increatis, aliquid rei est, & non tantum denominatio extrinseca proveniens à cognitione comparante, & referente. Huic argumento respondere possum primò, concedens absolute antecedens, & negans consequentiam : possum enim asserere relationes divinas esse absolute reales, nec inde inferri conceptum relationis ut sic ad creatas, & increatas esse quid reale : possum enim asserere conceptum relationis ut sic non esse univocum ad relationes divinas, & creatas ; sed tantummodo analogum : ideoque relationes divinas esse absolute reales ; creatas verò non, nisi per denominationem extrinsecam ab intellectu comparante, & referente.

Si autem velis urgere à paritate, relationes divinarum sunt reales : ergo etiam creatæ, concedam tibi absolute antecedens, & negabo consequentiam, & disparitatem adsignabo cum P. Maignan loco citato *num. 26.* asserens relationem quidem esse tendentiam fundamenti ad terminum ; tendentia autem illa, qua fundamentum ad terminum semper tendat, ita tamen ut ad illum nunquam pertingat, imò nec pertingere possit, vana profusus est, & inutilis, & consequenter non est admittenda ; bene verò illa, quæ terminum attingere, atque in illo veluti quiescere potest. In divinis itaque taliter Pater Æternus refertur ad Filium, ut re vera sit in Filio ; & re-

ciproce ita Filius est ad Patrem, ut sit etiam realiter in Patre; ut enim canit Ecclesia: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater*: & ita de Spiritu Sancto: divina namque personæ sicut ad invicem referuntur, ita consequenter sunt in se invicem per veram, & realem circuminfessionem, ut loquuntur Theologi. Cæterum cum in rebus creatis impossibilis sit realis illa circuminfessio, non minus, ac in eis impossibilis est realis idem-pitas cum duobus, aut tribus: consequenter otiosa, & vana in eis est realis aliqua tendentia, seu relatio; & consequenter minimè admittenda.

Respondere possum 2. Eidem argumento, id quæ magis consequenter ad ea quæ superius dixi, relationes divinas esse reales, quo ad omnia illa, quæ fundamentaliter includunt; si verò formaliter accipiantur, esse tales intentionaliter solum, & per extrinsecam denominationem ab actu intellectus. Ad cuius rei intelligentiam advertendum est omnes Theologos in eo convenire, ut relationes divinæ reales sint secundum conceptum *in*; non verò ita convenire in eo quod reales sint formaliter secundum conceptum *ad*: nam præterquamquod id expressè asserant Cajetanus, & Canariensis, ut videre est apud P. Vazquez 1. part. disp. 114. num. 2. & 3. alii clarissimi Theologi ut Scotus, Durandus, Capreolus, & alii apud eundem Vazquez 1. part. disp. 122. num. 1. idem asserere tenentur; dicunt enim relationem in Deo formaliter nullam esse perfectionem; quibus favere videtur S. August. dum in illa verba Psalmi 68. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*, ait: *Quidquid est Pater, quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus Sanctus. Cum autem Pater est; non illud est, quod est: Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur: ad se autem Deus dicitur.* Præfati, inquam, Theologi asse-

asserere tenentur, relationes divinas formaliter, seu secundum conceptum *ad* non esse reales; alias enim esset aliquid reale, quod non esset perfectio, neque imperfectio, quod implicat. Possem itaque cum his Theologis asserere relationes divinas esse quidem reales secundum conceptum *in*; secundum verò conceptum *ad* esse tales per rationem.

Dico tamen reales esse tum secundum conceptum *in*; tum secundum conceptum *ad*, cum addito tamen *fundamentaliter sumptæ*. Relationes enim divinæ, sicut & creatæ, fundamentaliter sumptæ, tum & rationem *in* includunt, tum & rationem *ad*. Pater enim realiter generat Filium: & Pater, & Filius realiter, ut unus Spiritus, spirant Spiritum Sanctum: & hoc quidem sunt relationes divinæ fundamentaliter acceptæ, quarum ratione tres divinæ Personæ sunt inter se realiter distinctæ; cumque hujusmodi perfectiones relative, & sint in Deo; & insuper fundamentaliter sint intellectui, ut Patrem ad Filium formaliter referat, & hunc ad Patrem: tum Patrem, & Filium ad Spiritum Sanctum, & hunc ad Patrem, & Filium: certè relationes divinæ fundamentaliter sumptæ utramque rationem *in*, & *ad* includunt: cumque fundamentaliter sumptæ sint relationes reales, sequitur non solum secundum rationem *in*, verum etiam secundum rationem *ad* esse reales. Alias obiectiones minoris momenti prætermitto.

## PROPOSITIO LIX.

*Relationis species enumerantur.*

**R.** D Ividitur relatio in *realem*, & *rationalis*. *Realis* est illa, cuius ratio fundandi est à parte rei, ut relatio Patris ad Filium. *Rationalis* est illa, cuius ratio fundandi non est in re, sed veluti fingitur ab intellectu, *Comp. Phil. Tom. I, Dd talis*



418 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
talis est relatio generis ad species, quæ in modo apprehendendi tantum consistit.

2. Dividitur in relationem *secundum esse*, & *secundum dici*. Sed hæc divisio ferè coincidit cum prima: relatio enim *secundum esse* eadem est, ac realis; relatio autem *secundum dici*, est cum rem in se absolutam, per ordinem ad aliam explicamus, ideò quod aliter explicare facile non possumus; ut cum explicamus manus, aut caput; quæ non nisi per ordinem ad corpus, cuius sunt, exponere possumus.

3. Dividitur in *mutuam*, & *non mutuam*. Prima est, cuius extrema ad invicem respiciuntur; ut relatio inter Patrem, & Filium. Non mutua est illa, cuius unum extremum respicit alium; & non è contra: sic juxta communem sententiam cognitio refertur ad suum obiectum, & non è converso.

4. Dividitur in relationem *categoricam*, seu *prædicamentalem*, & *transcendentalem*. Prima est, cuius ratio fundandi non est essentialis subiecto: sic paries albus A, ad parietem B similiter album prædicamentallyter refertur, quia albedo, quæ ratio fundandi est hujus relationis, non est illi parieti essentialis. Relatio *transcendentalis* est, cuius ratio fundandi est essentialis subiecto, sic actus intellectus referri dicitur transcendentaliter ad suum obiectum, quòd representatio, quæ est ratio fundandi, est illi essentialis. Aliæ relationis divisiones videri possunt in Logica, ubi eas explicui; simulque relationis proprietates, quæ communiter adsignantur. Questiones verò aliquas, quæ circa relationem institui solent, quoniam vel inutiles sunt, aut tantum de voce, lubens omitto.

SCHOLIUM.

**R**eliqua sex prædicamenta sunt *Actio, Passio, Ubi, Quando, Situm esse*, & *Habere*, quæ quidem in Logica exposuimus pro loci opportunitate; cætera verò que circa ipsa desiderari possunt, commodius deinceps pertractabuntur: & quidem de actione, & passione sequenti libro agere decrevimus; de quando verò, seu duratione, tum & de ubi, & situ in Physica: de prædicamento verò quod dicitur habere, nihil in præsens occurrit quòd alicujus sit momenti, præter ea quæ in Logica diximus, ideoque ad alia transeamus.

CAPUT VII.

De Postprædicamentis.

**P**OSTPRÆDICAMENTA dicuntur communes quædam affectiones, quæ prædicamenta consequuntur. Quinque communiter cum Aristotele enumerantur, videlicet *Oppositio, Prioritas, Simultas, Motus, & Modi habendi*, quorum explicationem duabus propositionibus breviter comprehendo.

PROPOSITIO LX.

*Exponitur oppositio, ejusque species.*

**O**ppositio, de qua in præsentia loquimur, non est illa, quæ inter propositiones reperitur, quæque communiter appellatur *Complexa*, de hac enim jam in Logica egimus: sed tantum illa, quæ in rebus reperitur, per terminos incomplexos significatis, quæ idcirco *Incomplexa* nominatur. Est itaque hujusmodi opposi-

tio repugnantia illa, quæ reperitur inter duo extrema, quæ inter se determinatè pugnant: addidi determinatè, ut distinguerem opposita à disparatis, quæ similiter cum omnibus pugnant: sic homo, equus, & leo termini dicuntur potius *disparati*, quam *oppositi*.

Oppositio quadruplex est, videlicet *relatorum*, *contrariorum*, *privativorum*, & *contradictoriorum*. Oppositio relatorum, seu relativa, est impossibilitas duorum extremorum orta ex relatione, quam inter se important: sic Pater, & Filius opponuntur oppositione relativa.

Oppositio contrariorum, seu contraria, est repugnantia reperta inter duo extrema positiva, quæ sub eodem genere posita, maximè distant, & ab eodem subiecto sese mutuo pellunt, ut calor, & frigus. Ubi advertendum est, aliqua contraria sub eodem genere proximo contineri, ut prædictæ qualitates, calor nempe, & frigus, quæ sub proximo genere, qualitatis nempe tactilis, continentur. Alia autem eidem generi, sed remoto subijciuntur: sic aliquoties duo vitia, ut prodigalitas, & avaricia, sunt magis inter se opposita quam virtus, & vitium, videlicet quam prodigalitas, & liberalitas; non quidem sub genere moris, nam in hoc plus opponuntur virtus, & vitium, sed in genere entis. Dicimus autem contraria ab eodem subiecto se mutuo pellere, non quidem activè, sed formaliter; quatenus nempe simul esse nequeunt, nisi fortè temperata, & in gradibus, ut ajunt, remissis: ut calor, & frigus, quorum unum quantum intenditur, tantundem alterum remittitur: ut si manus, ver. gr. calefiat ut tria, amittet tres frigoris gradus eis, quos habebat, remanebitque cum reliquis. Sed de his alibi.

Contraria autem duplicis sunt generis, aliqua enim di-

dicuntur *immediata*, quod nempe talia sint, ut subiectum illorum capax, sine altero illorum esse nequeat, ut virtus, & vitium: alia verò *mediata* dicuntur, quòd medium habeant, ita videlicet, ut subiectum illorum capax, sine utroque esse possit; talia dicuntur esse albedo, & nigredo; multa sunt enim, quæ neque alba sunt, neque nigra, sed viridia, cærulea, &c.

Oppositio privativa, seu privativorum est repugnantia, quæ reperitur inter formam, & ejus carentiam in subiecto apto ad talem formam: sic visus, & cæcitas privativè opponuntur, eo quod simul esse nequeant in homine, quod subiectum est capax visus. Circa hanc oppositionem privativam hoc adfertur ab Aristotele desumptum veluti axioma: *A privatione nempe ad habitum non dari regressum*: sed ut rectè Duhamelius, & alii, tot sustinere debet exceptiones, ut satius esset illud non admittere: communiter autem asseritur aliquas esse privationes, quæ solum actum, seu actualem alicujus formæ possessionem adimunt, & ab hac privatione dari regressum ad eandem formam habendam comperit videtur; sic aer naturaliter à tenebroso fit lucidus; aliæ verò sunt privationes, quæ non solum actum, verum & potentiam tollunt, qualis est cæcitas, quæ facultatem tollit videndi, & ab ista ad habitum, seu ad habendam visionem non dari naturaliter regressum, certum est.

Oppositio contradictoria, seu contradictoriorum est impossibilitas, quæ reperitur inter ens, & non ens, quales sunt homo, & non homo: hæc autem est omnium oppositionum maxima, quia inter ens, & non ens nullum potest excogitari medium. Hincque oritur propositiones contradictorias, nec simul veras, nec simul falsas esse posse: de quibus in Logica.

## PROPOSITIO LXI.

*Prioritas, similitudo, motus, & modi habendi explicantur.*

**P**RIUS multipliciter dicitur: 1. Dicitur aliquid esse prius tempore alio: sic Petrus, qui hodie existit, est prior tempore homine cras nascituro. 2. Dicitur unum prius natura alio: hæc autem prioritas natura consistit in independentia unius ab alio à se dependente: sic causa prior est suo effectu prioritate natura; causa enim non dependet ab effectu, hic verò ab illa dependet; ideoque effectus posterior est causa sui productiva, sed de his postea. 3. Dicitur unum prius alio origine, quando nempe unum oritur ab alio, à quo tamen non dependet, ut à causa: sic Pater Æternus dicitur prior Filio, non quidem prioritate nature, aut causalitatis; Pater enim non est Filii causa, nec Filius à Patre dependet; est tamen Filio prior prioritate originis, quia nempe Filius emanat à Patre per æternam, & ineffabilem generationem. 4. Dicitur unum prius alio dignitate, sic Dominus prior est servo. 5. Ordine loci, ut qui primus in Consistorio sedet. 6. Logice, seu ratione, & non re, quoties nempe aliquid ita se habet in ordine ad scientias humanas, atque si esset alio prius: sic essentia prior ratione dicitur suis proprietatibus.

Demum, cum prius, & posterius sint correlativa, tot modis dici potest aliquid posterius, quot potest esse prius. Idem quoque dico de predicato simul, quod ferè tot modis dici potest, quot prius.

Modi autem habendi multi sunt: ut habere aliquam formam, ut justus justiciam: habere aliquam dimensionem, sic turris habere dicitur viginti cubitos in altitudinem: habere partem, sic homo habet pedes: ha-

bere, seu continere aliquid, sic pelvis dicitur habere aquam. Tandem haberi dicuntur ea que possidentur, deferuntur, &c. sed hæc sunt facilia.

*Motus, sive mutatio* dicitur etiam multis modis. 1. Substantialiter. Id autem tribus modis evenire potest, nempe à non esse ad esse substantiale; sic ex non flamma fit flamma, & est generatio: ab esse ad non esse; sic ex flamma fit non flamma, & est corruptio: tum ab uno esse ad aliud esse, & dicitur conversio: sic ex ligno fit flamma: Quid autem hæc physice sint, ex dicendis in Physica constabit.

2. Mutatio fit extensive, idque vel à minori ad majorem extensionem, ut in rarefactione; vel à majori ad minorem, ut in condensatione.

3. Mutatio fit accidentaliter, & alterative; idque multipliciter, nempe vel à non esse aliqui ad illud aliquale esse: sic ex non calido fit calidum: vel ab esse aliqui ad non esse; sic ex calido fit non calidum; vel ab uno esse aliqui ad aliud esse aliquale, sic ex frigido fit calidum; hujusmodi autem tres modi mutationis dicuntur communi vocabulo *alteratio*. Fit etiam mutatio ex remisso ad intensum, sic ex minus calido fit magis calidum, & dicitur intensio: vel ex intenso ad remissum, sicque ex magis calido fit minus calidum; diciturque remissio. Tandem dicitur aliquid mutari localiter, cum nempe per motum localem ab uno loco ad alium transfertur. Hinc vides in omni mutatione duos reperiri terminos, à quo nempe, & ad quem: Terminus à quo est status ille qui deferitur: Terminus verò ad quem est status, qui acquiritur. Sed de his satis, satis enim sunt perspicua.

## LIBER IV.

## DE CAUSIS.

**S**OLET communiter in Scholis tractatus iste ad Physicam revocari, fortè, quòd Aristoteles de ipsis agat *lib.2. Physic.cap.3.* Quòd verò Metaphysica illum sibi jure vendicet, inde patet, quòd causarum ratio ab ente corporeo, & incorporeo sit præcissa, fitque proprium Metaphysicæ munus, subiectorum communium, ab utroque abstractorum notiones demonstrare: imò & Aristoteles totum prædictum caput ad *librum 5. Metaphysicæ* transtulit, estque secundum præfati libri caput, ut optimè notarant Conimbricenses. Agam itaque in præfenti de causis, tum in genere, tum in particulari; servatis tamen ad Physicam iis, quæ magis ad illam pertinere judicavero.

## CAPUT I.

*De causis in communi.*

## DEFINITIONES.

**P**RINCIPIUM est id unde aliquid est. Hanc primo loco definitionem propono, quòd videlicet latius pateat principii notio, quam causa: licet enim omnis causa, ut videbimus principium sit; non tamen omne principium est causa: Pa-

ter

ter enim Æternus principium est Filii; non verò causa. Vides hanc principii definitionem universalissimam esse, omniaque illa comprehendere, unde aliquid eorumque modo est: Quid verò causa sit, non ita facile explicatur, & ab Aristotele quidem nullibi eam definiri reperies, fortè quòd veteres Philosophi, eam cum principio confundentes, nullum utriusque discrimen agnoscere: ut autem istud palam fiat: sic cum S. Bonaventura in *1. dist.38. art.1. quæst.2.* causam in communi definio.

*2. Causa est principium dans esse alii.* Explicatur. Principium, cum latius pateat, ac causa, genus est, idque immediatum, quo causa cum aliis, quæ causa non sunt, estò ex ipsis aliquid aliquatenus sit, convenit: ab ipsisque distinguitur per *ly dans esse alii*, quòd locum habet differentie: ubi advertendum est, to *alii* esse generis neutrius: ita ut idem sonet, ac dans esse alii rei, id est, diversæ, seu alterius naturæ: ubi jam vides rationem causæ minimè covenire Patri Æterno; licet enim sit alius à Filio; non tamen est aliud à Filio: id est, licet sit alia persona à Filio; non est tamen alterius naturæ, seu essentia ab illo: sicque licet sit principium Filii; non est tamen ejus causa.

Putant aliqui addi oportere huic definitioni causæ particulam *per se*; ita ut dicamus *causam esse principium per se dans esse alii*: idque ut distinguatur causa à conditionibus, & ab iis quæ dicuntur causa per accidens: Id tamen frustra addi inde mihi persuadeo, quòd ea quæ causæ per accidens dicuntur, propriè causæ non sint; sed tantum nomine tenus, nullo namque modo dant esse alii. Sic cum dicimus *musicus edificat*, musica dicitur causa per accidens illius actionis, quæ tamen actio nullatenus illi tribui potest, cum musica nul-



nullum det illi esse; sed solum homo quatenus fabricandi habet peritiam. Similiter neque condiciones dant esse; sed sunt tantum prærequisita ut causa illud esse tribuat; sic approximatō ignis ad stupam, conditio est, non causa combustionis; hujus enim causa ignis est, qui tamen sine approximatione illam comburere non potest.

3. Causa considerari potest, vel in actu primo, vel in actu secundo. Causa in actu primo est ipsa quatenus potest dare esse alii: In actu secundo, quatenus actu dat esse alii. Hinc causa in actu primo est ipsa considerata quatenus habet virtutem, seu potentiam cauſandi; in actu verò secundo est ipsa quatenus actu cauſat.

4. Prius natura est illud quod non dependet ab alio à se dependenti: Posterius verò natura consequenter est illud quod dependet ab alio à se independenti. Hęc autem dependentia, & independentia consistunt in quodam naturali essendi ordine, qui reperitur inter id quod dependet, & illud à quo dependet, ratione cujus quod independet, potest quoad sua essentialia esse sine illo quod à se dependet; hoc verò quoad suum esse actu, minimè esse potest sine illo; sic tenet Arist. 5. *Metaph. cap. I. I. Secundum naturam, & substantiam* (priora sunt) *quęcumque contingunt absque aliis esse; ista verò sine illis, minimè.* Sic Sol est prius natura auro, quia quoad sua essentialia, existere potest sine auro, seu in suo esse non dependet ab auro; aurum verò sine Sole esse non potest. Hinc non valet consequentia: existit Sol: ergo existit aurum, quę appellatur *existendi, seu subsistendi consequentia*; bene verò è contra, existit aurum: ergo existit, seu existit Sol: & ob hanc rationem prioritas naturę, dici solet *prioritas in subsistendi,*  
*seu*

*seu existendi consequentia.*

Hinc vides causam esse priorem natura suo effectu, quia nempe in sua entitate ab effectu non pendet; effectum verò esse posteriorem natura sui causa, quia ab illa dependet, seu suum esse accipit ab illa.

Hinc etiam vides, Patrem Æternum licet sit prior Filio prioritate originis; non verò prioritate naturę; cum enim Filius sit ei consubstantialis, ejusdemque naturę, minimè dici potest dependere à Patre: cum nec Pater sine Filio, nec sine Patre Filius esse possit. Tum quia quod dependet, necesse est ut aliud sit ab eo, à quo dependet; Filius autem in divinis, licet sit alius à Patre: non est tamen aliud ab ipso, ut superius dixi.

#### PROPOSITIO I.

*Quatuor causarum genera explicantur.*

Quatuor causarum genera communiter assignantur à Philosophis, qui sequuti sunt in hoc Arist. qui illas adstruit, & explicat *Physic. lib. 2. cap. 3. & Metaph. lib. 5. cap. 2.* An autem omnes sint proprie causę, postea videbimus. Oportet autem nunc eas exponere, iis enim quę in Physica, præsertim generali, deinceps pertractanda sunt, earum cognitio plurimum confert: ut autem pateat, illa, quę eo loci circa materiam præsertim, & formam rerum materialium sumus dicturi, à genuino Peripatu non recedere, imò Aristotelicis Theorematis apprimè congruere, idcirco opere pretium esse putavi, ipsum Aristotelis textum explanare, idque juxta Angelici Doctoris expositionem. Ne autem molestus sim textus integros non proponam, sed illos tantum, qui ad prædictas causas intelligendas conducere judicavi.

Quatuor itaque sunt causarum genera, nempe ma-  
*te-*

*terialis, formalis, efficiens, & finalis*, quarum notio juxta Aristotelem loco citato *Phys. lib. 2. cap. 3.* est quæ sequitur.

*Causa*, ait Arist. *uno modo id dicitur, ex quo cum insit aliquid fit, ut æs statuae, argentum phialæ, & horum genera.*

Ubi vides causam materialem alicujus rei esse materiam, ex qua nempe illa res fit, ita tamen ut ipsi rei insit, inexistat, seu in ea existat: Sic æs est materia statuae, seu ejus causa materialis, quia hæc facta est ex ære, hocque eidem inest, & in illa existit: argentum est materia phialæ, quia hæc ex argento in ipsa existente facta est. Addit verò Philosophus, & *horum genera*, ut pateat metallum, quod genus est respectu æris, argenti, &c. esse materiam statuae, phialæ, &c. quia etiam ex metallo factæ verè dicuntur, quod ipsis inest: si enim queram ex quo facta sit statua; respondere poteris ex metallo: si ulterius queram ex quo metallo, respondebis ex ære. Hinc vides litteras, seu elementa syllabarum esse earum materiam, quia syllabæ ex ipsis fiunt, & litteræ syllabis insunt. Similiter quatuor elementa corporum mistorum esse eorundem materiam ob eandem rationem: & generatim omnes partes materia sunt, & causa materialis totius, quod componunt, & cui insunt, ut sæpè sæpius Aristoteles, & S. Thomas dicunt, & postea patebit.

Asserit deinde Aristoteles: *Alio modo* (dicitur causa) *forma, & exemplum: hæc autem est ratio ipsius quod quid erat esse, & hujus genera, ut ipsius Diapason duo ad unum, & omnino numerus, & partes, quæ in ratione.*

Hæc est causa formalis, seu forma, quæ quidem est ipsum esse, ipsaque quidditas rei; sive id quod reponimus,

mus, cum nobis interrogatur quid res sit: seu etiam est id, quod per definitionem exponimus. Sic, ut exemplo ab Aristotele adlato utar, cum à nobis queritur quid sit consonantia illa, quæ Diapason, seu octava nominatur, respondemus esse geminos sonos, qui in ratione gravis, & acuti se habent ut duo ad unum: ipsa autem ratio duo ad unum in sonis, seu vocibus est quidditas, seu forma ipsius consonantiæ Diapason appellatæ, seu ejusdem quod quid erat esse, ut Aristoteles loquitur.

Hæc autem causa formalis in duas bifsecatur species, ut ex ipso Philosophi textu satis colligitur, alia est intrinseca rei, cujus dicitur causa formalis; & hæc est ipsa rei quidditas, forma, & essentiæ ratio: alia verò est eidem rei extrinseca, & hæc est exemplar, paradigma, seu idea, ad cujus instar, sive ad cujus similitudinem res facta esse dicitur, quæque à plerisque *causa exemplaris* non incongrue appellatur; reducit tamen ab Aristotele ad causam formalem. Sic tenet expressè S. Thomas *lib. 5. Metaph. lect. 2.* ubi dicit: *Alio autem modo dicitur causa species, & exemplar: & hæc est causa formalis, quæ comparatur dupliciter ad rem, uno modo sicut forma intrinseca, & hæc dicitur species: alio modo sicut extrinseca à re; ad cujus tamen similitudinem res fieri dicitur; & secundum hoc exemplar rei dicitur forma: per quem modum ponebat Plato ideas, ac formas.* Dubia autem aliqua, quæ circa hæc objici solent, infra resolventur, ubi hæc quæ diximus uberiorem lucem accipient. Sed pergamus.

*Amplius unde principium mutationis primum, aut quietis, ut consultor causa, & Pater Filii, & omnino faciens facti, & mutans mutati.* Hæc itaque est causa efficiens, quæ nempe aliquid efficit, sive per influxum physicum, qualiter ignis calorem in subiecto apro physice

ficè producere dicitur : sive per influxum moralem, qualis est quem præstat consulens, aut præcipiens in opus illud, quod alteri consulit, aut præcipit. Prosequitur Aristoteles.

*Præterea ut finis : hic autem est id cujus gratia, ut ambulandi sanitas : propter quid enim ambulat? dicimus, ut sanus sit : & ita loquuti opinamur assignare causam, &c.*

Hæc est causa finalis, seu finis, qui intenditur ab operante, ideoque dicitur esse *id cujus gratia aliquid fit*. Quod ita clarum est ut ulteriori explanatione non indigeat.

Quaternarium hunc causarum numerum ex numero quæstionum, quæ de quavis re possunt institui, colligunt Peripatetici. Quæri siquidem potest, ex quo res sit tamquam ex materia, hæcque est causa materialis: vel quid sit, aut quo sit tamquam ex forma, estque causa formalis, sive intrinseca qualis est quidditas rei, sive extrinseca ad cuius instar, estque ejusdem rei exemplar, vel idea : quæri item potest, à quo res sit facta, estque causa efficiens : & tandem propter quid sit tamquam propter finem, quæ est causa finalis. Sed omnia hæc exemplò illustremus.

De statua Apollinis ærea, quæri potest 1. ex quo, id est, ex qua materia sit facta; respondeturque factam ex ære, ex quo nempe constat, quodque eidem statuæ inest, ideoque est ejusdem materia, & causa materialis. Quæri 2. potest, quid sit prædicta statua; respondeturque esse æs ita conformatum, ac ita organizatum exterius, ut omnino Apollinem representet: hæcque est ejusdem statuæ causa formalis, seu forma; id est, æs quantum formatum in statuam. Quæri 3. potest à quo prædicta statua sit facta: respondebiturque à Polycleto

magni nominis artificis, qui est ejusdem statuæ causa efficiens. Quæri tandem potest ad quid, sive propter quid à Polycleto sit facta; & respondebitur, ut Apollinem cunctis eam intuentibus repræsentet; & hæc est causa finalis.

An autem quatuor hujusmodi causæ sint proprie tales, dubitari potest: & multi quidem asserunt causas materialem, & formalem, cum nihil à se diversum procreent, principia potius dicendas esse, quam causas. Sed hæc cum de solo nomine sint, lubens in presenti omitto, aliquid tamen deinceps dicturus.

## PROPOSITIO II.

*Ordo inter quatuor prædictas causas assignatur.*

**D**uplex ordo inter quatuor causas supradictas spectari potest: nobilitatis nempe, & causalitatis: & quidem si nobilitatis ordo attendatur, communiter asseritur omnium nobilissimam esse causam efficientem, quæ cum physicè agat, nobiliorem habet causandi modum: hanc sequuntur causæ materialis, & formalis, quæ realiter suum esse dant effectui; ut æs statuæ, ejusdemque symmetria: sequitur exemplaris, quæ dirigit, demùm verò causa finalis, quæ tantum movet, & alligit. Causalitatis autem ordo sic procedit. Primò finis movet, & excitat agentem: hic antequam ad opus sese accingat, ideam format; tandemque ad materiam se convertit, eamque juxta ideam illam format, & conformat.

## PROPOSITIO III.

*Dividitur causa in Metaphysicam, Moralem, Obiectivam, & Physicam.*

**C**ausa Metaphysica, seu Logica est, quæ physicè quidem non est causa, sed tantum logicè; id est, quæ

quæ in ordine ad scientias humanas perinde se habet, ac si esset causa: sic essentia causa metaphysica est suæ proprietatis metaphysicæ, ab ipsa etiam realiter indistincta, ut anima respectu intellectus, & voluntatis: & forma respectu proprietatum ab eadem solum per rationem distinctarum: sic etiam vulnus esse mortis causam dicimus; non quidem physicam, cum mors, quæ privatio est, per veram, & physicam actionem produci non possit; sed tantum Logica, aut Metaphysica, quia nempe vulnus perinde se habet in ordine ad scientias humanas, ac si mortis esset causa: sicque alia complura reperies.

*Causa Moralis* est, quæ non physicè, sed moraliter tantum influat in effectum; moraliter autem influere est perinde se habere in ordine ad mores juxta rectam hominum exitimationem, atque si verè influeret. Sic qui servo imperat homicidium, occidisse reputatur, sicque jure punitur, quasi propriis manibus homicidium perpetrasset.

*Causa Obiectiva* est illa, quæ in ratione obiecti potentiam aliquam ad agendum determinat. Sic paries, exemp.gr. visionem causare dicitur, quatenus nempe potentiam visivam determinat ad illum videndum, ope cujusdam affectionis, quæ species impressa solet appellari. Sic etiam finis cognitus voluntatem movet ad ejusdem prosecutionem: & sic de aliis.

*Causa Physica* est, quæ per propriam causalitatem physicè causat effectum, ut ignis calorem.

## PROPOSITIO IV.

*Omnis causa est prior natura suo effectui; non est tamen necesse ut sit prior tempore.*

**P**rimi ratio est, quia aliquid esse prius natura alio  
(def.4.)

(def.4.) est habere suum esse independenter ab illo, quod dicitur posterius natura: sed omnis causa ita se habet ratione sui effectus, si nempe sit illius propriè causa: ergo omnis causa est prior natura suo effectui. Minor patet, quia causa præsertim efficiens, quæ propriè causa est, non habet suum esse reale ab effectui suo, sed potius è contra: imò neque materia habet suum esse à composito, cujus est causa materialis, sed è converso: neque finis habet suum esse obiectivum ab eo, quod propter illum fit: ergo omnis causa propriè talis non pendet ab effectui à se dependente; & consequenter est prior natura suo effectui.

Dices, causam non posse esse causam sine effectui: ergo non est prior natura illo, sed simul. Sed distinguo anteced. causa nequit esse causa in actu secundo sine effectui, concedo: non potest esse causa in actu primo sine effectui, nego: aut subdividingo, non potest esse causa in actu primo sine effectui possibili, concedo: sine effectui actuali, nego. Dico itaque, causam in actu primo, seu quoad suum esse entitativum, quatenus nempe habet virtutem causandi, non dependere ab effectui actuali, posseque esse sine illo, qui tamen ab illa pendet, ideoque prior est natura, suo effectui: causam verò in actu secundo, seu prout actualiter causans, non posse esse sine effectui; ideoque sub hac reduplicatione non esse natura priorem illo.

Dico 2. Non esse necesse ut causa sit prior tempore suo effectui; licet frequenter ita sit illo prior. Ratio autem est, quia ut aliquid habeat rationem causæ nihil aliud requiritur, quam ut det esse effectui: sed ut det esse effectui, non opus est ut aliquo tempore præcedat effectum: sufficit enim ut existat pro eo instanti, aut tempore, quo existit effectus; ergo necesse non est, ut



fit prior tempore effectu. Sic Sol eodem tempore, quo fuit productus, lucem emisit. Frequenter tamen causa præcedit tempore effectum; parentes enim tempore filios præcedunt: & sic de aliis.

Aliqua, quæ fortè possunt in præsentì desiderari, consulto ad sequentis capituli Theoremata reservavi, ubi opportunè exponentur.

## PROPOSITIO V.

*Due cause in eodem genere non possunt esse sibi invicem cause.*

**A** Sfero duas causas in nullo eodem causandi genere posse sese mutuò causare. Intellige secundum idem, & eodem instanti. Ratio est 1. quia (præced.) omnis causa esse debet prior natura suo effectu: ergo si causa A causaret causam B, esset prior natura causa B; & hæc si secundum idem, & eodem instanti causaret in eodem causandi genere causam A, esset etiam prior natura causa A: & consequenter causa A, posterior natura causa B: ergo non prior natura causa B: ergo esset prior, & non prior causa B respectu ejusdem, quod est impossibile.

2. Quia idem non potest esse causa sui ipsius: ergo nec duæ entitates possunt in eodem genere causæ se invicem causare. Antecedens est evidens: nam quidquid fit ab alio fit, saltim quoad primum esse; aliter enim quod factum est, primò fieret, quod aperte est absurdum. Consequentia autem probatur, nam si entitas A efficienter produceret entitatem B, à qua ipsa entitas A produceretur, entitas A esset causa suæ causæ, nempe entitatis B: ergo esset causa sui ipsius, juxta vulgare axioma: *Quod est causa causæ, est causa causati*. Dixi quidquid fit ab alio fieri saltim quoad primum esse, quia

quia multi tenent posse idem se ipsum conservare, quod est causare sibi secundum esse, in diverso tempore instanti, de quo alibi: unde poterunt duæ entitates sese invicem causare quoad secundum esse.

Dixi præterea, non posse esse invicem causas secundum idem, & in eodem instanti, quia secundum diversa, & diverso tempore possunt se invicem causare; nulla enim apparet implicancia in hoc, quod causa A det aliquod esse causæ B, & hæc in diverso instanti tribuat novum esse partiæ causæ A. Aliqua in oppositum obijciuntur, quæ facile dissolvi possunt.

Objicies 1. Cum ventus fenestram aperit, venti ingressus causa est aperientis fenestram: & vicissim fenestram apertio causa est cur subeat ventus: ergo sunt sibi mutuò causæ. Resp. Impulsam venti in fenestram esse causam apertionis ejusdem, qui quidem impulsus nullatenus à fenestra causatur, sed à vento, cujus ingressus deinde subsequitur obice sublato.

Objicies 2. Duo pondera in libra sese mutuò sustentant in æquilibrio: duo item ligna invicem inclinata sese mutuò sustentant: ergo quoad hoc sese invicem causant. Resp. Duo illa pondera nihil invicem efficienter producere; sed tantum à propria gravitate, & momento æqualiter versus terræ centrum propelli; & propter hanc, aut gravitatis, aut momenti æqualitatem, nullam inter ipsa dari prævalentiam; & ideo dici sese mutuò in libra sustineri. Ligna etiam invicem inclinata sese mutuò sustentant, non quod aliquid in se mutuò efficienter producant, sed solum quia invicem impediemento sunt, ne labantur. Similiter similia tolves.



## PROPOSITIO VI.

*Possunt due causa esse sibi invicem cause in diverso genere causandi.*

**P**ROBatur ratione ab Aristot. adducta 2. *Phys. cap. 3. tex. 30.* ubi ait deambulationem esse causam sanitatis; & sanitatem, deambulationis; non quidem in eodem genere causæ, sed in diverso: deambulatio enim causa efficiens est sanitatis; sanitas autem est causa finalis deambulationis: idè enim deambulo, ut sim sanus.

## CAPUT II.

*De causis in particulari.*

**P**RÆSENS caput in suas partes divisum exhibeo, ut ea nempe seorsim exponam, quæ ad causas superius enumeratas, materialem videlicet, formalem, exemplarem, efficientem, & finalem, juxta Metaphysices abstractionem spectant; reliqua enim quæ Physicæ potiùs jure censentur, eo loci pertractanda relinquo.

## §. I.

*De causa materiali, & formali.*

**P**AUCA admodum sunt, quæ in præsentī de causis materiali, & formali occurrunt dicenda: potiùs enim ad Physicam spectat earundem pertractatio. Utramque præterea conjungimus, quòd, cum sint ad invicem correlata, vix de materiali sermonem possumus instituere, quin de formali similiter pertractemus.

## PROPOSITIO VII.

*Explicatur causa materialis, & formalis: tum & materia, & forme diversa acceptiones.*

**Q**UID sit causa materialis, quidve formalis satis explicatum est prop. 1. hujus libri: causa enim materialis est *illud ex quo inexistente aliquid fit*. Causa autem formalis est *ipsa rei quidditas, seu essentia ratio*. Quoniam verò causa formalis ab Aristotele appellatur *forma*; sicut & causa materialis, *materia*, ut ex ejusdem textu patet, quem eo loci exposuimus, idcirco opere pretium duxi aliqua de materia, & forma hic explicare, ut possim determinare quænam sit materia illa, quæ causa materialis est, quidve forma illa, quæ est causa formalis: sunt enim diversæ tum hujus nominis *materia*, tum hujus vocis *forma* apud Philosophos acceptiones, quas non modicæ confusionis causam extitisse compertum est.

Primo itaque sumitur materia pro obiecto, circa quod aliqua potentia, vel scientia versatur, ideoque dicitur *materia circa quam*. Sic coloratum est obiectum, seu materia circa quam versatur potentia visiva: ens abstractum est obiectum, seu materia circa quam versatur Metaphysica. Quantitas continua, ut mensurabilis, est obiectum, seu materia circa quam Geometria.

2. Sumitur materia pro subiecto, & quia subiectum aliud est *de quo*, aliud *in quo*, similiter materia juxta hanc acceptionem alia est *de qua*, alia *in qua*. Materia *de qua* est ea de qua agimus, de qua loquimur, de qua aliquid dicimus, demonstramus, &c. Cumque id de quo loquimur, de quo aliquid dicimus, demonstramus, &c. sit subiectum in propositione, idcirco materia sic sum-

sumpta idem est, ac subiectum: & ob eandem rationem id de quo scientia tractat, seu de quo aliquid demonstrat, subiectum scientiæ appellatur, eiusdemque materia, seu materiale obiectum, ut in Logica diximus. Materia *in qua* est subiectum omne in quo aliquid recipitur. Sic corpus humanum est animæ rationalis subiectum, atque adeo materia, in qua illa recipitur, materia, inquam, subiectiva. Materia item *in qua* dupliciter dicitur, videlicet *informationis*, aut *invasionis*. Dicitur subiectum, aut materia informationis, quando id quod recipitur, est forma substantialis; quando verò id quod recipitur, est forma accidentalis, dicitur materia, aut subiectum invasionis.

3. Aliter præterea sumitur materia, nempe pro eo ex quo, cum insit, aliquid fit, diciturque materia *ex qua*, est enim id ex quo alicuius res est facta, & ex qua realiter constat, ut phiala ex ære, & hæc est propriè materia, & quæ ab Aristotele appellatur *causa materialis*.

4. Materia autem *ex qua* alia est *physica*, & alia *metaphysica*. Materia physica nihil aliud est præterquam partes physice, ex quibus aliquod totum componitur, sunt enim id ex quo, cum insit physice, illud totum fit. Sic corpus, & anima rationalis sunt materia hominis, ex ipsis enim hominem componentibus, & eidem inexistentibus, homo confurgit. Materia *ex qua* metaphysica sunt partes metaphysice, genus videlicet, & differentia, ex ipsis enim totum metaphysicum, seu tota rei essentia confurgit, quæ *species* appellatur.

5. Materia physica *ex qua* adhuc est duplex, alia dicitur *materia prima*, alia verò *materia secunda*. Materia prima est illud primum ex quo omnia corpora componuntur; & in quod ultimum, si perfecta eorum contingat analysis, resolvuntur, quæque sine ulla forma

phy-

physica consideratur, de qua in Physica generali pertractabimus. Alia dicitur materia secunda, quæ primam supponit aliqua jam forma indutam: ut cum ex ære sit phiala, huius materia est æs, & quidem secunda, jam enim æs ex materia prima, & forma æris compositum supponitur.

Ex his autem materiæ acceptionibus solum materia *ex qua* est causa materialis illius rei, quæ ex ipsa eidem inexistente fit, ut ex ipso Aristotelis textu *prop. 1.* à nobis relato clarissimè constat. Sed videamus nunc quid sit forma, quæ *causa formalis* ab eodem Philosopho appellatur.

Forma, ut *prop. 1.* ex Arist. diximus est essentia ratio, seu ipsa rei quidditas, seu, ut eisdem Philosophi verbis utar, *forma est ratio ipsius quodquid erat esse*. Quoniam verò partes omnes, quæ rem aliquam componunt, seu constituunt, quasque hoc titulo eisdem rei materiam esse diximus, sunt etiam de illius quidditate, videndum est qualiter forma distinguatur à materia, quidve supra materiam addat forma. Dico itaque formam supra entitatem prædictarum partium, quæ materia rei sunt, addere aliquem modum sive unionis, sive combinationis, sive ad invicem conjunctionis, quo rei quidditas potissimum completur: hoc ut partes illæ, quæ totum aliquod componunt, si considerentur quatenus in se sunt, suumque esse per sui inexistenciam communicant composito, sint eisdem materia; si verò spectentur prout taliter, aut taliter uniantur, combinantur, aut tali ordine sibi invicem coherent, ac conjunguntur, ut hoc nempe totum, aut compositum efficiant, hoc, inquam, modo sumptæ, sunt illius compositi, seu totius forma, quia sic sumptæ, & non aliter sunt ratio illius totius, seu essentiæ, seu ut ait Arist. illius compositi

ti

ti quodquid erat esse, seu ut etiam ait: *Partes illius, quæ in ratione*, seu prout in tali ratione. Si autem velis solum prædictum modum combinationis, ordinationis, &c. formam appellare, ita ut hæc partium entitates non includat, & consequenter nihil sit entitativum, sed modale, si id, inquam, velis asserere, per me licet, est enim quæstio de voce; id tamen est certum hujusmodi formam concipi non posse sine partibus materiæ; modus enim cum sit, cognosci nequit sine re cujus est modus.

Præterea quemadmodum materia ex qua, ita etiam forma dividitur in *physicam, & metaphysicam*. Forma physica sunt partes physice alicujus rei ita inter se unitæ, talique inter se combinatione conjunctæ, ut unum per se physicum efficiant, sic enim sunt ratio totius, seu essentia physica. Forma verò metaphysica sunt partes metaphysicæ, genus nempe, & differentia, quatenus speciem, seu totum metaphysicum constituunt, quæ idcirco tota rei essentia appellatur. Licet autem hæc omnia in Physica generali ulteriorem sint lucem acceptura, expedit nunc adhibitis exemplis amplius explicari.

Homo ver. gr. est totum constans corpore, & animâ rationali unitis: partes itaque ipsæ physice, corpus videlicet, & anima, prout in se consideratæ, quælibet habet suum esse, quod homini, cui inexistunt, communicant, sicque sunt hominis materia, seu causa materialis; ex ipsis enim homini inexistentibus, homo componitur: si verò considerentur prout sunt invicem unitæ, talique convenientia copulantur, sunt ejusdem hominis forma, id est, sunt tota ejus physica essentia, & unum per se. Similiter omnes partes equum essentialiter constituentes, quæcumque tandem illæ sint, secundum se spectatæ,  
sunt

sunt equi materia; forma verò equi eadem illæ partes, quatenus tali ordine, combinatione, & organizatione sunt dispositæ, ut unum illud, quod equum appellamus, conficiant, & sic de reliquis. Præter hanc formæ acceptionem aliam statim adsignabo, quæ licet fortè non in omnibus compositis, in plerisque tamen contineri, in Physica generali patebit.

Fortè tamen mirabitur aliquis prædictam materiæ, ac formæ acceptionem: verum hanc esse mentem Aristotelis, præterquam quod ex dictis patet, constat ex quamplurimis Angelici Præceptoris locis, quibus hanc esse tum suam, tum Philosophi mentem clarissimè ostendit. Unum, aut alium in medium proferam. Asserit itaque in *lib. 2. Phys. lect. 5. Omnium autem nunc enumeratorum quædam se habent ut materia, & quædam ut forma, quæ causat quidditatem rei, sicut omnes partes se habent ut materia, ut elementa syllabarum, & quatuor elementa corporum mistorum: sed ea quæ important totum, vel compositionem, vel quandoque speciem, se habent in ratione formæ, ut species referatur ad formas simplicium; totum autem, & compositio ad formas compositorum.*

Deinde *lib. 5. Metaph. lect. 2.* exponens similiter Philosophum addit: *Uno modo dicitur causa id ex quo fit aliquid, & est ei inexistens, id est, intus existens.* Addit autem exemplum: *Statua fit ex are, & pbiala ex argento sicut ex inexistente, nam cum statua fit non tollitur ratio aris; nec si fit pbiala tollitur ratio argenti: & ided as statuæ, & argentum pbialæ sunt cause per modum materiæ, &c.* Præterea *lect. 3.* addit: *Dicuntur litteræ cause syllabarum; & materia artificium dicitur causa factorum per artem: & ignis, & terra, & hujusmodi omnia simplicia corpora dicuntur esse*



*esse causa corporum mistorum, & partes dicuntur esse causa totius; & suppositiones, id est, præmissæ, ex quibus propositis syllogizatur, dicuntur esse causa conclusionis: & in omnibus his est una ratio cause, secundum quod dicitur causa illud ex quo fit aliquid, quod est ratio cause materialis. Et post pauca; Alia verò se habent ut quod quid erat esse, sicut totum, & compositio, & species, quæ pertinent ad rationem forme, secundum quod quidditas rei completur. Sciendum est enim, quod quandoque simpliciter est alicujus materia, sicut argentum pbiale, & tunc forma correspondens tali materie potest dici species: quandoque autem plures ad invicem adunatæ sunt materia alicujus rei: quod quidem contingit tripliciter, &c. quandoque secundum ordinem, & contactum, & colligationem, sicut apparet in partibus domus: quandoque autem super hoc additur atteratio componentium, quod contingit in mixture, & tunc forma est ipsa mixtio, quæ est quedam compositionis species. Ex quolibet autem horum sumitur quodquid est rei. Hæc S. Thomas.*

Ut autem amplius pateat, sub prædicta materie intelligentia comprehendi etiam materiam primam juxta Aristotelis, & S. Thomæ mentem ulteriora eorumdem verba addo. Arist. enim 1. *Physic. cap. 9.* ait: *Dico enim materiam primam subiectum uniuscujusque ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens: & si corrumpitur in hoc abit ultimo.* Et S. Thomas ibid. *Hoc enim dicimus materiam, primum subiectum ex quo aliquid fit per se, & non secundum accidens, & inest rei jam factæ.* Sed de his latius in Physica generali; id tamen nunc inconcusum haberi volo, juxta mentem videlicet cum Aristotelis, tum S. Thomæ, non aliter intel-

telligi quidquam ex materia factum, sive hæc prima sit, sive secunda, nisi quatenus materia illa est prædictæ rei inexistens, seu intus rem illam existens, eodem nempe modo quo phiala ex argento dicitur facta, quatenus argentum in illa continetur, & hæc ex illo constat, & constituitur.

Præter dictam tamen formæ acceptionem alia adhuc tenenda est juxta communem Philosophorum sensum, juxta quem pars illa nobilior, quæ potiores denominationes tribuit composito, dicitur illius forma: cum enim ipsa sit, quæ cæteras partes minus nobiles perficit, nobilitat, actuat, movet, &c. convenienter, ac propriissime dicitur forma; alia verò partes minus nobiles, & quæ sine prima veluti inertes sunt, specialissimo titulo materie nomen sibi retinent. Sic in homine anima rationalis, quæ tot totalis corpore est longè nobilior, propriissime est illius forma, per ipsam enim, & corpus, & compositum ipsum vivit, movetur, & perficitur, ab eademque nobilissimas recipit denominationes: corpus verò quod sine anima velut quid iners est, ac inane, materie nomen sibi retinet. Similiter in equo partes illæ, quæ subtiles, ac spirituosæ sunt, ac veluti vitæ flamma, in quorum motu equi vita consistit, jure appellantur forma equi, aliis interim partibus ignobilioribus materie nomen sibi retinentibus. Idem dicam in aliis compositis, licet fortè non in omnibus hæc specialis forma reperiat, de quo in Physicâ erit sermo.

Advertendum tandem est, ad hoc ut aliquid proprie dicatur materiale, necessum esse ut constet ex materia ex qua; id est, ut componatur ex partibus physicis, ex quibus eidem inexistens confurgat. Hinc neque Angeli, neque anima rationalis sunt materiales, cum partibus physicis careant, quibus componantur, sintque sim-

plices substantiæ; imò quatenus nihil habent in se quod non sit actiuum, sunt omninò formæ. Unde licet anima rationalis habeat materiam in qua recipiatur, nempe corpus, quod est subiectum illius, non exinde, nisi valde improprè appellari potest materialis, ad hoc enim opus erat ut materiam haberet ex qua eidem inexistentem componeretur: licet itaque sit pars materiæ hominis, quatenus nempe materia sumitur pro eo omni ex quo cum infit, aliquid fit; non tamen dici debet materialis, quia to *materialis* significat compositum ex partibus inexistentibus, quibus, ut dixi, anima rationalis omninò caret: in quibus, ni fallor, nulla apparet difficultas.

Ex his autem, quæ diximus de materia *ex qua*, colligitur apertè, ita esse communem ejus conceptum, ut etiam entibus spiritualibus creatis competere possit: si enim daretur compositum aliquod ex duobus entibus spiritualibus invicem unitis, ex quibus unum per se confurgeret, prædicta entia spiritualia in se considerata essent materia illius compositi; essent enim id ex quibus inexistentibus illud compositum confurgeret. Dixi *creatis*, nam si unum ex ipsis esset increatum, certè hujusmodi ens in nullo sensu appellari posset materia illius totius: cum enim ens increatum non sit pars, sed totum, omnem perfectionem formaliter, aut eminenter includens, claudit eminenter in se ens illud creatum, cui est unitum; exemplum habes in Verbo divino unito animæ Christi Domini: ergo totum confurgens ex prædictis, non nisi valde improprè appellaretur compositum ex partibus, sed potius suppositum ob rationem dictam lib. 2. Ratio itaque materiæ *ex qua*, præscindit à corporea, & incorporea, cui dubio procul consentit S. August. lib. 1. de *Genes. ad litt. cap. 4.* dicens: *Primum*  
*fit-*

*fiat informitas materia sive spiritualis, sive corporalis.* Idem dicit Auctor tract. de *mirabilibus Sacre Scripture, lib. 1. cap. 1.* qui licet Augustini non sit, habetur in ejusdem operibus. Nec dissentit S. Bonaventura dum lib. 2. sent. dist. 3. art. 1. quest. 1. & seq. eandem dicit esse materiam Angelorum, & corporum.

## PROPOSITIO VIII.

*Causa materialis, & formalis non sunt proprie cause.*

**R**atio est, quia causa (def. 2.) est principium dans esse alii, id est, rei, quæ aliud fit ab ipsa causa, seu ab ea realiter distinctum: sed causa materialis, & formalis non dant esse alii, seu rei, quæ sit aliquid ab ipsis distinctum: ergo non sunt proprie causa. Minor probatur, nam causa materialis, & formalis, seu materia, & forma, nullum alium habent effectum præter compositum, quod nempe per sui inexistentiam, seu communicationem conficiunt: sed compositum nihil est ab ipsis distinctum, quocumque tandem modo ex prædictis accipiatur materia, & forma: ergo, &c. Minor patet, nam si materia sumatur adæquatè, id est, pro iis ex quibus inexistentibus compositum fit; & forma etiam sumatur adæquatè, pro eisdem quatenus tali combinatione, ordine, aut unione inter se uniantur, nectuntur, &c. aperte patet compositum ab eisdem nullatenus distingui: similiter si materia sumatur pro parte ignobiliori; & forma pro nobiliori, & actuatori inter se unitis, nihil aliud etiam ab ipsis est compositum; nihil enim essentialiter præter prædicta includit: non ergo compositum est aliud à sui causa formali, & materiali: & consequenter istæ ex hoc capite à propria ratione causæ deficient.

## PROPOSITIO IX.

*A duabus causis materialibus, aut formalibus idem effectus causari non potest.*

**P**robatur, nam ut ex dictis in præced. prop. constat, causatum causæ materialis, & formalis ab eisdem causis entitativè non distinguitur. Sint itaque, si possibile sit, duæ causæ materiales totales ejusdem effectus, ita inquam duæ, ut una distinguatur ab alia; & ita totales, ut utraque seorsim causet totum effectum. Totum igitur hoc erit entitativè adæquatè idem cum illis: ergo cum ex hypothese, prædictæ causæ materiales sint duæ, & totales, causatum illarum erit adæquatè idem cum duabus distinctis: ergo ipsum non erit entitativè unum, sed duo, contra hypothesein: vel ex opposito causæ illæ non erunt duæ, etiam contra hypothesein: non ergo possunt duæ causæ materiales esse totales ejusdem causati. Idem dicam de causis formalibus.

## §. II.

*De causa finali.*

**N**omen istud *Finis* ex primæva sui impositione significat ultimum terminum cujuslibet rei: sic dicimus finem vitæ, finem anni, finem libri, fines agrorum, &c. Per translationem autem significat causam, propter quam aliquid fit, quæ & causa finalis à Philosophis appellatur, de qua in præsentī: hanc supra cum Aristotele diximus esse *id cuius gratià aliquid fit*. Est enim finis illud propter quod tamquam propter rationem allicientem, & motivam causa efficiens producit effectum. Quæ autem circa hujusmodi causam finalem occurrant dicenda breviter exponam.

## PROPOSITIO X.

*Varias finis divisiones explicare.*

**I.** **D**ividitur finis in *ultimum*, & *non ultimum*. Finis ultimus est ille qui non refertur ad aliud; sed in eò siscitur: seu qui propter se, & non propter aliud amatur: non ultimus appellatur ille, qui ad aliud refertur, seu qui talis est, ut non in eo sistatur, sed potius, licet propter ipsum aliqua amentur, ipse tamen amatur propter aliud: ubi vides, non esse propriè finem, cum agens in illo non quiescat. *Exemplum.* Vocat quis medicum, ut medicinam sumat, quam ideò appetit, ut sanitatem adipiscatur: sumptio medicinæ est finis, cujus gratia medicum advocat; non tamen est finis ultimus, cum ideò medicinam expetat, ut sanitatem consequatur. Sanitas verò est finis ultimus, quia in ea sistit, nec ad ulteriorem finem eam refert.

**2.** Finis ultimus dividitur in *ultimum simpliciter*, & *ultimum secundum quid*. Finis ultimus simpliciter est ille, qui per se, & ex natura sua ultimus est, qualis est Deus Opt. Max. summum bonum, & in se, & in nobis, omninò propter se amandus, & toto animo exquirendus, ita ut in eo uno cuncta nostra desideria tandem omninò quiescant: & ad quem studia omnia dirigi ita oportet, ut, si secus fiat, cuncta inordinata sint, & contra naturam ordinem perversa. Finis ultimus secundum quid est ille, qui ultimus tantum est in quadam appetitionum serie, quatenus videlicet in illa non propter alium appetitur: qualis est sanitas in exemplo superius allato.

**3.** Dividitur finis in finem *qui*, & finem *cui*. Finis *qui* est ipsum bonum propter se volitum; finis verò *cui* est persona illa, cui prædictum bonum desideratur. Sic

quoniam salutem mihi bonam desidero, medicinam fumo, ut eam adipiscar: salus est finis *qui*: ego verò ipse sum finis *cui*.

4. Finis *qui* dividitur in obiectivum, & formalem: finis *qui* obiectivus est obiectum illud, cuius possessio desideratur; formalis verò est ipsa possessio. Sic Deus est finis obiectivus, quia ejus possessionem appetimus; ejusdem autem possessio, seu fructio est finis formalis, sic appellatus, quoniam subiectum informat, quod tanta felicitate donatur.

Leve hic sese offert decidendum dubium, an videlicet finis *qui*; an potius finis *cui*, sit propriè finis. Ratio dubitandi est, quia ex una parte finis *qui* refertur ad finem *cui*, nam cum amo valetudinem, non ipsam propter ipsam nudè sumptam amo, sed propter me, qui prædictæ dilectionis sum finis *cui*: ergo finis *qui* potius habet rationem mediæ, quam finis. Deinde ex alia parte finis *qui*, exemp. gr. valetudo, habet in se bonitatem per se convenientem, & amabilem. Respondeo tamen, utrumque finem *qui*, & *cui*, si seorsim spectentur, esse propriè finem, ob rationes pro utroque superius adductas. Dixi *si seorsim spectentur*, quia si simul sumantur in una serie, non efficiunt nisi unicum finem ex utroque integratum: dum enim me ipsum amo, bonum illud expeto, quod mihi expedire judico; atque ad id omninò assequendum, media perquiro. Sic cum beatitudinem exopto; & Deum ut finem *qui*; & me ipsum ut finem *cui*, tamquam unum completum finem, & scopum mihi propono, ad quem feliciter assequendum, media quæ necessaria sunt inquirō.



## PROPOSITIO XI.

*Id quod finalizat, non est cognitio, vel amor finis, sed bonitas ejusdem.*

**R**atio est, quia id dicitur finalizare, seu causare in genere causæ finalis, cuius gratia aliquid fit ab agente: sed agens nihil facit propter cognitionem, aut amorem finis; sed propter illius bonitatem, quam cognoscit, & amat: ergo bonitas finis, non tamen ejus cognitio, aut amor, finalizat, seu causat in genere causæ finalis. Minor probatur, nam quando fumo pharmacicum propter valetudinem, quam cognosco, & amo; non illud fumo, ut valetudinem cognoscam, & amem; sed potius, ut valetudinem mihi jam cognitam, & amatam obtineam: ergo non cognitio, aut amor valetudinis; sed ejus potius bonitas est quæ finalizat, seu est id propter quod pharmacum sumitur.

Objicies 1. Aliquoties finis talis est, ut sit impossibilis: & consequenter nullam habet bonitatem: ergo causalitas hæc, seu finalizatio non provenit à bonitate finis. Resp. distinguens anteced. In casu prædicto nullam habet finis bonitatem realem, concedo; apparentem, nego: bonitas enim ut finalizans sit, sufficit ut talis operanti appareat: quemadmodum enim hoc sufficit ut illam appetat, sufficit etiam ut propter illam operetur.

Objicies 2. Causa non existens nequit causare: sed bonitas finis communiter non existit dum finaliter causat, seu finalizat; sed solum ejus cognitio: ergo cognitio finis est quæ finalizat; non verò bonitas ejusdem. Resp. negans majorem, universaliter enim accepta falsa est: finis enim, cum causet movendo agens ad suam productionem, & acquisitionem, necesse est ut moveat



antequam habeatur, aut sit productus: imò omnino sufficit, ut concipiatur ut habendus, licet de facto non habeatur. Verum quidem est, cognitionem finis esse conditionem, ut ajunt, sine qua non, ut finalizet; quod verò id præstat, est tantum ejus bonitas, sive realis, sive tantum apparens, & apprehensa, ut superius dixi.

## PROPOSITIO XII.

*Causalitas cause finalis est causalitas ipsius efficientis; sed ut agentis propter finem.*

**P**robatur, nam causa finalis, seu finis est id cujus gratia aliquid ab efficiente fit: ergo illud quod fit, non aliter à fine pendet, nisi quatenus producitur ab agente propter illum finem: ergo finis non aliter influet in illum, quod ipsius gratia fit, nisi quatenus agens illud facit ex amore dicti finis: sed illud, per quod agens formaliter agit ex amore finis, est ipsa causalitas efficientis propter finem: ergo causalitas causæ formalis est ipsa causalitas efficientis, non quidem utcumque, sed propter finem.

## PROPOSITIO XIII.

*Effectus causa finalis explicantur.*

**A**D pleniorum hujus rei intelligentiam supponendum est, multos esse actus, cum intellectus, tum voluntatis, qui versantur circa finem, de quibus potest in dubium verti, an sint effectus finis, quatenus est causa finalis. Primus est amor *simplicis complacentiæ*, qua videlicet voluntas sibi complacet in bonitate finis, sibi ab intellectu proposita. Secundus est desiderium efficax boni obtinendi, quod sibi propositum est, & hic quidem actus vocatur *intentio finis*. Tertius est consultatio mediorum: volens enim voluntas frui bono si-

bi proposito, in quo complacuit, imperat intellectui, ut media ad finem propositum assequendum inquirat, que mediorum inquisitio *consultatio* appellatur. Quartus est approbatio mediorum, quæ ad prædictam consultationem sequitur, dicique solet *consensus*. Quintus est actus qui vocatur *electio*, quo nempe voluntas ex pluribus à se approbatis mediis, ea eligit, quæ ad finem assequendum sibi potiora videntur. Sexto sequitur usus, seu executio mediorum, quibus tandem possessio finis obtinetur, & de cujus possessione gaudium reportatur, & quies.

Hoc supposito, dico ex his omnibus, si simplicem complacentiam, ac finis intentionem excipias, cætera omnia esse effectus causæ finalis, seu finis: nam illa omnia sunt ejus effectus, quæ ab agente fiunt propter finem: est enim finis id cujus gratia aliquid fit: ergo quod illius gratia fit, est ejus effectus: sed dempta complacentia, & intentione, cætera omnia fiunt ab agente gratiâ finis, seu propter finem: ergo omnia illa sunt ejus effectus. Minor patet, nam agens amore finis media consultat ad illud obtinendum, eisdemque approbatis, eligit, executur, &c. ergo omnia ista fiunt gratiâ finis. Quod verò neque simplex complacentia, neque intentio finis sint ejusdem effectus, etiam patet, nam omnis effectus finis procedit ex intentione finis: sed intentio finis non procedit ex intentione finis, ut est evidens: ergo non est ejus effectus: & multò minus complacentia, quæ, ut dixi, finis intentionem præcedit, poterit esse effectus finis.

Sed dices, bonitatem finis non solum movere ad electionem mediorum, verum etiam ad sui amorem, & desiderium: ergo non solum electio, ususque mediorum erit effectus finis, sed etiam ipsius amor, & vo-

452 TRACT. II. DE METAPHYSICÁ INTENT:  
litio. Resp. talem motionem non pertinere ad munus  
causæ finalis, sed generatim ad munus causæ obiectivæ,  
cujus causalitas reducitur ad efficientiam, quatenus  
nempe obiectum per speciem sui, simul cum potentia  
operativa talem motionem causat, quod generale est  
omnibus obiectis, cum tamen verè finis non sint.

#### PROPOSITIO XIV.

*Causa finalis est aliquo modo causa physica.*

**R**atio est, quia ejus causalitas est realis, & physica:  
est enim (12.) ipsa actio, seu causalitas causæ ef-  
ficientis: ergo in hoc saltem sensu, dici potest causa  
physica. Sed hæc sunt de nomine.

#### PROPOSITIO XV.

*Duæ causæ finales nequeunt se mutuo causare in gene-  
re causæ finalis.*

**P**robatur, nam si se invicem causarent in eodem  
genere causæ finalis, essent sibi invicem medium,  
& finis, ut est certum, ac patet ex definitione finis, &  
medij: sed hoc est impossibile: non enim A potest esse  
id quod fit propter B, si B fit id quod fit propter A:  
ut, quia sumptio medicinæ eligitur propter sanitatem, sa-  
nitas non appetitur propter sumptionem medicinæ, ut  
apprehendenti terminos est manifestum: ergo duo ne-  
queunt sese invicem causare in eodem genere causæ fi-  
nalis.

#### PROPOSITIO XVI.

*Possunt respectu ejusdem esse duæ causæ finales totales,  
& adequatæ.*

**C**ertum quidem est, eundem effectum posse fieri  
propter duos fines parciales, quorum vel altero  
deficiente, actus deficiat: exemp.gr. Possum petere Ro-  
mam

#### LIBER IV. CAPUT II.

453

tum propter sacras Apostolorum reliquias invi-  
sendas, tum propter negotia gerenda, ita ut si vel alte-  
rum desit, iter illud non arripiam, in quo nulla est dif-  
ficultas. Dubium verò est, an idem effectus fieri possit  
propter duos fines totales, & adequatos, ita ut si quod-  
libet ex illis remaneat, altero licet deficiente, idem om-  
nino fieret effectus.

Dico itaque eundem effectum posse habere duas cau-  
sas finales totales, & adequatas. Ratio est, quia, ut  
exemplo adlato utar, nulla est implicantia, ut testatur  
experientia, in hoc quod Romam petam, tum ad invi-  
sendas sacras reliquias, tum ad negotia: ita, inquam,  
dispositus, ut licet negotiis non urgerer, tamen Romam  
irem propter reliquias invisendas: & similiter licet ibi  
nullæ adessent invisendæ reliquæ, irem tamen propter  
negotia. In hoc ergo casu peregrinatio illa duas habe-  
ret causas finales adequatas, seu duos fines totales, cum  
ita ob duos illos fines exequatur ab agente, ut eodem  
modo exequeretur, licet uter illorum deficeret.

#### §. III.

*De causa exemplari, seu idea.*

**C**ausa exemplaris, ut dixi prop. 1. est id ad cuius  
instar aliquid fit: id est, ad cuius imitationem,  
& similitudinem aliquid fit, & idcirco vocatur *causa  
exemplaris, paradigma, seu exemplar*. Exemplar au-  
tem duplex est, nempe externum, & internum: exter-  
num est illud, ad cuius imitationem Artifex imperfe-  
ctus operatur, retinetque nomen commune exemplaris,  
aut prototypi. Internum est similitudo quædam intelle-  
ctualis rei faciendæ, seu conceptus ejusdem in mente  
formatus, ad cuius instar agens operatur, & appellatur  
*Idea*. Exemplar itaque externum, seu prototypus; &

internum, seu idea solum in hoc differunt, quod idea fit forma imitabilis habens esse solum in mente; prototypus vero fit forma imitabilis, habens etiam esse extra intellectum; huiusmodi autem exemplar externum non nisi remotè est causa exemplaris, quatenus nempe iuvat intellectum ad formandum exemplar internum, seu perfectam rei ideam, quæ est propriè causa exemplaris: ideoque de hac potissimum est nobis agendum.

## PROPOSITIO XVII.

*Quotuplex sit idea explicare.*

**I**dea alia est formalis, alia obiectiva: idea formalis est cognitio obiecti, ad cuius similitudinem, & imitationem suum opus fingit artifex. Obiectiva verò est prædictæ cognitionis obiectum: hoc autem obiectum est opus aliquod indeterminatum, ad cuius imitationem Artifex operatur: cum enim infinita opera similia esse possint, certè aliquod ex illis determinatum ab intellectu exprimi non potest; sed sicut sigillum infinitas illas imagines, quas in cera exprimere potest, indifferenter representat: ita idea, quæ in mente formatur, infinita propemodum opera similia exprimit, & eisdem ab agente efficiendis exemplar existit.

## PROPOSITIO XVIII.

*Solum idea obiectiva est causa exemplaris; non verò idea formalis.*

**P**robatur, nam illud exemplar est causa exemplaris, quod Artifex intuetur, quod cognoscit, & in quod animum intendit, tamquam in sui operis normam, & mensuram, ad cuius nempe imitationem opus exequatur, quod molitur: sed Artifex ut opus suum exequatur, non intuetur suum conceptum formalem, non illum

lum cognoscit, neque illum tamquam faciendi operis normam attendit, nec tandem imitatur in operis sui executione: sed tantum intuetur prædictæ cognitionis obiectum, ad cuius instar, seu imitationem opus suum exequitur: ergo idea obiectiva, non autem formalis, habet rationem causæ exemplaris. Præterea exemplatum, seu effectus causæ exemplaris, quod nempe ad instar huius factum est, est eidem causæ simile: sed non est simile cognitioni, seu ideæ formali, sed obiecto quod sibi in mente finxit Artifex, seu ideæ obiectivæ: ergo hæc, & non illa habet rationem causæ exemplaris.

Ut autem facilius occurramus iis, quæ obijci solent, iuvat aliqua breviter adnotare. 1. Ideam formalem, seu cognitionem conditionem esse sine qua idea obiectiva, seu exemplar, opus non dirigeret: non enim aliter exemplar potentiam in agendo regit, nisi quatenus intellectus in exemplar intentus, potentie effectrici quasi facem præbet, ut ad instar illius, quod in mente inspicit, operetur. 2. Tria hæc distinguenda esse, & nullatenus confundenda, nempe *Artem, Artificium, & Artefactum*. *Ars* est cognitio artificii, eaque non obiectivè, sed effectivè operatur, juxta communem ejus definitionem, juxta quam *Ars* est habitus cum vera ratione effectivus. *Artificium* est obiectum Artis, rectaque operis ratio: unde causa exemplaris, seu exemplar, aut est artificium ipsum, aut illud includit, nihil enim aliud videtur esse exemplar, nisi opus, ut cognitum in communi, cui recta inest ratio, seu dispositio. *Artefactum* verò est opus Artis, ab ipsa, & à causa exemplari procedens. His prænotatis, nullo ferè negotio sequentes obiectiones solvantur.

Objicies 1. Idea obiectiva est opus, seu artefactum

cognitum : ergo si idea obiectiva esset causa exemplaris prædicti operis, idem opus esset causa exemplaris sui ipsius, se ipsum imitaretur, & à se ipso dirigeretur : sed nihil potest esse sui ipsius causa exemplaris ; nihil enim potest se ipsum imitari, aut à se ipso dirigi : ergo idea obiectiva, seu opus, & artefactum cognitum, non est causa exemplaris. Resp. distinguens primam consequentiam ; idem opus esset causa exemplaris sui ipsius secundum eundem statum, nego : juxta diversos existendi status, concedo : & distincta similiter minori subsumpta, nego consequentiam. Dico itaque idem opus, aut artefactum in statu obiectivo esse causam exemplarem sui ipsius, & se ipsum dirigere in statu physico, reali, & entitativo : sic domus in esse entitativo ponitur ab Artifice, & extruitur ad imitationem illius, quam in mente sibi confinxit, & expressit : quemadmodum enim finis in intentione, est causa finalis sui ipsius in executione : sic idea obiectiva, seu obiectum cognitum est in esse obiectivo causa exemplaris sui ipsius in esse entitativo.

Obijcies 2. Quod dirigit Artificem, pertinet ad causam efficientem, nam, ut diximus, Ars est habitus cum vera ratione effectivus : sed idea, quæ causa est exemplaris, dirigit Artificem : ergo idea quæ est causa exemplaris, ad causam efficientem reducit, & non tantum ad obiectivam : sed idea obiectiva solum obiectivè causat ; formalis verò, effectivè : ergo idea formalis, non obiectiva, est causa exemplaris. Resp. distinguens majorem, quod dirigit effectivè operantem pertinet ad causam efficientem, concedo : quod dirigit obiectivè, nego. Et distinguo minorem, idea quæ causa exemplaris est, dirigit Artificem efficienter, nego : obiectivè, concedo : & nego consequentiam. Tota responsio constat ex dictis.

Ob-

Obijcies 3. Idea divinæ non sunt obiecta cognita, sed ipsa cognitio divina : atqui ideæ divinæ sunt causæ exemplares creaturarum : ergo cognitio, seu idea formalis est causa exemplaris ; non verò obiectiva. Resp. negans majorem sic absolutè prolatam : Deus enim cum quodlibet opus ad extra molitur, ab æterno illo exemplari dirigitur, seu ab illo obiecto, quod in mente gerit : ut optimè cecinit Boëtius *lib. 3. consol. Phil. metro 9.*

*Tu cuncta superno*

*ducis ab exemplo : pulchrum pulcherrimus ipse  
mundum mente gerens : similique imagine formans.*

Hicque est mundus archetypus, ad cuius instar adspectabilem hunc mundum condidit Deus, cum sane mirabili creaturarum varietate, & ordine. Quodnam autem sit supernum istud exemplar, explicat S. Thom. *1. part. quaest. 15. art. 2.* dicens : *In quantum Deus cognoscit essentiam suam ut sic imitabilem à tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem, & ideam hujus creaturæ.* Sed hæc non sunt hujus loci.

## PROPOSITIO XIX.

*Causalitas causæ exemplaris est ipsamet causalitas causæ efficientis, quatenus pendens ab exemplari.*

Hæc prop. eodem modo probatur, quo in prop. 12. probatum fuit, causalitatem causæ finalis esse ipsam causalitatem efficientis, quatenus agentis propter finem : nec opus est hic amplius immorari.

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

PRO-



## PROPOSITIO XX.

*Causa exemplaris est aliquo modo causa physica.*

**P**Robatur eadem ratione, qua simile quid probavimus de causa finali prop. 14. Causalitas enim causæ exemplaris est (19.) eadem causalitas causæ efficientis, quæ physica est: ergo in hoc sensu causa physica potest appellari.

## PROPOSITIO XXI.

*Due cause exemplares remotæ, seu duo exemplaria externa, possunt esse totales respectu ejusdem exemplati.*

**R**atio est, quia duo exemplaria externa inter se omnino similia possunt per eandem potentiam exequentricis actionem, quam dirigunt, in idem opus influere. Quorum enim implicat pictorem sibi proponere duas imagines prototypas, illasque simul intueri, ut eas imitetur, suamque imaginem, cuilibet ex illis similem depingat. Dixi *duo exemplaria externa*; secus enim asserendum videtur de internis: non enim satis concipi potest, qualiter in ejusdem Artificis mente esse possint simul, & semel binæ idæ adæquatę ejusdem operis solo numero diversę: hæc enim numerica distinctio, neque ex subiectis desumi potest, quia unum, & idem est; neque ex temporibus diversis, quia simul supponuntur existere.

## PROPOSITIO XXII.

*Dua cause exemplares non possunt sibi esse mutua causa exemplares.*

**P**Robatur eadem ratione, qua prop. 15. idem de cau-

causa finali probatum est, nam hujusmodi causę essent sibi mutua exemplar, & exemplatum, quod est impossibile: nam exemplar aliquo modo prius est exemplatum: ergo si exemplatum ipsi suo exemplari esset exemplar, esset illo prius, & consequenter se ipso: esset ergo prius, & posterius se ipso eodem modo, & secundum idem: non ergo possunt duę causę exemplares sibi invicem in hoc eodem genere esse causę.

## §. IV.

*De causa efficiente.*

**D**E causa tandem efficiente, quę omnium nobilissima jure censetur, nunc paulo uberius differendum est: ipsa siquidem est, quę proprię agit, ac physice influat in effectum: ideoque ejusdem notio ad ea, quę in scientia præsertim naturali, pertractanda sunt, proculdubio potissimum conducit.

## PROPOSITIO XXIII.

*Causę effectricis notio explicatur.*

**A**Rist. 2. *Physic. cap. 3.* sic causam effectricem definit, *id unde est primum principium mutationis, aut quietis.* Hęc definitio convenit quidem causis creatis, ac physicis, quę nempe agunt immutando materiam; non verò convenit causæ creati, quæ non agit immutando materiam; nulla siquidem est in creatione mutatio; sed potius de novo productio: quæ enim mutantur, certè ante mutationem jam erant, licet sub diverso statu. Ut itaque causæ definitio etiam creati, quæ potissima causa effectrix est, conveniat, sic eam expono. Causa effectrix est *principium dans esse alii agendo*: seu defaciatius, est *principium à quo aliud accipit esse.* *To principium* genus est, cæteris etiam causis

fit ab effectrice distinctis cōueniens; to verò à quo aliud accipit esse differentia est, qua causa efficiens à ceteris differt: illud enim à quo est proprius hujus causæ caracter: quemadmodum propter quod, finalis; ad instar cuius, exemplaris: ex quo, causæ materialis; & quo, formalis, ut jam alibi dixi.

## PROPOSITIO XXIV.

*Causæ effectricis præcipuas divisiones explicare.*

**C**ommuniores causæ effectricis divisiones sunt sequentes. 1. Dividitur in primam, & secundam: causa prima est illa, à qua omnes dependent; ipsa verò à nulla: hæcque est Deus Opt. Max. Causa secunda est, quæ ab alia dependet, scilicet à prima, tum in essendo, ut ajunt, tum in operando.

2. In creantem, & generantem: creans est, quæ effectum ex nihilo producit. Generans verò, quæ ex præsupposito subiecto; de quibus latè suo loco.

3. In liberam, & necessariam: libera est, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere, & non agere: talis est humana voluntas. Necessaria verò est ea, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, non potest non agere; de his etiam postea.

4. In principalem, & instrumentalem: principalis est ea, quæ per propriam virtutem operatur. Instrumentalis est, quæ non propria virtute, sed aliena operatur. Unde non aliter dicitur agere, nisi quatenus movetur à principali. Sic ferra dicitur causa instrumentalis, quia non agit nisi quatenus ab Artifice movetur, qui principalis causa est, quia propria virtute operatur.

5. Causa instrumentalis alia est conjuncta, alia separata: conjuncta est, quæ unitur cum principali, qualiter manus est animæ instrumentum, hocque conjunctum, quia

quia animæ est unitum. Separata est, quæ non unitur cum principali, ut ferra.

6. Causa principalis alia est univoca, & alia æquivoca: univoca est, quæ producit effectum ejusdem speciei, ut homo, qui generat hominem; & leo, leonem. Æquivoca est, quæ producit effectum diversæ speciei, ut Sol qui in terræ visceribus dicitur producere aurum.

7. Dividitur etiam causa in illam cujus actio est immanens; & illam cujus actio est transiens. Transiens est, quæ aliquid extra se producit, ut Sol, aurum. Immanens est, cujus actio ita in ipsa causa terminatur, ut terminus illius actionis maneat in ipsa causa tamquam in subiecto receptus: sic intellectus dicitur producere immanenter suos actus, qui in ipso manent, ac recipiuntur. Hæc autem non dicitur proprie efficere, sed potius agere, unde nec proprie appellatur causa efficiens.

8. Dividitur causa in universalem, & particularem: illa est quæ ad plures specie effectus habet indifferentem ex se virtutem. Particularis verò, quæ ad unam speciem effectus determinata est.

9. Tandem dividitur causa in totalem, & partialem: totalitas autem hæc, & partialitas attendi possunt, vel ex parte effectus, vel ex parte causæ. Causa totalis ex parte effectus est illa, quæ totum effectum producit; partialis verò, quæ aliquam ejus partem tantummodo efficit. Causa autem totalis ex parte ipsius causæ est illa, quæ sola absque alterius adminiculo producit effectum: & etiam est collectio omnium causarum, quæ aliquem effectum producant: partialis verò est illa, quæ cum alia concausa producit effectum. Sic cum causa A, & causa B simul producant effectum, neutra ip-

462 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
ipsarum est causa totalis, sed partialis illius effectus:  
utraque autem simul est ejusdem causa totalis.

PROPOSITIO XXV.

*Non solum causa prima, verum & secunda aliquid agunt, & efficiunt.*

**N**on desuere inter Philosophos, qui omnem activitatem creaturis denegarent, putantes Deum se solo cuncta operari in praesentia creaturarum; alii vero mitius procedentes asseruere corporales quidem creaturas non posse aliquid agere, bene vero spirituales. Ut autem, quid in hac re dicendum sit, melius ostendam, suppono aliquod esse discrimen inter agere, & efficere: licet enim agere universaliter soleat usurpari, ita ut dicatur de omni causa, cum immanente, tum transeunte; proprie tamen de sola immanente dicitur agere, ut in praeced. prop. dixi. Efficere autem nullatenus immanenti, sed solummodo transeunti convenit. Quo supposito.

Dico 1. Creaturas re vera agere. Probatur 1. Nam homo est liber: sed libertas consistit in eo quod homo possit agere, & non agere: ergo homo potest agere, & re vera agit: nec posset consistere libertas, si solus Deus in praesentia hominis ageret, non autem homo: imò nec posset ostendi quomodo Deus non esset auctor peccati, si dum homo peccat, ipse nihil ageret, sed solus Deus in ejus praesentia. 2. Quid mihi notius, quam me cognoscere, dubitare, amare, aliosque actus vitales exercere, qui immanentes sunt? ergo creaturae saltem aliqua verè agunt.

Dico 2. Creaturae verè aliquid efficiunt. Probatur 1. Ex quamplurimis Sacrae Scripturae locis, in quibus diversae productiones creaturis tribuuntur. Sic Genes. 2.

*Germinet terra herbam virentem facientem semen. Et Marci 4. Terra fructificat primo herbam. Et similiter in aliis locis.*

Probatur 2. ratione, quia frustra creaturis praesertim corporalibus datae essent à Creatore diversae facultates, & potentiae, nisi per illas aliquid operarentur: ad quod enim in viventibus tam mirabilis organorum structura, si illorum ope nihil agunt, sed solus Deus in illorum praesentia? Certè aequè posset Deus eadem, & alia innumera praestare, praedictis organis existentibus, sive non existentibus. Imò in praefata hypothesis, quodlibet esset indifferens ad quodlibet producendum: quod enim vetat Deum in cujuslibet creaturae praesentia quodlibet producere?

Probatur 3. experientia: videmus enim Artifices artefacta producere: canes latrare, &c. absurdum autem est dicere solum Deum artefactum illud in praesentia Artificis construere; & canem non latrare, sed Deum in conspectu illius sonum illum, seu latratum efficere.

Probatur 4. Nam tam miram rerum varietatem, quam in hoc visibili mundo cernimus, non produxit Deus, ut omninò res essent otiosae: sed potius, ut mutua earumdem actione hujus universi perfectio, & harmonia contineretur. Praeterea exuberantem Dei benignitatem omninò decebat, ut quemadmodum rebus creatis id tribuit ut aequalem divinae essentiae similitudinem acciperent, illud quoque eisdem tribueret, ut ejus activam vim pro suo quaque modo participarent. Sed contra hac aliqua sese offerunt dissolvenda.

Objicies 1. Nullum est fundamentum, nullave convincens ratio creaturas aliquid efficere: ergo id non est asserendum. Probatur antec. Si aliquid esset fundamentum, maximè illud, quod positum videlicet, & applicatis

catis his, vel illis causis, semper hi, vel illi sequuntur effectus: hanc autem rationem insufficientem prorsus esse, & inanem, inde patet, quod pleraque sint in natura corporea, quibus aliqui tribuuntur effectus, eo quod iis applicatis, semper effectus illi sequantur, cum tamen ea non sint vera illorum causa, nisi fortè improprie talis, & ut communiter asseritur, per accidens. Præterea licet Deus, ut omnium consensu potest, causarum omnium influxus suppleret, tamen omnes effectus, quos cernimus, ad eas causas perinde referre possemus, ac nunc referimus: quorum ergo colligimus, prædictos effectus à causis illis effici, & non potius à solo Deo, præcipue cum æque unum, ac aliud componi possit cum his, quæ sensu percipiuntur, & experimur. Resp. negans anteced. ad ejus autem probationem dico, posse quidem effectus quamplurimos à solo Deo fieri in præsentia creaturarum: colligimus tamen maximo cum fundamento, fieri etiam à creaturis, concurrente cum ipsis Deo, ex eo quod plus ejusdem bonitas, ac magnificentia in creaturas commendetur, si eisdem etiam aliquam agendi, & efficiendi vim contulerit, quam si easdem inertes, & omni agendi virtute destitutas reliquerit.

Objicies 2. Quod perfectius est, id certè Deo tribuere debemus: sed perfectius est effectum se solo producere, quam cum alterius adminiculo: ergo id Deo tribuendum est: & per consequens solus Deus omnia producit. Resp. distinguens min. Perfectius est se solo producere, & sine adminiculo, si adminiculum advocetur propter indigentiam, concedo: si tantum propter bonitatem, & munificentiam, qua agendi vis etiam aliis conferatur, nego: & ob hanc rationem, ut supra diximus, agendi vim creaturis contulit Deus, ut etiam ipse,

con-

concurrente tamen cum eis Deo, aliquid efficerent. Alia objici possunt, nec solutu omninò facilia, quæ si nunc pro dignitate essent dissolvenda, quamplurima ex Physicis huc forent advocanda, quæ idcirco eo loci opportuniùs relinquimus exponenda.

## PROPOSITIO XXVI.

*Causæ secundæ agunt per potentias, & virtutes à se realiter, & entitativè indistinctas: ideoque substantia est immediatè operativa.*

**C**Ausas secundas non esse immediatè operativas, sed agere per potentias ab earumdem substantia realiter distinctas, eidemque superadditas, docent omnes Thomistæ, quibus adhæret aliqui ex Schola Societatis Jesu, ut Toletus, Vazquez, Fonseca, & alii, quibus adhæret P. Honoratus Fabri *lib. 7. Metaph. prop. 47.* asserunt enim, substantiam creatam non esse rationem proximam, & immediatam agendi, sed solum radicalem, & mediis potentiis accidentalibus, quæ sunt illius proxima virtus agendi. Oppositum tenent cum subtili Scoto in *1. dist. 34. quæst. unica*, quamplures Philosophi, cum antiqui, tum neoterici, quibus mihi standum videtur.

Dico itaque, causas secundas agere per potentias ab ipsa earumdem substantia realiter indistinctas. Ratio est, quia substantia creata est natura, quatenus est principium, & causa suarum operationum, ut alibi diximus, juxta solemnem illam naturæ definitionem ab Aristotele adsignatam *lib. 2. Physic. cap. 1.* nempe *Principium, & causa motus, & quietis ejus in quo est primo, & per se, & non ex accidenti*: ergo substantia creata, quatenus est principium, & causa suarum operationum, quatenus est natura: sed non est natura per aliquid à se

Copt. Phil. Tom. I.

Gg

rea-



realiter distinctum : ergo non est principium , & causa per aliquid à se distinctum : sed constituitur in ratione causæ per potentias , & virtutes , quibus effectus producit : ergo hujusmodi potentia , & virtutes à substantia causæ creatæ realiter non distinguuntur. Min. probatur , nam si substantia esset natura per aliquid à se distinctum , per accidens esset natura , per accidens enim esset principium , & causa ; illud enim quo in ratione causæ , seu principii constituitur , eidem substantiæ accidentaliter conveniret : quod adverfatur diffinitioni Aristotelicæ supradictæ , quatenus ait naturam per se esse principium , & causam , & non ex accidenti.

Dices , causam secundam , seu ejusdem substantiam , esse naturam ; licet enim non sit principium proximum , & formale motus , & quietis , est tamen prædicti motus , & quietis principium radicale , & mediatum , quatenus nempe mediantibus his , suas elicit operationes. Sed contra , nam substantia nequit esse principium radicale , & mediatum motus efficiendi per potentias , quin sit principium formaliter proximè , & immediatè activum respectu suarum potentiarum : ergo substantia saltem est immediatè operativa respectu illarum : sed si hoc ita sit , facile convincam potius debere esse principium immediatum suarum operationum : ergo substantia causæ secundæ est immediatè operativa. Antec. sic probò cum P. Maignan : nam esse principium radicale , & mediatum respectu motus efficiendi per potentias , vel est esse formaliter , & proximè causam , quod hujusmodi potentia sint , vel est esse formaliter , & proximè causam quod dictæ potentia agant : atqui esse formaliter , & proximè quod potentia sint , vel agant , est esse principium formaliter , & proximè activum respectu potentiarum : ergo substantia nequit esse principium radicale ,

seu radicaliter activum respectu motus efficiendi per potentias , quin sit principium formaliter , & proximè activum respectu potentiarum.

Hujus syllogismi minor est satis perspicua , substantia enim non potest aliter esse formaliter , & proximè causa , quod potentia sint , vel agant , nisi agendo , aut faciendo ut sint ; aut agendo , seu faciendo ut agant ; quorum quodlibet evidenter est esse principium formaliter , & proximè activum respectu potentiarum. Probatur itaque prædicti syllogismi major , nam principium radicale , & mediatum est principium principii proximi , & immediati ; sicut & causa radicalis , & mediata , est causa causæ proximæ , & immediatæ , juxta communem causam , aut principii remoti definitionem : ergo esse principium radicale , & mediatum motus efficiendi per potentias , est esse causam quod potentia sint , vel agant. Consequentia patet , nam causam remotam , seu mediatam esse principium proximæ , vel est esse causam existentie ejus , ita ut illi tribuat esse , faciendo ut sit : vel est esse causam actionis ejus , nempe agendo in eam , ut ipsa agat : ergo esse principium mediatè activum respectu motus efficiendi per potentias , est esse proximè causam , vel quod hujusmodi potentia sint , vel quod eadem potentia agant. Concludendum itaque est non posse substantiam esse principium radicale , & mediatum motus efficiendi per potentias , quin sit formaliter , proximè , & immediatè principium activum respectu suarum potentiarum.

Dixi *immediatè* , nam si diceretur esse principium mediatum suarum potentiarum , certè tale esset , quia mediaret alia potentia , de qua idem omnino rediret argumentum , & procederemus in infinitum : est itaque substantia immediatum principium suarum potentia-

rum: cur ergo non est potius asserenda principium immediatum suarum operationum, ita, ut per potentias à se realiter indistinctas, prædictas operationes, seu motus efficiat.

Potest forsitan aliquis asserere, potentias non effici activè à substantia causæ, cujus sunt potentiæ, ut nos supposuimus, sed in ea effici à generante. Sed si hoc ita sit, nescio qualiter in hac hypothese possit substantia dici verum principium, & causa motus, seu operationum, neque mediata, neque immediata, cum nullatenus sit principium, neque potentiarum, neque actionum earumdem. Respondebit aliquis verè dici substantiam agere per prædictas potentias, sed denominativè: potentiæ enim licet sint à substantia distinctæ, sunt tamen ejus: unde illarum effectus meritò tribuuntur substantiæ agenti per illas. Sed contra, nam, ut aliquid dicatur causa, adhuc remota alicujus effectus, non sufficit quod causa proxima illius sit aliquid pertinens ad remotam, titulo solummodo possessionis; sed insuper requiritur aliquis influxus remotæ in proximam, aut in ejus actionem: ut in moralibus patet: nemo enim prudens dicet, me ullo modo esse causam homicidii, eo solum quod servus, qui meus est, illum commiserit, dummodo ego aut mandatum, aut consilium eidem non dederim; aut non impediverim cum possem: ergo similiter nullo modo esset substantia causa operationum per potentias illas, eidem à generante præstitas, solumque in ea passivè receptas.

Si demum quis recurat ad illas præclaras voces *pullulandi, resuitandi, emanandi, &c.* asseratque potentias pullulare, recultare, & emanare à substantia, seu essentia causæ secundæ, ideoque esse causam mediatam effectuum illarum potentiarum: si, inquam, id adverfa-

rius asserat, reponam & ego, vel per eas significari alicquem influxum substantiæ in illas potentias, vel non: si influxum denotent, certè substantia erit ex hoc capite immediatè operativa respectu potentiarum; si id non significent, nullo modo erit causa, nec mediata, nec immediata suorum effectuum ob rationem prædictam.

Ex dictis itaque satis, ni fallor, constat, potentias per quas substantia creata operatur, non distingui realiter entitativè ab ipsa. Pleraque tamen potentias, seu virtutes esse modos substantiæ, suo loco patebit, quæ consequenter distinctione illa, quam modalem appellant, qualiscumque tandem illa sit, à substantia, cui adherent, distingui, non inficiabor.

## PROPOSITIO XXVII.

*Causa efficiens remota non est propriè causa efficiens physica effectus, respectu cujus dicitur causa remota.*

**C**AUSA proxima efficiens est, quæ per suam entitatem, & virtutem producit effectum: causa verò alicujus effectus remota est, quæ solum dicitur causa, quatenus est causa causæ proximæ productivæ illius effectus. Dico itaque causam efficientem remotam non esse propriè causam physicam effectus remoti. Ratio est, quia ipsa verè illum effectum non producit, neque in illum verè, & physicè influit: non enim influxus ille, qui causæ primæ est immediatus, & solum mediatum respectu remotæ, est hujus causæ verus influxus, cum, hac ablata, & remanente causa proxima, influxus ille adhuc persistat. Sed hæc sunt de nomine; communiter enim effectus causæ etiam remotæ tribuitur, juxta illud *quod est causa cause, est causa causati.*

## PROPOSITIO XXVIII.

*Causa efficiens, ut agat, requirit coëxistentiam cum suo effectu.*

**D**ico causam efficientem proximam necessariò requirere coëxistentiam cum effectu, ut illum producat. Ratio est, quia id quod non est, nihil potest producere: ergo causa, quando non est, effectum producere nequit: ergo necesse est, ut effectum producat, eidem coëxistere: necessariò itaque requirit coëxistentiam cum effectu. Dixi causam proximam requirere, ut agat, coëxistentiam cum effectu; quia remota, cum propria causa non sit, (27.) nihil mirum quod hujusmodi existentiam non requirat. Sic ignis A intra conclave accensus, per inclusum aërè spiritus igneos diffundit, qui, igne prædicto extincto, ibidem remanentes, mē calefaciunt, cujus calefactionis causa remota proculdubio est ignis A, qui jam non existit.

Sed objicies. Ad hoc ut causa efficiat effectum, sufficit ut existat secundum virtutem, estò non existat secundum suppositum: sic quercus quamvis combusta jam sit, novam quercum generare dicitur, quia licet jam non existat secundum suppositum; existit tamen secundum virtutem, quatenus nempe hæc virtus residua est in glande: ergo causa efficiens, licet jam non existat, suum effectum valet producere. Sed resp. negans antecedens, si de proxima causalitate loquamur, quæ propriè talis est: prior enim quercus est dumtaxat causa remota secundæ; hujus enim causa proxima est glans, in qua residet virtus.



## PROPOSITIO XXIX.

*Causa efficiens nequit agere in distans, quin aliquid agat in medio.*

**D**uplex in causis distingui debet præsentia, seu contiguitas respectu loci ubi producunt effectum. Prima est contiguitas suppositi, cum nempe causa, cui effectus tribuitur, est immediatè passo contigua secundum suam entitatem. Secunda est contiguitas virtutis, cum videlicet causa, cui effectus tribuitur, est quidem à passo remota secundum suam entitatem; virtus tamen illius, veluti per medium diffusa, ad passum usque pertingit. Quo supposito.

Dico, omnem causam efficientem ad agendum requirere, saltim naturaliter, præsentiam aliquam, quæ nempe passo contigua sit, vel immediatione suppositi, vel saltim immediatione virtutis: & per consequens, non posse agere in distans, quin aliquid agat in medio. Probat. 1. Nam omnino videtur inintelligibile, qualiter aliquid causa esse possit effectus in passo producti, si neque per se, neque per suam virtutem, passum attingat; si enim passum nullo modo attingit, neque effectum attingere poterit.

2. Quia si causa, quæ dicitur agere in distans, nihil per medium in passum distans immitat, cerè eodem modo se habebit respectu illius, cum causare dicitur, ac antea se habebat: adeoque non magis tunc causabit, quam prius. 3. Si posset causa causare in distans nihil agens in medio, cerè posset agere in quantamlibet distantiam; nulla enim poterit discriminis ratio assignari, cur in minori distantia possit effectum illum producere, & non in majori: si enim continuata virtutis per medium diffusio ad ejus causalitatem impertinens sit, cerè

te etiam quævis, quantumvis magna, distantia, impertinens erit, ut causalitatem impediatur: sed experientia testatur agentia naturalia determinatam habere suæ activitatis spheram: ergo cum agens agit in distans suam virtutem diffundit per medium. Præterea nulla esset assignabilis ratio, cur eadem agentia naturalia, adhuc intra ambitum spheræ suæ activitatis, si aliquid in medio obstans interjiciatur, effectum non producant, ut patet in Sole, cujus illuminatio, interjecto opaco, impeditur: si enim ab ipsis nihil diffunditur per medium, cur eorum causalitas interdicitur?

4. Probatur speciatim de causis corporeis: ut enim in Physica generali probabitur, non aliter agentia corporalia agunt, nisi movendo localiter: cum enim eorum actio sit tantum productio ex subiecto inexistente, non est alia eorumdem actio, quam motio localis partium subiecti, quatenus hoc, vel illo modo ordinantur, combinantur, necuntur, &c. sed actio movendi localiter, seu motio localis supponit, illud, cui immediatè convenit movere, esse applicatum mobili contactu physico immediato: ergo agentia corporea, ut agant, oportet esse contigua passo contactu physico, & immediato; ideoque in localiter distans agere nequeunt.

Adversus nostram assertionem aliqua obijciuntur, quorum solutio apertius in Physica patebit, supponunt enim rerum naturalium agnitionem: breviter tamen nunc præcipua recensco.

Objicies 1. Corpora cælestia in remotissimis terræ recessibus metalla producant. Resp. Id agere mediis influentibus, quæ nihil sunt præter tenuissimorum corpusculorum profusiva, quæ per medium delata, in mari præfertim recipiuntur, à quo ope fluxus, & refluxus, intra abdita terræ viscera inducuntur, in cujus officinis ope ignis

ignis subterranei metalla elaborantur.

Objicies 2. Basiliscus solo aspectu interficere, & vetula fascinare infantes dicuntur. Resp. Si hoc verum sit, idè esse, quia basiliscus ex oculis venenata corpuscula per medium mittit. Idemque dico de vetula: ex massa enim sanguinis menstrui, ita pestilens exurgit corruptio, ut maligni halitus inde erumpentes, in tenero puerorum cerebro investit, exitialem illum effectum producant: non ergo hæc quicquam in distans agunt, quin etiam per interjectum aëra aliquid operentur.

Objicies 3. Magnes ferrum distans movet, ut testatur experientia. Sed resp. Id provenire à vi magnetica per medium diffusa, quæ in quodam subtilium corpusculorum effluvio consistit, de quo suo loco: interim vide quæ in *Compend. Mathem. dixi tract. 24. lib. 1. cap. 3.*

Objicies 4. Unguentum sympaticum, atque etiam ejusdem nominis pulvis, distanti agro sanitatem conciliat: ergo agunt in distans, quin agant in medio. Resp. Omnia prædicta vel nihil omninò agere, aut certè, si aliquid agant, effectum non esse naturalem: sæpe enim hujusmodi sympathiæ, quibus mirifici effectus solent attribui, aniles fabulæ sunt, ut ait Mousnerius, quibus antiqua Philosophia nimis credula fides fecit. Verùm hæc in Physica diligentius pertractabo.

Objicies 5. Quamplurima alia prædictis similia. 1. Lupi conspectus raucedinem adfert. 2. Torpedo manum piscatoris distantem stupidam reddit. 3. Lebetis fundum friget, licet aqua in ipso contenta calefiat. 4. In charta oleo imbuta aqua fringuntur. Resp. ad primum, plerumque secus occidit, & si quandoque accidit, id vel ex immodico clamore, vel ex inopino timore procedere. Ad secundum dico, si verum sit, stuporem illum



illum fieri à frigidissimis corpusculis, quæ à torpedine distillant, & per rete, & arundinem piscatoris brachium subeunt. Ad tertium pro nunc dico, igneos spiritus, qui per lebetis poros transeunt, aquam ingressos, ibidem colligi, eamque calefacere; in lebetis autem fundo non ita colligi; prohibetur enim eorum collectio ab illo primo humoris rarefacti quasi profluvio, ideoque calorem sensibilem eo loci non experiri. Sed hæc tantum digito nunc quasi attigisse sufficiat, suis enim locis fusè pertractabuntur:

Objicies 6. Quando quis malleo percutit aliquid corpus, malleus tangit corpus illud secundum ultimam sui tantum superficiem: sed omnes illius partes agunt in illud corpus percussum; quo enim crassior est, eo majorem ictum infert: ergo hujusmodi partes agunt in distans, & non per medium. Resp. Omnes mallei partes agere actione communi; sive per modum unius, ita ut omnes unam causam totalem constituent, ut, cum de percussione vi tractabimus, satis patebit.

Objicies 7. Si causa non possit agere in distans, sequeretur corpora in agendo nobiliora fore intelligentiis. Sequela probatur: corpora enim agunt licet non sint passo præsentia contiguitate suppositi, cum nempe, ut diximus, virtutem aliquam per medium diffundunt; intelligentiæ verò nequeunt ex se effluvia aliqua diffundere, quibus ad passum usque earum virtus deferatur: non ergo poterunt agere nisi ubi fuerint præsentés immediatione suppositi: cum corpora agere valeant, non modo immediatione suppositi, verum & immediatione virtutis. Resp. 1. Intelligentias posse varios motus in medio corporeo imprimere, sicque agere in distans. Resp. 2. Tantam esse intelligentiarum velocitatem, ut maximè superet velocitatem effluviolorum, qui à corpo-

ribus emittuntur, quæ quidem velocitas proculdubio præfatam effluviolorum emissionem compensat. Imò in hoc perfectius agere omninò censendum est; perfectius enim est eisdem effectus agere immediatione suppositi, quam immediatione sola virtutis: primò enim modo, effectus proprie, ac physicè tribuitur supposito; non verò secundo: sic calefactio tribuitur communiter igni distanti, cum tamen, si res attentè, ut par est, perpendatur, potius tribui debeat igneis spiritibus in manum immisissis; hi enim solum proximè, & per se agunt, ut suo loco patebit.

## PROPOSITIO XXX.

*Nequit idem esse causa effectrix sui ipsius secundum idem esse; bene verò secundum diversum.*

**P**Rima pars demonstratur, nam causa debet esse prior natura suo effectui: sed idem secundum idem nequit esse prius natura se ipso: ergo idem nequit esse sui ipsius causa secundum idem esse. Minor est evidens, nam quod prius est alio, potest esse sine illo, quod sibi est posterius, cum ab hoc non dependeat: sed idem non potest esse sine se ipso: ergo nequit secundum idem esse se ipso prius. 2. Quia causa, ut agat, debet præsupponi existens, cum prius sit esse quam operari: sed quod producitur non præsupponitur existens ad ejus productionem: ergo idem quod producitur, nequit esse illud idem quod producit; aliter enim præsupponeretur existens ad ejus actionem, & simul non præsupponeretur existens, quod implicat: seu, quod in idem recidit, præsupponeretur existens antequam esset, quod est absurdum: ergo idem secundum idem nequit se ipsum producere. Hinc nihil potest sibi primum esse tribuere.

Hinc etiam tritum illud axioma: *Omne quod fit ab alio fit.*

Secunda pars videlicet posse aliquid se ipsum efficere secundum diversa, probatur: nam vivens dum humorem alimentitium attrahit, sibi que unit, partem illam per nutritionem, sive adgenerationem, ita sibi appropriat, ut fiat aliquid ipsius: ergo in aliquo sensu vivens causa efficiens est sui ipsius, secundum eam sui partem sibi additam: sed hoc est esse causa sui secundum diversa; pars enim attrahens, & attracta, seu per adgenerationem addita, sunt duo partes inter se numero saltim distinctę: ergo idem secundum diversa potest esse sui ipsius causa effectrix in aliquo sensu: sed quam improprio, tu vide sis.

## PROPOSITIO XXXI.

*Dua causę effectrices possunt in aliquo sensu esse totales respectu ejusdem effectus.*

**L**Oquor in præsentem de causis efficientibus in eodem ordine constitutis: certum enim est causam primam, quę superioris ordinis est, & causam secundam, quę inferioris ordinis est, & diversi, posse eundem effectum totaliter producere. Dubium itaque esse potest de duabus causis in eodem ordine constitutis, an tempore possint esse totales respectu ejusdem effectus. Dico itaque in aliquo sensu plures causas posse dici totales ejusdem effectus ab eis producti. Ratio est, quia innumera sunt in rerum natura agentia naturalia ejusdem speciei, quę æqualem habent virtutem alicujus effectus productivam: ita ut effectus ille à quolibet ex dictis agentibus seorsim possit æque produci: cumque prædicta agentia, ut suppono, sint causę necessariae illius effectus, certè agent quantum possunt: totis enim viribus

agunt

agunt quando agunt: si ergo simul applicentur eidem passio, producent quantum producere possunt: sed quodlibet, ut dixi, potest totum effectum producere: ergo etiam simul illum producent; & consequenter erunt illius effectus causę effectrices totales.

Esto exemplum. Ponderus unius librę potest in bilance elevari à pondere A unius librę: & etiam à pondere B unius similiter librę, idque seorsim: elevatur etiam ponderus prædictum à binis illis ponderibus A, & B simul in adversa lance constitutis: in hoc itaque casu non est cur quodlibet ex eis non sit causa totalis illius elevationis, cum quodlibet sit ad eam sufficiens, sitque causa necessaria semper agens totis viribus: provenit ergo elevatio illa à duobus illis ponderibus, tamquam à gemina causa totali.

Dixi tamen, id verum esse in aliquo sensu, ne de nomine disputemus; certum enim est à duobus illis ponderibus A, & B simul in eadem lance constitutis, facilius, & velocius elevari ponderus in opposita collocatum, quam si ab uno solo elevaretur, quę major velocitas major etiam est effectus: cumque omnes causę corporeę non nisi ope motus localis operentur, certè non in alio sensu censendę sunt ejusdem effectus totales, quam in prædicto.

## PROPOSITIO XXXII.

*Actio modus est ab agente, & termino distinctione modalis distinctus.*

**A**ctio sic ab Aristotele definitur, *Actus hujus ad hoc*: passio verò, *Actus hujus ab hoc*. Exemp. gr. Sol aërem illuminat; illuminatio itaque quatenus à Sole progressa, dicitur actio; & est actus Solis in aërem: eadem verò illuminatio, quatenus in aëre recepta, passio dicitur, estque actus aëris à Sole. Communiter autem

tem

tem actio, & passio sic defini solent: actio est *actus agentis, ut agens est*; passio verò *actus patientis, ut patiens est*. Sic illuminatio est actus Solis, ut illuminans est: & ipsa illuminatio est: actus aëris illuminati, quatenus illuminatus est: lux itaque, seu actio illuminandi, prout à Sole egreditur, dicitur actio; prout verò in aëre recipitur, dicitur passio. Hinc omninò certum est, actionem esse influxum causæ effectricis in terminum, sive ejusdem causæ causalitatem, & actum secundum (sic enim appellatur ad distinctionem actus primi, qui nihil aliud est, nisi causa quatenus potest operari) cumque prædictus influxus, seu actus secundus sit id quo causa effectrix actu agit, seu producit effectum, est consequenter actuale fieri effectus, seu dependentiæ actualis effectus à causa.

Duo itaque in suo conceptu includit actio, influxum nempe agentis in effectum, & dependentiam effectus ab agente: cumque effectus dependeat ab agente per illum eundem influxum, quo agens illum producit, certè influxus, & dependentia illa idem realiter sunt; solumque per diversum concipiendi modum distinguuntur: cumque præterea influxus agentis in effectum sit actio; & hujus ab agente dependentia sit passio, certè actio, & passio realiter inter se non distinguuntur, sed tantùm juxta diversos respectus, seu concipiendi modos: ideoque juxta Aristotelem non aliter inter se differunt actio, & passio, quam acclive, & declive; aut via, quæ ducit Athenis Thebas, ab ea quæ ducit Thebis Athenas. His suppositis.

Assero 1. Actionem non esse accidens aliquod absolutum, & entitativum; sed dumtaxat modum, agentis videlicet, & termini: ratio est, quia modus, ut alibi diximus, est id quod sine entitate, quam modificat, neque

que esse, neque concipi potest: atqui actio neque esse, neque concipi potest sine agente, & termino: ergo est eorum modus. Sed in hoc nulla apparet difficultas.

Assero 2. Actionem ab agente, & termino, distinctione illa, quam modalem appellant, distingui. Ratio est, quia agens entitativè, & in actu primo esse potest sine actione; actio verò nec divinitus esse valet sine agente; imò nec sine illo concipi potest: sed hoc arguit distinctionem modalem, juxta dicta lib. 3. prop. 20. ergo modaliter distinguitur ab agente. Similiter terminus, frequenter saltim, esse potest sine hac actione; potuit enim per aliam fieri: hæc autem actio neque esse, neque intelligi potest sine termino: ergo actio etiam à termino modaliter distinguitur. Dixi *frequenter*, quia fortè, ut ab aliquibus defenditur, actiones aliqua, præsertim immanentes, intellectus nempe, & voluntatis, nullum terminum habent ab eisdem distinctum; sed potius ipsæ sunt actiones, & actus, de quo suo loco. An autem hæc distinctio modalis possit in aliquo sensu appellari realis, aut ex natura rei, ut vult P. Suarez, diximus loco citato.

## PROPOSITIO XXXIII.

*Actionum species enumerantur.*

1. **D**ividitur actio in transeuntem, & immanentem: prima est, cujus terminus est extra principium, & causam; secunda verò est, cujus terminus est in ipsa causa, seu principio.

2. In vitalem, & non vitalem: prima est potentiæ vitalis exercitium; secunda, omnis alia.

3. In actionem creativam, & non creativam: prima est illa, qua causa aliquid producit ex nihilo, ut actio qua Deus animam rationalem producit; secunda est omnis alia.

4. Dividitur in totalem, & partialem: prima est, qua aliqua causa totalis effectum producit; secunda vero, qua cum alterius consortio. Sed hæc ex his, quæ in simili causarum divisione diximus, satis colliguntur; nunc vero aliqua de ipsiſ speciatim dicamus oportet.

## PROPOSITIO XXXIV.

*Creatio est productio rei secundum totam entitatem in ea contentam.*

**C**reationem esse productionem rei ex nihilo tota veneranda tenuit antiquitas, tenentque quotquot deinceps sequuti sunt Philosophi: sic enim omnes creationem definiunt, ut asserant, esse productionem rei alicujus ex nihilo. Hanc vero definitionem satis ex se conspicuam, obscuram postmodum reddidere Philosophi, qui Peripatetici in Scholis communiter nominantur, ut scilicet formarum substantialium materialium, ab omni materia distinctarum productionem tueantur, eamque à creatione sejungat. Cum enim hinc causas secundas creare non possent, saltem naturaliter, asserant; inde vero præfatas formas veras esse entitates adstruant, & à causis secundis verè de novo produci existiment, coacti sunt, adhibitis quibusdam expositionibus, prædictam creationis definitionem taliter exponere, ut formarum materialium productioni minimè conveniant. Asserunt itaque formas prædictas, esse fiant ex nihilo sui; non tamen fieri ex nihilo subiecti, & hoc ajunt sufficere ut minimè creari dicantur: ea enim solum creari juxta eorum sensum dicuntur, quæ sunt cum ex nihilo sui, tum ex nihilo subiecti: in cujus distinctionis ulteriori expositione mirum est, quot tenebris prædicta creationis definitio, magna que Philosophiæ pars obscuretur, ut autem eidem sua lux restituatur.

Assc.

Assero cum P. Maignan *Phil. nature, cap. 6. prop. 15*, Casimiro, & aliis, creationem esse productionem rei secundum totam suam entitatem in ea contentam, nulla propterea præsupposita, ita ut nihil entitatis rei illius antea præxisterit: & ita intelligendam esse antiquam creationis definitionem, & ab omnibus receptam, qua asseritur, creationem esse productionem entis ex nihilo. Ratio autem hujus rei est, quia creari apud omnes nihil aliud est, quam fieri adæquatè ex nihilo: ergo nihil entitativum illius rei, quæ creari dicitur, debet illi præxistere: sic Angeli, animæ humanae, materia rerum omnium corporearum prima verè creantur, cum nihil eorum eorumdem productioni præexistat. Cum autem turris ex lapidibus fabricatur, nullatenus creari dicitur; eo quod ex lapidibus constat, ex quibus eidem præexistentibus est erecta.

Confirmatur, nam annihilatio creationi, veluti ex opposito respondet; sicut & generationi corruptio: quemadmodum enim quæ per generationem oriuntur, per corruptionem inereunt: ita quæ per creationem sunt facta, per annihilationem esse desinunt: atqui annihilatio est desitio totius entis, ita ut nihil entitatis rei illius, quæ annihilatur, remaneat: ergo creatio è converso est totius entitatis rei, quæ creatur, productio, ita ut nihil ejusdem entitativum præcesserit.

Hæc, ni fallor, satis clara esse videntur, nec novum aliquid me dixisse arbitror, cum id ipsum expressè asserant antiqui simul, atque præcipui Philosophiæ, & Theologiæ Doctores. S. Thom. 1. part. quæst. 6. art. 3. in corp. ait: *Creatio autem est productio alicujus rei secundum totam suam substantiam, nullo præsupposito, quod sit vel increatum, vel ab aliquo creatum.* Id autem ibidem ampliùs exponens Card. Cajetanus, ait:

Comp. Phil. Tom. I.

Hh

Ne



*Negatur omne præsuppositum, quod sit aliquid illius, quod est per se primo terminus illius creationis: ita quod creari dicitur illud, quod sic producitur, quod nihil ejus præsupponitur. Tunc enim tota ejus substantia syncategorematicè producitur.* Deinde idem S. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 1. ubi quærens utrum creare sit ex nihilo aliquid facere ait: *Si consideretur emanatio totius entis universalis à primo principio, impossibile est, quod aliquod ens præsupponatur huic emanationi: idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non-ente, quod est non-homo: ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non-ente, quod est nihil.* Similiter S. Bonaventura in 2. dist. 1. art. 2. quæst. 2. ait, creationem esse totius substantia secundum totum. Alia plura congerere possem, quæ lubens omitto, cum hæc ad nostram creationis expositionem videantur sufficere.

Dicunt plerique ex neotericis Philosophis: ut aliquid dicatur creari non sufficere ut fiat ex nihilo sui; verum etiam debere fieri ex nihilo subiecti: unde, licet nihil suæ entitatis ante ejus productionem actu præexistat; si tamen præexistat in potentia subiecti ex quo fit, nullatenus creari dicitur. Cæterum vel subiectum illud, de quo loquuntur, est subiectum ex quo inexistente res illa fit; vel tantum est subiectum in quo. Si primum, verum omnino dicunt, cum enim subiectum ex quo fit rei, quæ ex ipso fit, plane intrinsicum, si res non fieret ex nihilo hujus subiecti, neque fieret ex nihilo sui, & consequenter nec creata esset: totum enim, exemp. gr. quod fit ex partibus, quæ, ut frequenter ait S. Thomas, & Philosophus, sunt totius veluti materia, & subiectum ex quo, nullatenus ex nihilo fit, & consequenter nec creatur: non enim fit ex nihilo sui, cum totum à parti-

bus simul sumptis, & unitis non distinguatur: si verò loquantur de subiecto in quo, nempe in quo res producitur, & cui unitur, falsum dicunt: cum enim hujusmodi subiectum sit rei productæ extrinsecum, certè totum illius rei esse de novo producitur: ita ut nihil ejus entitatis ullatenus productioni præexistat, cum subiectum illud ad ejus entitatem non pertineat: unde hujusmodi rei productio omnino ex nihilo erit, & consequenter creatio, quantumvis res producta in illo subiecto sit recepta. Sic anima rationalis re vera creatur, licet præsupponatur subiectum, seu corpus in quo recipiatur, quia nempe subiectum illud est entitati anime prorsus extrinsecum.

Dicunt ulterius aliqui; ut actio aliqua sit verè creatio, oportere ut ita rem producat, ut ex vi actionis illius sit prorsus ab omni subiecto independens: unde necesse est, actionem illam non fore unitivam rei productæ alii subiecto; si enim actio ipsa rem producat, eam subiecto unit, certè talis res in vi actionis illius redditur ab illo subiecto dependens; cum existere non valeat ex vi talis actionis, nisi in eo subiecto. Hinc hujusmodi recentiores creationem definiunt dicentes esse *actionem producentem rem independentem ab omni subiecto.* Hinc asserunt, formas corporeas non creari, quia licet ex nihilo sui fiant; non tamen fiunt ex nihilo subiecti, sed potiùs dependent à subiecto, cum fiant per actionem, quæ simul unio est earumdem cum subiecto: formam verò humanam creari, quia licet recipiatur in subiecto; non tamen unitur illi per eam actionem, per quam producitur, sed per aliam distinctam, quæ unio est anime cum corpore, seu subiecto.

Verum hoc purum effugium esse, liberè omnino, licet subtiliter excogitatum, quis non videt? Illud

autem variis rationibus præcluditur, meoque videri factis efficacibus. 1. Estò actio rem producens eam uniat cum subiecto, id non tollit quin res omninò ex nihilo producat: omninò, inquam, ex nihilo, cum sui, tum subiecti: & ex nihilo quidem sui produci, apertum est, nec ab adversariis negatur: ex nihilo autem subiecti produci, patet; nam, si non producit ex nihilo subiecti, planè producit ex aliquo subiecto: & consequenter subiectum, non jam erit solum *in quo*, sed *ex quo*: sed hoc est contra hypothefim, supponimus enim solum esse subiectum extrinsecum rei, seu *in quo*: ergo prædicta res producta erit omninò ex nihilo, cum sui, tum subiecti: sed quæ ita producta sunt, omnium antiquorum consensu sunt creata: ergo, quæ ita producuntur, creantur.

2. Major virtus requiritur ad creandum quam ad generandum: sed non minor virtus, imò major, requiritur ad producendam rem ex nihilo sui, & subiecti ex quo, eamque simul unendam subiecto in quo, quam ad illam tantummodo producendam omninò ex nihilo, nisi subiectum causam efficientem juvet aliquo influxu, qui nullus est in præfenti casu: ergo hic producendi modus vera creatio est. Minor patet, nam actio rem tantummodo ex nihilo sui, & subiecti *ex quo* producens, eam tantum producit; altera verò actio, & rem eodem modo producit, & ulterius eam unit subiecto.

3. Ex his, quæ adversarii dicunt, sequeretur, posse hominem, aut saltem Angelum, vel aliud agens creatum superioris ordinis producere animam rationalem, dummodo per eandem actionem, qua illam produceret, illam cum corpore uniret: hoc enim non esset creatio: nec enim facile redditur ratio, cur anima rationalis nequeat saltem ab Angelo sic produci; non enim id repu-

gna:

gnaret, quia anima substantia est; quia formæ materiales substantiæ sunt, & ab agentibus corporeis sic in sententia adversariorum producuntur: neque quia spiritalis est; si enim substantia corporea, sic ab agentibus corporeis juxta adversarios producit; cur substantia spiritalis animæ ab Angelo, qui spiritalis est, & ordinis elatioris, prædicto modo nequit produci.

4. Undenam adversarii constat, animam rationalem de facto non ita à Deo fieri, ut per eandem actionem, qua illam producit, ipsam cum corpore uniat.

5. Si producere rem per actionem, quæ sit ejusdem unio cum subiecto, non est creare, sed generare, aut, ut adversarii loquuntur, educere, certè poterit Deus animam rationalem extra corpus creare: & deinde producere corpus, aut materiam corpoream per actionem, quæ simul sit unio illius cum anima rationali: ergo materia educeretur ex anima, aut etiam ob eandem rationem ab Angelo: absurdum certè hucusque inauditum, Diffugium igitur istud frustra est ab adversariis excogitatum: dicendumque potius est, quantumvis actio rei productiva, sit etiam unitiva ejusdem cum subiecto, si aliunde ita facta sit ex nihilo, ut nihil entitatis ejus præsupponatur, esse veram, & strictam rei illius creationem.

## PROPOSITIO XXXV.

*Generatio, ejusdemque à creatione discrimen aperitur.*

**G**eneratio creationi opposita est, ideoque ita exponatur oportet, ut ejusdem ad creationem oppositio perspicue reddatur. Quemadmodum itaque creatio dicitur esse productio rei ex nihilo; ita & generatio est productio rei ex alio, seu ex præsupposito subiecto: cumque creationem esse ex nihilo productionem in eo fieri,

stet, (34.) quod sit productio rei secundum totam entitatem in ea contentam, ita ut nihil, quod ad ejus entitatem spectet, ejusdem productioni præsupponatur; similiter assero, generationem esse productionem ex alio, seu ex præsupposito subiecto, in eo stare, ut sit quædam rei productio ex omnibus entitativis, quæ ad rem illam efficiendam præsupposita sunt, tamquam subiectum ex quo, seu materia ex qua fit, aut generatur: ita quidem, ut nihil entitativum in re, quæ genita est, reperiat, quod ad ejus generationem non aliquo saltim modo sit præsuppositum.

Sic mixtum quodlibet ex elementis genitum est, ejusque productio generatio appellatur; non enim fit ex nihilo, sed ex entitatibus elementorum, ex quibus unice compaginatur; & ex quibus hoc, vel illo modo dispositis ita confurgit, ut mixtum illud nihil entitativum includat præter entitates illas elementorum, quæ eidem insunt, & ex quibus tamquam ex subiecto ex quo, seu materia ex qua factum est. Similiter nubes in medio aëre generari dicuntur, quatenus nempe ex terræ vaporibus invicem conglomeratis, sibi que colligatis formantur: nec aliam in eisdem entitatem reperies, præter entitates vaporum ex quibus coalescunt, quæque sunt earum materia ex qua, ad earundem formationem præsupposita. Et ut morem Aristotelis sequamur, qui ad hæc explicanda, ex artefactis advocat exempla: cogita Apollinis statuum ex ære, & in ipsa nihil entitativum reperies præter ær, eidem inexistens, & ex quo, seu materia, ex qua statua fuit facta, quodque ad ejus factionem præsupponitur. Verum quidem est, hujusmodi artefacta non dici genita ab Artifice, sed tantummodo facta; opera verò naturæ genita appellari, actionesque quibus sunt, generationes communiter dici; licet hæc nihil sint,

ut

ut in Physica videbimus, præter artefacta quædam naturalia, eaque valde mirabilia: sic dicimus generari lapides, metalla, fossilia, &c. in reconditis Geocosmi recessibus. Imò præsius generationis vocem accipientes Philosophi ad viventium productiones reducunt: ideoque communiter asserunt generationem esse *originem viventis à vivente in similitudinem naturæ*; de quibus suo loco.

## COROLLARIA.

**E**X his colliges 1. *Generationem idem esse, ac certam diversarum rerum compositionem, & permutationem, quatenus nempe hoc, vel illo modo inter se combinantur, necluntur, uniuntur, &c. Id autem, quod ex ipsis præfato modo unitis, colligatis, &c. confurgit, compositum est, quod ab Aristotele, S. Thoma, & toto antiquo Peripatu solummodo generari dicitur, ut in Physica pro rei dignitate amplius ostendam.*

Colliges 2. *Non alia generari posse nisi composita: cum enim omnis generatio sit ex præsuppositis compositio, certè illud solum genitum est, quod compositum est ex illis, ex quibus eidem inexistentibus est factum.* Dices formas materiales, seu corporeas generari, & educi; cum tamen non sint composita, sed simplicia. Sed contra, nam primò apertè confundis generationem cum educatione, quod enim educitur, non generatur: ea enim quæ generantur propriè fiunt; quæ verò educuntur, non fiunt, nisi valde improprie, & per accidens, ut apertè asserunt Arist. & S. Thomas innumeris locis, quos in Physica generali recensebo. 2. Asserere formas materiales generari, aut produci falsum esse suo loco ostendam: oppositum enim est expressissima Philosophi, & S. Thomæ sententia: dum ergo dicis formas prædictas generari, apertè à genuino Peripatu recedis.

Quod

Quod quidem doctissimum Caramuelem non latuit: ait enim in *Apparatu Philos. tract. i. disp. i. fol. mibi 10.* Putamus simplicia à solo Deo creari; composita fieri à natura, & arte, &c. Et ille, cui hec responsio displicet, probet obscuro, simplicem aliquam entitatem à causa secunda produci: quæcumque enim de educatione Peripatetici (& ut existimo contra Aristotelem) affirmant, ut moderatissime loquar, nuge sunt. Hæc Caramuel.

Colliges 3. *Composita, qua talia sunt, creari non posse; estò omnes ejus partes sint creatæ. Ratio est, quia licet omnes compositi partes creatæ sint: ceterum eandem conjunctionem, combinationem, aut connexionem activam sumpta creatio non est; sed ex præsuppositis illis partibus, ex quibus tamquam materia ex qua, composita prædicta consurgunt.* In prima tamen mundi constitutione præcipua composita, cælum videlicet, terra, cæteraque communia elementa, creata fuisse dicuntur, quatenus omnes eorum partes simul creatæ, seu concretæ fuerunt; non quidem disjunctæ, sed ita inter se copulata, ut jam composita illa constituerent: nec aliud velle videtur S. Thomas 1. part. quæst. 45. art. 4. cum inter res quæ creari possunt etiam composita connumerat: ut speciatim explicat in responsione ad 4. dicens: *Creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principiis præexistentibus: sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producitur.*

Colliges tandem 4. *que simplicia sunt, aut indivisibilia, solum per creationem posse produci: non enim ex aliquibus constant, ex quibus præexistentibus possunt fieri. Hinc neque Angeli, neque anima rationalis, neque minima materia corporea, seu atomi, possunt ali-*

*aliter quam per creationem produci. Hinc rejicies eos, qui animam rationalem posse divinitus educi affirmant: id enim ex quadam educationis acceptione, quam sibi liberè contra antiquam Philosophiam effinxere, deducunt. Sed de his in præsentia satis.*

## PROPOSITIO XXXVI.

*Sola causa prima creare potest, seu res ex nihilo producere.*

**D** eum Opt. Max. creatorem esse visibilium omnium, & invisibilium, & fides docet, & ratio etiam evidenter convincit, ut suo loco patebit. Dubitari tamen à Philosophis solet, utrum ita sit Dei proprium ex nihilo creare, ut nulla sit possibilis creatura, cui creare possit competere. Dupliciter autem id potest dubitari: 1. An creatura aliqua sit possibilis, quæ ut causa principalis creare possit. 2. An saltem id præstare creatura valeat, ut causa instrumentalis.

Dico itaque 1. Nullam creaturam posse fieri à Deo, quæ ut causa principalis possit creare. Ita communiter Theologi cum S. Thoma 1. part. quæst. 45. art. 5. & Scoto in 4. dist. 1. quæst. 1. Probatur autem hoc aliquibus rationibus, quæ licet demonstrationes non sint; sunt tamen validissimæ.

1. Ratio est S. Thomæ loco citato, quæ præcipua est, ac fundamentalis. Nam ens in quantum ens, seu cujus nihil entitativum præcessit, aut præsupponitur, nequit à creatura produci: sed per creationem producitur ens in quantum ens, (ut ex dictis prop. 34. constat) ita ut nihil entitativum ejusdem præcesserit, aut præsupponatur: ergo creatura creare non potest, saltem ut causa principalis. Major prob. Si creatura posset producere de novo ens in quantum ens, cujus nihil entitativum ad ejus pro-



productionem præsupponeretur, posset producere quodlibet: sed hoc est absurdum; esset enim omnipotens sicut Deus: ergo creatura nequit prædicto modo producere ens. Sequela probatur, nam causa illa, quæ in effectu nihil aliud exposcit quam illius non repugnantiam, quemlibet effectum habentem non repugnantiam producere potest: sed agens producens ens ut ens, ita ut nihil entitativum ejus ad ejusdem productionem præcesserit, solum requirit non repugnantiam effectus: ergo posset quemlibet effectum producere. Major patet: si enim Architectus posset absque materia ulla domos ædificare, nullus certè eidem ædificandi terminus esset præfixus, plures, pluresque domos extruere sine fine posset: quod enim plures non possit, provenit ex defectu materie, ex qua domus ædificantur, quæ quid certè est entitativum domibus inexistentis, quodque ad eas extruendas præsupponi debet: causa ergo illa, quæ solum non repugnantiam in effectu requireret, ut eum produceret, quemlibet effectum producere posset: sed causa creans solum effectus non repugnantiam requirit: ergo causa creativa necessariò est omnipotens: & consequenter nulla est possibilis creatura, quæ creare possit, saltim ut causa principalis.

2. Ratio est, quia creatura vel agit immanenter, per intellectum scilicet, & voluntatem, & hoc modo creare non potest, quod enim sic immanenter producitur, nec divinitus extra intellectum, & voluntatem esse potest: effectus autem qui per creationem producitur, saltim divinitus extra omne subiectum esse valet. Vel tandem creatura agit per motum localem, qui etiam sine mobili nec divinitus esse potest: impossibilis igitur est creatura, quæ possit creare. Alias rationes omitto.

Dico 2. Creatura, neque ut causa instrumentalis potest

est creare. Ita S. Thom. loco citato: ratio autem est, quam assertit ipse Angelicus Doctor, quia causa instrumentalis non aliter operatur in virtute causæ principalis, nisi quatenus per aliquid sibi proprium, subiectum disponit, quo facilius actionem, & effectum principalis agentis: ut patet in securi, quæ non aliter format scammum, nisi quatenus ob figuram, quam habet, facilius scindit lignum, quo scammus formatur, qui est proprius effectus principalis agentis: sed creatura nihil conferre potest actioni Dei creantis, quo illam juvet aliquid subiectum disponendo, ut effectum consequatur; cum creatio non sit ex aliquo præsupposito subiecto, quod disponi possit per actionem instrumentalis agentis: igitur (verbis S. Thomæ consequentiam deduco) *impossibile est quod alicui creaturæ conveniat creare, neque virtute propria, neque instrumentaliter, sive per ministerium.* Deinde rationem precipuam addens pro causis corporeis, ait: *Et hoc præcipue inconveniens est dici de aliquo corpore, quòd creet, cum nullum corpus agat, nisi tangendo, vel movendo. Et sic requirit in sua actione aliquid præexistens, quod possit tangi, & moveri, quod est contra rationem creationis.*

## PROPOSITIO XXXVII.

*Hinc causa secundæ nihil entitativum, quod simplex sit, aut indivisibile producunt.*

**P**Atet ex dictis, nam causæ secundæ (36.) non possunt aliquid creare: ergo nequeunt illa producere, quæ non nisi per creationem possunt produci: sed (corol. 4. prop. 35.) entitates simplices, aut indivisibiles, non aliter quam per creationem possunt produci: ergo nequeunt produci à causis secundis. Hinc causæ secundæ nihil entitativum producere valent, nisi composita: quo-

PROPOSITIO XXXVIII.

*Creaturae spirituales agunt per motum, cum intentionalem, tum localem.*

**R**atio est, quia vel agunt immanenter: vel quatenus sese, aut corpora de loco in locum transferunt. Cum immanenter agunt, operantur per intellectum, & voluntatem: intellectus determinatur, & movetur ab objectis sibi propositis: voluntas verò fertur in objecta per amorem, aut ab eis per detestationem avertitur, qui motus sunt immanentes. Dum verò sese, aut corpora de loco in locum transferunt, non nisi per motum localem id faciunt: ergo agunt per motum intentionalem, & localem. Quomodo autem hujusmodi motus à causis spiritualibus fiant, patebit in Metaphysica reali.

PROPOSITIO XXXIX.

*Causa secunda corporea solum agunt per motum localem.*

**H**oc Theorema plenius in Physica patebit, ubi omnes effectus quos in corporea natura cernimus, & miramur, solum per motum localem fieri ostendimus: cuncta enim aut ope gravitatis, aut elasticæ virtutis ministerio, quæ tensis, & compressis corporibus insidet, aut certè aliis motricium facultatum viribus perpetrari videbimus: frustra igitur, & absque ullo fundamento alius operandi modus, quam per motum localem corporalibus creaturis tribueretur: cum præcipue in eis quælibet alia ad agendum virtus, præter localiter motricem, imperceptibilis omnino sit, & profus inexplicabilis. In quo verò hæc virtus motrix consistat, & qualiter reducat in actum, dicemus in Physica,

PROPOSITIO XXXX.

*Causa corporea ope motus localis efficiunt, ut res, quæ uno modo sunt, sub alio ad invicem modo constituantur.*

**H**oc, ni fallor, evidens est: ope enim motus localis corpora, quæ dispersa erant, in unum locum colliguntur: tum, & quæ collecta erant dissipantur. Præterea, quæ seorsim erant, variis invicem modis ope motus localis complicantur, atque nectuntur; sic per localem lationem adducto terræ humore, fibrillæ quæ in semine plantæ erant complicatæ, ejusdem rudimentum referentes, expanduntur, & per earum subtilissimos ductus conscendens alimenticius humor, eisdem adhæret, quo planta crescit, sobolescit, & vegetatur. Simile quid in sensitivis evenit: ingestum enim alimentum, idque debitis concoctionibus præparatum, ac in sanguinem conversum, per innumeros venarum, articularumque meatus cietur, quo totum viventis corpus nutritur, & conservatur: idem dicam de aliis, ut in Physica patebit: ergo hujusmodi novi rerum corporum status à causis corporeis, ope motus localis efficiuntur: & quæ uno modo erant, sub alio diverso constituuntur præfatæ lationis ministerio.

PROPOSITIO XXXXI.

*Causa secunda corporea ope motus localis composita producant.*

**C**onstat hæc prop. ex dictis: certum enim est causas secundas corporeas composita producere, quæ ex materia nempe constant, & forma: quis enim dubitet patrem filium producere: terram plantas, metal-

494 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT:  
talla, &c. generare: sed (39.) hujusmodi causæ solùm  
agunt per motum localem: ergo composita produ-  
cunt ope motus localis: idque modo quo prop. 40. in-  
dicavimus, & latius in Physica dicemus.

PROPOSITIO XXXXII.

*Hinc explicatur in quo consistat rerum in suo esse  
conservatio.*

**M**undum universum, quem spectamus, conserva-  
ri; in eoque innumera oriri, quæ statutis etiam  
durant temporibus, quibus elapsis, intereunt, nemo est  
qui dubitet, imò nec dubitare possit. Nunc autem vi-  
deamus oportet, quid rerum conservatio sit, & à quo  
proveniat.

Dico 1. Conservatio est *continuata actionum sibi  
immediatè succedentium series, quibus aliquid in suo  
esse permanet.* Dixi conservationem esse continuatam  
actionum seriem; non unicam actionem rem in suo esse  
conservantem, quia, ut videbimus in Physica, ubi de re-  
rum duratione, & tempore pertractabimus, actio in-  
stantanea est: quemadmodum enim actio est determi-  
natio rei productæ ut sit, ita est determinatio ut nunc  
sit, & hoc loco sit: ergo mutata qualibet circumstantia,  
sive loci, sive temporis, &c. mutatur actio: ergo qua-  
libet actio uno tantùm instanti est: ergo sequenti in-  
stanti alia succedit actio, & sic de reliquis: ergo tam-  
diu durat effectus, quamdiu actionum series dantur  
illi esse: ergo conservatio in hac continuata actionum  
sibi succedentium serie consistit. Hinc patet, causam il-  
lam, quæ suum effectum conservat, semper agere, nec  
tamen novum inde effectum producere: est enim con-  
servatio, ejusdem effectus repetita, & continuata pro-  
ductio.

Sed

LIBER IV. CAPUT II.

495

Sed objicies; secundo instanti est nova actio: ergo  
& novus effectus. Probatur consequenter, cessante actione  
destruitur effectus: ergo cessante actione primi instan-  
tis destruitur effectus: ergo in secundo instanti per no-  
vam actionem novus producit effectus. Sed resp. ne-  
gans primam consequenter. Ad ejus probationem, cujus tota  
difficultas stat in modo loquendi, respondeo negando in  
casu nostro destrui effectum: illud enim tantùm destrui  
dicitur, quod per aliquod instans definit esse: licet au-  
tem res definat esse nunc, quando *nunc* ipsum definit,  
dummodò in *nunc* immediatè subsequuto res existat,  
nullo modo destrui dicitur; sed potius perseverare, ac  
conservari.

PROPOSITIO XXXXIII.

*Quæ causæ sint suorum effectum conservativæ, deter-  
minatur.*

**D**ico 1. Res, quæ per creationem sunt productæ, à  
solo Deo conservantur. Ratio est, quia conserva-  
tio (42.) est actionum rem producentium continuata,  
& minimè interrupta series: ergo rerum, quæ per crea-  
tionem sunt, conservatio, est series actionum creativa-  
rum: sed actiones creativæ (36.) à solo Deo esse pos-  
sunt: solus enim Deus creare potest: ergo prædictæ  
res à solo Deo possunt conservari. Hinc omnia simpli-  
cia, ut Angeli, animæ humanæ, & materia prima, quæ  
simplicium, seu insectilium corpusculorum cogeris est,  
à solo Deo conservantur: hæc enim (corol. 4. prop. 35.)  
solùm per creationem produci possunt.

Dico 2. Etiam composita à solo Deo conservari,  
licet à causis secundis primo producantur, seu generen-  
tur. Ratio est, quia ablata, aut intereunte causa secun-  
da, quæ compositum primò produxit, seu genuit, ad-  
huc hic, ut experientia testatur, permanet in esse: ergo

ab

ab ipsa non conservatur. Cum enim conservatio sit continuata productio, certè à causa non existente provenire non potest: ergo nec conservari: deinde nec ab alia causa secunda assignabili: ergo composita à solo Deo conservantur.

Conservantur autem à Deo composita, quatenus simplicia, ex quibus compositum quodlibet confurgit, in eisdem illis circumstantiis, nexus, colligationis, &c. in quibus à causa secunda primo producente fuerunt per motum constituta, à causa prima conservantur. Hinc vides qualiter ea, quæ à causa secunda impellente moventur, in illo motu aliquandiu conservantur; posita enim à causa secunda determinatione ad motum, in eo statu conservantur à Deo, donec per motus contrarios, ab aliis causis secundis provenientes, primævi illi motus, aut sistantur; aut divisus, ac se junctis compositorum partibus, dissolvantur, & consequenter composita intereant. Hinc, si propriè loquamur, cunctæ res in suo esse à solo Deo conservantur: aliqui tamen effectus, qui quasi instantanei sunt, quique à causis secundis proveniunt, dicuntur etiam ab ipsis dum adsunt, conservari: sic illuminatio à Sole conservari dicitur: est enim actio illuminandi veluti instantanea, ut in Physica partic. patebit; & singularis instantibus, dum Sol fulget, successivas illuminationes producit.

## PROPOSITIO XXXXIV.

*Hinc patet, quid sit rerum destructio.*

**D**estructio est actio, seu quasi actio per quam aliquid definit esse. Dixi, *vel quasi actio*, quia per solam non existentiam actionis, quæ rei esse tribuebat, definit esse. Hæc desitio rei, si sit totius entis, est *annihilatio*, & ex opposito respondet creationi; si verò talis

talis sit desitio, ut remaneat subiectum, seu materia ex qua, dicitur *corruptio*, & respondet generationi. Hinc vides, quæ per creationem sunt, non aliter posse destrui, quam per annihilationem; quæ verò genita sunt, posse utroque modo destrui; per annihilationem videlicet, aut solum per corruptionem. Sed hæc sunt facilia.

## PROPOSITIO XXXV.

*Causæ secundæ, etiam in operari dependent à causa prima.*

**P**robatur, nam causam secundam operari, aliquid est extra Deum, sive distinctum, sive indistinctum ab ipsa causa secunda: sed quidquid extra Deum est, ab eo dependet: ergo causam secundam operari, seu causam secundam in operando à Deo dependet. Hæc autem in operando dependentia in eo stat, quod causa creata ad agendum omnino indigeat immediato, ac simultaneo concursu causæ primæ, quem latè exponemus in Metaphysica reali, ubi de Deo ut causa prima erit sermo.

## PROPOSITIO XXXVI.

*Omnis causa, ut agat, esse debet determinata ad agendum.*

**D**emonstr. Nam actio est ipsa actualis determinatio causæ ad agendum: sed causa nequit agere sine actione: ergo neque agere potest, quin sit determinata ad agendum. Confirmatur, si enim causa maneat indeterminata, certè nulla erit ratio, cur potius hic agat, quam alibi: cumque ubique agere non possit, nullibi aget. Similiter, si indeterminata sit, nulla erit ratio cur nunc potius, quam alio instanti agat: ergo numquam aget: stante item eadem indeterminatione, nulla erit ratio cur potius hunc, quam illum effectum



producat: ergo nullum producet. Sic lapis ad motum per oppositas ex diametro lineas aequaliter incitatus, necessariò sistit: cum enim ad prædictas lineas aequaliter determinetur, & per utramque simul ire non possit, nec sit potior ratio, cur per unam, quam per aliam moveatur, certè quasi in bivio hærens, per neutram ibit: idem igitur in causa indeterminata dicendum erit. Omnis itaque causa, ut agat, determinatam esse oportet. Videndum itaque nunc est, à quo hujusmodi determinatio causæ proveniat: idque cum in causis liberis, tum in necessariis: sed quoniam specialis, eaque satis difficilis de causis liberis pertractatio ad Metaphysicam realem spectat, eam cò loci reservo. Determinatio insuper causæ spectari potest tum respectu actionis, tum respectu effectus ab ea producti. Demum determinatio quoad effectum considerari debet tum quoad speciem effectus, tum quoad individuum. Quæ omnia sequentibus Theorematis exponuntur.

## PROPOSITIO XXXVII.

*Unius causæ, & effectus, in eisdem omninò circumstantiis, unica tantum actio possibilis est.*

**P**robatur, nam actio est actualis causæ determinatio ad hunc effectum, in hoc loco, tempore, &c. producendum, quorum vel uno deficiente, jam amplius non est eadem determinatio ad agendum, sed alia diversa, quæ vel ad alibi, vel alio tempore agendum determinatio est: ergo ejusdem causæ, & effectus cum eisdem omninò circumstantiis, unica tantum actio possibilis est.

(\*\*\*) (\*\*\*)

(\*\*\*)

PRO:

## PROPOSITIO XXXVIII.

*Hinc causa secunda ad hanc actionem determinatur à circumstantiis.*

**C**UM enim (47.) in eisdem circumstantiis causæ, effectus, loci, temporis, &c. unica tantum sit actio possibilis: certè causa ad hanc numero actionem ab iis circumstantiis determinatur. Præterea, indifferentia necessariò requirit multa, ad quæ res aliqua indifferens sit: ergo ubi unum tantum est, indifferentia non est: ergo ubi unum tantum est, determinatio est: sed ejusdem causæ, & effectus in eisdem circumstantiis unica tantum actio possibilis est: ergo ab iis circumstantiis causa ad hanc actionem determinatur. Loquimur nunc, ut dixi, de causis necessariis.

## PROPOSITIO XXXIX.

*Causa necessaria, si univoca sit, à se ipsa determinata est quoad speciem effectus; si verò æquivoca, etiam à dispositione passivi.*

**P**robatur, nam si causa univoca sit, non alterius speciei effectum producere valet, præter illum, quem virtute continet: nec enim ignis alium effectum per se potest producere præter calorem, & lumen. Si verò causa æquivoca sit, præter virtutem activam, quam in se continet, dispositionem in passivo requirit, qua variata, ad diversos specie effectus determinatur. Sic Sol ex putri materia sæpè ranam, quam murem gignit: non alia certè ratione, nisi quod ex parte materiæ adsit dispositio, ut potius ex ipsa signatur rana, quam mus, quæ quidem dispositionum diversitas Philosphia naturalis explicat.

II 2

PRO:

## PROPOSITIO L.

*Causa secunda corporea non aliunde determinatur quoad individuum effectus, quam ex adequato subiecto, ex quo huiusmodi effectus generantur.*

**D**ico, rationem determinativam, cur ex hoc numero subiecto adequato gignatur hic numero effectus, potius quam alius numero distinctus, esse solum petendam ex hoc numero subiecto adequato. Ratio est, quia impossibile est ut ex hoc numero subiecto adequato in hac specie fiat aliud, quam hoc numero genitum: ver. gr. ex hoc numero corpore, & ex hac anima rationali, ex quibus constat Petrus, non potest, nec per divinam potentiam, fieri Joannes: siquidem Petrus nihil aliud est, neque esse potest, quam hoc corpus, & hæc anima invicem unita: ergo hoc corpus, & hæc anima sunt determinativum, cur potius hic homo, quam alius generetur, & sic de aliis: causæ igitur corporeæ non aliunde determinantur quoad individuum effectus, quam ex adequato subiecto, ex quo effectus ille generatur.

Objicies. Ignis eidem stupæ, & in eisdem etiam circumstantiis applicatus, licet ex se sit determinatus ad talem speciem effectus producendam, nempe ignem; tamen non est determinatus ad hunc ignem potius, quam illum producendum, ex infinitis nempe qui possunt produci: ergo non determinatur quoad individuum effectus ab hac numero stupæ; sed ab alio, scilicet à Deo. Resp. Ex hac stupæ non posse gigni nisi hunc ignem: ut patebit ex his, quæ de hoc, aliisque similibus effectibus dicemus in Physica: unde totum argumentum corruit.



PRO

## LIBER IV. CAPUT II.

501

## PROPOSITIO LI.

*Causa necessaria subiecto apto debite applicata, agit quantum potest.*

**D**emonstr. Causa necessaria subiecto apto debite applicata, necessario agit, ut ex ejus definitione constat: ergo agit quantum potest. Conseq. probatur, nam si non agit quantum potest: ergo solum agit aliquam partem illius quod agere potest: ergo ab aliquo determinatur ut potius hanc partem effectus, quam aliam efficiat: sed à nullo potest ad hoc naturaliter determinari: ergo totum effectum, quem potest, producit. Minor prob. nam non determinatur ad illam tantum partem à subiecto, quod totius effectus capax est, ut supponitur: deinde neque à se ipsa, alioquin esset causa libera: ergo à nullo potest naturaliter determinari, ut unam solum partem producat: ergo producit quantum potest. Deinde eo ipso quod causa necessaria est, necessario producit: sed non minus necessaria est ad totum effectum, quam ad partem illius: ergo totum necessario producit: & consequenter agit quantum potest. Tandem: si causa necessaria non agit quantum potest: ergo potest plusquam agit: ergo non agit necessario: & consequenter causa necessaria non est necessaria, quod implicat.

## PROPOSITIO LII.

*Causæ agentis quantum potest, proportionatur effectus.*

**D**emonstr. Nam effectus adequat virtutem causæ agentis quantum potest: neque enim effectus potest esse major virtute causæ; alioquin causa produceret, quod producere non potest, quod implicat: præ-

terea

terea neque esse potest minor (51.): ergo effectus adæquat prædictæ causæ virtutem: & consequenter eidem proportionatur. Hinc causæ duplæ, duplus est effectus; triplæ, triplus, &c. dummodò causa agat quantum potest. Sed in hoc nulla est difficultas.

## PROPOSITIO LIII.

*Hinc eadem causa necessaria, æquali tempore, æqualem producit effectum.*

**E**Xistat causa tempore A, certè (52.) totum effectum sibi cõqualem producet: existat item tempore subsequenti B, priori æquali, certè cum eadem causa sit, æqualem etiam effectum producet; juxta commune illud effatum: *Idem manens idem, semper est natum facere idem*: ergo temporibus æqualibus, æquales effectus producit.

## PROPOSITIO LIV.

*Hinc eadem causa, tempore inæquali, inæqualem effectum producit; scilicet minori tempore, minorem; & majori, majorem.*

**S**equitur ex præcedenti. Cum enim causa necessaria, tempore A producat effectum suæ virtuti æqualem; & tempore B æquali ipsi A, item æqualem: certè effectus productus totis duobus temporibus A, & B, seu tempore duplo ipsius temporis A, duplus erit illius, quem solo tempore A produxit.

Adverto tamen, ut aliquam, quæ subrepere potest, æquivocationem avertam; si effectus productus tempore A, durat in subiecto etiam tempore B, ut evenit in calore ab igne producto, fore, ut duobus illis temporibus effectus sit major intensivè; si verò non duret, ut evenit in lumine à Sole producto, fore effectum etiam

etiam majorem, licet non intensivè, saltem veluti extensivè, quia plus luminis emititur à Sole duobus illis temporibus, quam uno, licet nulla inde proveniat luminis intensio, ut patet experimento. De quo suo loco agemus.

## PROPOSITIO LV.

*Hinc effectus ab eadem causa necessaria diversis temporibus producti, sunt ut tempora.*

**P**atet ex præced. nam, cum causa temporibus A, & B æqualibus, duplum effectum producat, quam solo tempore A, certè tempore C, æquali duobus temporibus A, & B simul sumptis, effectum producet duplum illius, quem solo tempore A produxit: ergo duplo tempore duplum producit effectum; triplo, tripulum, &c. ergo effectus ab eadem causa necessaria provenientes sunt ut tempora.

## PROPOSITIO LVI.

*Tempore æquali eadem est proportio effectuum, quæ causarum.*

**S**it exemp. gr. causa ad causam, ut 2. ad 1. Dico effectum illius ad effectum hujus, tempore æquali agentium, esse etiam ut 2. ad 1. & sic de reliquis. Probatur, nam (52.) in causis necessariis, seu quæ agunt quantum possunt, effectus virtutem causæ adæquat, eisdemque proportionatur: ergo effectus ut 2. adæquat causam ut 2. & effectus ut 1. causam ut 1. ergo quemadmodum se habet causa ut 2. ad effectum ut 2. ita se habet causa ut 1. ad effectum ut 1. ergo alternando, (16. lib. 5. Eucl.) ita se habet causa ut 2. ad causam ut 1. ut effectus ut 2. ad effectum ut 1. ergo eadem est effectuum proportio, quæ causarum: idque, ut dixi, intelligendum est dummodo prædictæ causæ agant æquali tem-

tempore : nam tempore inæquali alia fervatur proportio, & est quæ exponitur propof. fequenti.

## PROPOSITIO LVII.

*Tempore inæquali, proportio effectuum à diverfis caufis provenientium, est composita ex rationibus caufarum, & temporum.*

**R**atio est, quia, cum effectus ejusdem caufæ sint ut tempora, (55.) & diverfarum caufarum, ut caufæ, (56) certè si simul sint diverfæ caufæ, & diverfa tempora, effectus erunt in ratione composita rationis illius, quæ est inter caufas ; & illius, quæ reperitur inter tempora.

Ut autem hi, qui parum in elementis Geometriae sunt verfati, hoc Theorema facilius percipiant, ipsum sic enucleatius ostendo. Sit caufa A 2. & caufa B fit 4. Tempus autem, quo caufa A agit, fit 3. illud verò, quo agit caufa B, fit 6. ratio itaque caufarum est 2. ad 4. ratio verò temporum 3. ad 6. quæ ita exponuntur

$\frac{2}{4}$  multiplicentur numeratores invicem : fimiliter  $\frac{3}{6}$

que denominatores, & habebitur  $\frac{6}{24}$  seu in minimis

terminis  $\frac{1}{4}$  & hæc est ratio composita dictarum ratio-

rum ; ut constat ex lib. 5. Elem. Geom. Dico itaque in casu propofito, rationem effectuum esse ut 1. ad 4. ita ut effectus caufæ A agentis tempore 3. ad effectum caufæ B agentis tempore 6. fit ut 1. ad 4. id est, effectus caufæ B quadruplus est effectus caufæ A. Ratio autem est clariffima, quia ratione caufæ, effectus caufæ B, est duplus effectus caufæ A, & iterum est duplus ratione

temporis, quia caufa B duplo tempore agit quam caufa A : ergo est bis duplus, & confequenter quadruplus. Ex his quamplurima in diverfis Philofophiæ naturalis tractatibus exponuntur.

## LIBER V.

## DE INFINITO.

**I**NFINITUM infinitam continere videtur difficultatem : nec mirum, cum non nisi valde imperfectam ejusdem notionem habeamus ; multaque fortasse ignoremus, ex quorum cognitione tota res infiniti dependet. Quoniam verò quamplures sunt in Philofophia, ac Theologia tractatus, in quibus infinitum fuas agit vices, præcipuas circa ipsum difficultates in hoc ultimo Metaphyficis libro claritate poffibili pertractabimus.

## DEFINITIONES.

**I.** *Infinitum est id quod caret fine.* Hæc definitio ita clara est, ut ex ipsis terminis constet ; ac dubio procul cum illa convenit quam Arist. tradit lib. 3. Phys. tex. 63. Id nempe *cujus aliquid semper est extra* : id est, extra id quod acceptum est : ita nempe ut fumentum successivè aliud, & aliud, semper aliquid fumendum superfit : sic numerus infinitus est ille, cujus numquam tot unitates poffunt successivè accipi, quin aliæ, & aliæ semper extra fumendæ superfint : unde ad illius numeri supputandi finem, impossibile fit pervenire. Infiniti diverfæ sunt species, quarum aliquas Arist.



tex. 34. recenset. Aliud enim est infinitum secundum multitudinem, aliud secundum durationem successivam, aliud secundum perfectionem accidentalem, seu intensionem, aliud tandem secundum essentialiorem perfectionem.

2. *Infinitum secundum multitudinem est illud, in quo sunt unitates nullo finito numero comprehensibiles.*

3. *Infinitum secundum magnitudinem est illud, in quo magnitudinis partes, sigillatim cuicumque finita assignabili æquales (ut pedi, passui, &c.) nullo finito numero sunt comprehensibiles.* Semper enim id notius est, si per ordinem ad numerum explicetur.

4. *Infinitum secundum durationem successivam est illud, in quo sunt partes ejusmodi durationis, sigillatim æquales cuicumque finita assignabili, (ut diei, anno, &c.) nullo finito numero comprehensibiles.*

5. *Infinitum secundum perfectionem accidentalem, seu secundum intensionem formalem, est illud, in quo collectæ sunt virtutis partes realiter ab invicem distinctæ, sigillatim æquales cuicumque finite assignabili, nullo numero finito comprehensibiles: ver. gr. virtuti ut unum, ut duo, &c.*

6. *Infinitum secundum perfectionem essentialiorem, seu secundum essentialiam; seu quod perinde est, Infinitum simpliciter, & in omni genere, est unica, & simplex perfectio æquivalens, seu potius prævalens multitudini essentialium perfectionum, omnem numerum finitum superanti.*

7. *Infinitum quatenus omnes etiam prædictas species comprehendit, dividitur in infinitum in actu, seu cathegorematicum: & infinitum potentia, seu syncathegorematicum. Infinitum actu, seu cathegorematicum est*

est illud, quod in se, & prout se habet actu, seu secundum ea, quæ actu in se continet, consideratum, caret fine. Ut si Deus infinitos homines actu crearet, esset infinitum in actu secundum multitudinem. Infinitum verò potentia, seu syncathegorematicum est illud, quod licet in se, seu prout actu se habet, sit finitum; tamen secundum ea, quæ habere potest, caret fine, seu est infinitum: ver. gr. quælibet multitudo hominum actu est finita; est tamen infinita in potentia, quia, qualibet data, potest dari major, & major sine fine: similiter quodvis quantum assignabile ex partibus, seu punctis physicis numero finitis componitur, ut alibi diximus; & in illa est actu divisibile; cæterum est potentia in infinitum divisibile, quatenus data qualibet extensione, potest dari minor, & minor in infinitum.

8. *Maximum est, quo nihil majus; minimum, quo nihil minus excogitari potest.*

Tota hujus libri difficultas ad id tandem devolvitur, utrum nempe extra Deum possibile sit infinitum actu, seu cathegorematicum; tum & creatura omnium perfectissima; an verò prædicta repugnent; ut autem hæc breviter, ac perspicue resolvam, sic servata propositionum serie procedo.



## CAPUT UNICUM.

*Cuncta, quæ ad infinitum spectant, pendens.*

## PROPOSITIO I.

*Datur de facto, idque necessario, ens actu infinitum secundum essentiam, simpliciter in omni genere perfectionis, nempe Deus Opt.*

*Max.*

**H**ANC propositionem hic non tam probe, quam suppono, Dei enim necessariam existentiam, ac in omni genere perfectionis infinitatem in Metaphysica reali demonstrabimus: non enim hanc veritatem tantum fides docet, verum & lumen ipsum naturale luculenter nostris mentibus insinuat. Est itaque Deus 1. secundum essentiam infinitus, ejus enim essentia omnem perfectionem creatam, & excogitabilem infinite superat, omnemque perfectionem absque ulla prorsus imperfectione, seu formaliter, seu eminenter includit. 2. Infinitus est Deus secundum durationem: est enim ab æterno, & in æternum, idem semper ipse, absque ulla sui intrinseca successione, totus simul, ac totus semper. 3. Deus est infinitus secundum divinæ suæ substantiæ veluti extensionem; non quidem formalem, est enim essentialiter simplicissimus, ac indivisibilis; sed virtuales, qua ratione sui, suæque immensitatis ubique existit. 4. Est in bonitate similiter infinitus: tum bonitate in se spectata, hac enim quamlibet bonitatem, ac perfectio-

**LIBER V. CAPUT UNICUM. ART. 509**  
nem quantumvis infinitis multiplicatam in infinitum excedit: tum bonitate quatenus sui diffusiva: inexhausta enim suæ perfectionis communicatione, sese ad extra diffundere potest, absque ullo suæ communicabilitatis, vel participabilitatis fine. 5. Est etiam Deus infinitus secundum vim effectricem, seu omnipotentiam, qua quidquid possibile est, producere potest, mox destruere, rursusque instaurare, prout sibi placuerit. 6. Est tandem infinitus secundum virtutem intellectivam, qua se, suæque attributa; tum omnia quæcumque extra se produxit, aut potest quovis modo producere, comprehensive cognoscit: similiterque discurrendum est in aliis attributis. Hæc nunc leviter attingisse sufficit, alibi enim amplius pertractabuntur.

## PROPOSITIO II.

*Potest Deus plures, & plures creaturas sine termino producere. Potest item perfectiores, ac perfectiores sine fine condere: eisque majorem, & majorem durationem sine termino statuere. Potest etiam mundum majorem, & majorem sine limite efficere: motum item velociorem, ac velociorem sine termino.*

**H**Æc omnia unico Theoremate comprehendo, eo quod unica ratione stabiliantur. Potentia enim effectrix divina, seu omnipotentia est infinita virtutis: ergo nullo creaturarum numero, quantumvis ingenti, exhausti potest: ergo numquam poterit tot creaturas producere, quin plures, & plures producere possit: similiter convincitur, nullam ita perfectam posse producere, quin aliam perfectiorem producere valeat. Tum quia est infinite communicabilis, ita ut quantumvis communicetur, possit amplius sine fine communicari: hoc au-

tem postea amplius probabitur: item eodem modo concluditur, nec durationem talem alicui creaturæ posse tribuere, quia majorem tribuere non possit: neque extensionem aliquam mundo conferre, quin majorem eidem conferre possit: nec motum tandem ita velocem posse efficere, quo velociorem efficere non possit. Nec in hoc est aliqua difficultas.

## PROPOSITIO III.

*Hinc datur in multis tum permanentibus, tum successivis, infinitum in potentia, seu syncathegorematicum.*

**H**Æc propositio ex præcedenti satis clarè colligi potest. 1. Numerus est infinitus potentia: nam dato quolibet numero potest dari major, & major in infinitum: & si assumantur minutia, potest esse minor, & minor in infinitum: unitas enim sub hac acceptione divisibilis est in duo dimidia: item dimidium in alia duo, & sic ulterius sine fine; ergo (def. 7.) numerus est potentia, seu syncathegorematicè infinitus.

2. Perfectio rerum est syncathegorematicè, seu potentia infinita, quia data qualibet creatura, potest dari perfectior, & perfectior, ut ex infinita Dei potentia, tum ex ejusdem communicabilitate sine termino probatum est prop. præced. licet id alicui admittere renuant, ut postea dicam.

3. Extensio, & duratio sunt infinita potentia, qualibet enim data potest dari major, & major; minor item, & minor.

4. Ævum, seu ut alii loquuntur, æternitas creata, tum à parte ante, tum à parte post, est infinita potentia, quia nempe res qualibet potuit in sensu alibi explicando, esse antea, & antea; seu potuit creari prius, & prius

prius in infinitum; potest item conservari plus, & plus in infinitum, ut est certum.

5. Tandem velocitas motus est infinita syncathegorematicè, seu potentia, quia dato quocumque motu, potest dari velocior, & velocior in infinitum. Patet ergo propositio.

## PROPOSITIO IV.

*Hinc nequit dari numerus omnium maximus.*

**P**ROB. 1. Nam (3.) dato quolibet numero potest dari major, & major in infinitum: sed hoc esse non posset, si daretur numerus omnium maximus: ergo talis numerus implicat. PROB. 2. Detur enim, si fieri potest, certè poterit Deus tot homines creare, quot sunt in prædicto numero unitates; nulla est enim in hoc repugnantia. Hoc posito, certum est numerum oculorum esse majorem numero hominum: esset enim illius duplas: ergo prædictus numerus hominum esset maximus, & non esset maximus: primum, quia supponitur: secundum verò, quia potest excogitari major.

Dices cum aliquibus: potest Deus producere omnes creaturas posibles: sed numerus creaturarum possibilem est maximus; non enim potest alius esse major, cum omnia possiblem comprehendat: ergo dari potest numerus omnium maximus. Sed respondeo majorem esse falsam in sensu collectivo: licet enim possit à Deo produci omnis creatura possiblem distributivè, id est, hæc, & hæc: atque ita non tot, quin plures; non tamen produci potest collectivè. Instabis omne possibilem collectivè potest produci collectivè: ergo falsa est nostra solutio. Sed respondeo nullam esse totalem collectionem rerum possibilem: unde si omnia possiblem collectivè sumantur, sunt impossibilem: verum de his iterum postea.

anly 3. zuly herydugo moli hioy; mltitudi ni emq

## PROPOSITIO V.

Hinc neque dari potest extensio, neque intensio, neque duratio creata omnium maxima.

**P**robatur, & quidem 1. de extensione. Detur enim, si fieri potest, linea A omnium possibilium maxima; certe continebit numerum palmorum omnium maximum: sed numerus omnium maximus (4.) nequit dari: ergo, &c. Major prob. Si enim dicta linea A non contineret numerum palmorum omnium maximum: ergo poterit dari alia linea B, quæ prædictum numerum palmorum omnium maximum contineat: ergo hæc linea B major erit linea A: ergo hæc non erit omnium maxima, contra suppositionem: ergo repugnat linea omnium maxima.

2. Neque dari potest intensio omnium maxima: hæc enim includeret numerum graduum omnium maximum: intensio enim fit per gradus, aut saltem per ordinem ad illos explicatur: sed prædictus numerus omnium maximus est (4.) impossibilis: ergo & intensio omnium maxima.

3. Non item dari posse durationem creatam omnium maximam, patet nam vel esset successiva, vel non: si sit successiva: ergo comprehenderet numerum annorum omnium maximum: sed numerus annorum omnium maximus est impossibilis: ergo & duratio successiva omnium maxima. Si verò successiva non sit, certe correspondere poterit certo annorum numero: si autem sit omnium maxima, correspondere poterit numero annorum omnium maximo, qui est impossibilis: non ergo dabilis est duratio creata omnium maxima. Hæc tamen amplius suo loco patebant.

## PROPOSITIO VI.

Hinc impossibilis est creatura omnium perfectissima.

**P**ossibile esse creaturam omnium possibilium perfectissimam defendunt Durandus, Gabriel, Gregorius, Vazquez, Arriaga, & cum ipsis P. Maignan *Phil.natura*, cap. 12. prop. 15. Oppositum tenent communiter Philosophi, cum quibus assero, impossibilem esse creaturam omnium perfectissimam. Prob. 1. Quia nulla est possibilis creatura, quæ non distet infinite à perfectione Dei: ergo inter illam, & Deum posibles sunt creaturæ perfectiores, ac perfectiores sine fine: ergo nulla est possibilis ita perfectissima, ut inter ipsam, & Deum alia perfectior non sit possibilis.

Prob. 2. Doctrina Divi Thomæ 2. contra Gent. cap. 26. Nam posita qualibet creatura, etiam illa, quæ ab adversariis dicitur perfectissima, adhuc esset infinita participabilitas inter Deum, & illam creaturam: ergo inter illam, & Deum possent mediare non tot, quot plures magis, magisque participantem perfectionem Dei: & consequenter creatura illa perfectissima, non esset omnium perfectissima, contra suppositum. Anteced. constat, nam creatura illa esset per essentiam suam ens finitum, & limitatum: cumque Deus sit per essentiam suam quid infinitum, & illimitatum, adhuc esset participabilis in infinitum: ergo inter creaturam illam, & Deum posibles sunt plures, & plures creaturæ magis, magisque participantem perfectionem divinam sine termino: ergo non est possibilis aliqua omnium perfectissima, ultra quam nulla sit alia possibilis, quæ plus possit divinam perfectionem participare.

Prob. 3. Ex conceptu divinæ omnipotentia. Hæc



enim est potentia effectrix simpliciter infinita, potens non solum plures, pluresque sine termino producere creaturas; verum & perfectiores, ac perfectiores in infinitum: sed hoc posito, non est possibilis creatura omnium perfectissima: ergo, &c. Major est certa: si enim ponatur aliquis effectus ab omnipotentia productus, ultra quem alium perfectiorem ipsa non valeat producere, eo ipso convincitur omnipotentiam fore limitatam.

Objicies 1. In collectione omnium creaturarum possibile est summa propinquitas quoad perfectionem cum Deo, quæ potest reperiri in creaturis: sed hæc propinquitas non reperitur in omnibus creaturis: in lapide enim ex. gr. non reperitur, nec in pluribus, quæ sint inæquales inter se: ergo reperitur in una, vel pluribus, quæ sint inter se æquales: ergo potest Deus condere creaturam, qua nulla perfectior sit possibilis. Resp. concessa maj. disting. min. Illa propinquitas non reperitur in omnibus creaturis distributive sumptis, concedo: collective sumptis, nego: & consequ. Licet enim lapis, aut homo; aut alia creatura assignabilis, si solitarie sumatur, non habeat summam illam propinquitatem cum Deo; tota tamen collectio summam illam propinquitatem habet, seu haberet, si possibilis est actu.

Objicies 2. Non omnes creature possibiles, quæ in tota earumdem collectione continentur, exceduntur ab aliqua, vel aliquibus creaturis: ad hoc enim oportebat extra omnes creaturas dari aliquas creaturas, quod est impossibile: ergo aliqua creatura reperitur in prædicta collectione, quæ à nulla exceditur: ergo datur aliqua creatura, quæ est omnium perfectissima. Resp. distinguens anteced. Non omnes creaturæ, quæ sunt in hac

collectione, exceduntur collectivè sumptæ, ab aliis creaturis, concedo: non exceduntur distributive sumptæ, nego. Licet enim extra totam collectionem nulla sit creatura excedens alias omnes: nulla tamen est creatura, ultra quam non sit alia perfectior, & alia, aliaque sine termino. Sed de hoc statim iterum.

Objicies 3. Possibilis est creatura omnium minima: ergo & omnium maxima. Respondent aliqui concessio anteced. negando consequentiam. Ex eo enim quod possibilis sit creatura omnium minima nihil detrahitur divinæ omnipotentie, qualiter detrahi diximus, si possibilis esset omnium maxima: verum quidquid de hoc sit, resp. negans anteced. Quemadmodum enim impossibilis est numerus omnium minimus, si ad fractionem deveniatur; & extensio item omnium minima, ut alibi dixi: ita & nulla est possibilis creatura, qua non alia, & alia minus perfecta possit à Deo produci.

Objicies 4. Si inter creaturas possibiles nulla esset omnium perfectissima, omnes essent ab aliqua creatura excessæ: & si nulla esset minima, omnes essent excedentes: sed hoc implicat: ergo admittenda est possibilis creatura omnium perfectissima, & omnium imperfectissima. Min. prob. nam si omnes essent excessæ, certè vel essent excessæ ab aliqua ex illis omnibus possibilibus, vel ab aliqua extra illas omnes possibiles. Non primum, quia cum illa creatura sit una ex illis omnibus excessis, excederet se ipsam, quod est impossibile. Non secundum, quia extra omnes possibiles repugnat alia possibilis: ergo repugnat quod omnes sint excessæ. Eodem modo probabitur, neque omnes esse posse excedentes: ergo, &c. Resp. distinguens majorem; omnes creaturæ possibiles essent excessæ, collectivè sumptæ,

nego majorem : omnes distributivæ sumpta, concedo maj. & nego min. Ad hujus probationem concedo non excedi ab aliqua extra illam collectionem ; excedi verò omnes distributivè ab alia creatura intra collectionem contenta : ita ut nulla sit assignabilis, quæ ab alia non excedatur, idque sine fine : unde numquam sequitur aliquam à se ipsa excedi : eodemque modo assero omnes esse excedentes, aliæ nempe alias possibili minoris, ac minoris perfectionis sine termino. Non est inconveniens, ut rectè adnotat Illustr. Palanco, omnes creaturas distributivè esse excessas ; nõ verò omnes collectivè : certum est enim plerasque denominationes convenire singulis partibus distributivè, quæ collectioni minimum convenire possunt : sic omnes partes distributivè, partes sunt collectionis, ea minores, eamque componentes, &c. Cum tamen collectio nec pars sit sui, nec ipsa minor, nec se ipsam componens. Aliæ si quæ objiciantur, ex dictis solvi possunt.

## PROPOSITIO VII.

*Repugnat infinitum in actu, seu cathegorematicum creatum, præsertim secundum multitudinem.*

**D**uplex est in hac re sententia, prima asserit impossibile esse infinitum in actu, seu cathegorematicum : ita generaliter tenet Arist. lib. 3. *Phys.* à cap. 6. *tex.* 63. & deinceps, quem sequitur S. Thom. 1. *part.* *quest.* 7. *art.* 3. & 4. omnesque Thomistæ. Scotus in 2. *dist.* 1. *quest.* 3. & in 3. *dist.* 13. *quest.* 4. & omnes Scottistæ : estque communiter Theologorum, ac Philosophorum sententia. Oppositum tenent Okam apud Gabrielem in 2. *dist.* 2. *quest.* 3. & Gregorius Ariminensis in 1. *dist.* 43. *quest.* 4. & fere omnes Nominales, quos

sequuntur Vazquez, Fafolus, Hurtado, Arriaga, Magnan *Phil.nat.* cap. 12. Saguens *Phys. disp.* 10. & alii. Assero cum prima sententia, in creatis repugnare omne infinitum in actu. Hocque in presenti ostendam de infinito secundum multitudinem, idem in sequenti ostensurus de infinito secundum extensionem, ac durationem saltim successivam. Esse itaque impossibile numerum actu infinitum, multiplici ratione convincere conantur Auctores, præsertim Mousnerius ex P. Pabri *Metaph. lib.* 11. *prop.* 16. non tamen omnes æquo Marte convincunt, præcipuas tamen recenseo.

Prob. 1. à S. Thoma ubi *suprà art.* 4. his verbis : *Omni multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis : species autem multitudinis sunt secundum species numerorum : nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unitatem : unde impossibile est esse multitudinem infinitam actu.* Huic tamen rationi respondere poterunt adversarii, etiam numerum infinitum posse esse speciem numeri, mensurarique per unitatem infinitis sumptam : unitas enim, quæ pars est aliquota cujuscumque numeri finiti, ut est certum, etiam est pars aliquota numeri infiniti : idè enim unitas est pars aliquota numeri infiniti, quia aliquoties sumpta conficit totum : similiter itaque erit pars aliquota numeri infiniti, quia infinitis sumpta illum adintegrat ; nisi quæstio sit de nomine : verumtamen numerum infinitum non posse esse aliquam speciem numeri, constabit ex rationibus statim adducendis.


Prob. 2. In numero actu infinito, non quilibet numerorum species in eo contenta esset infinita : in illo enim esset binarius, qui duas tantum unitates continet, item ternarius, qui tres, &c. De his itaque speciebus

finitis quæro, an quæ in prædicto numero infinito includuntur, sint numero finitæ, aut infinitæ: sed neutrum dici potest: ergo, &c. Prob. min. nam si dicatur esse numero finitas, certè dabitur ultima finitarum: sed hoc dici non potest; esset enim ultima, ut supponitur; & simul non ultima, quia si vel unitas eidem speciei addatur, fit nova species ulterior, eaque finita: non enim per additionem finiti ad finitum, potest exurgere infinitum: ergo prædictæ species non possunt esse numero finitæ. Deinde neque dici potest esse infinitas; quia cum quælibet superet aliam unitate, si infinitæ sint, supra primam speciem, scilicet binarium, infinitæ unitates sunt additæ, & consequenter exurgit aliqua species infinita, seu ex infinitis unitatibus coalescens, quod est contra hypothesim, in qua solum de speciebus finitis loquimur: ergo prædictæ species neque essent numero finitæ, neque infinitæ, quod implicat: non ergo est possibilis numerus actu infinitus. Hoc argumentum clarius exponitur modo sequenti.

Prob. 3. In eo numero actu infinito quælibet potest institui progressio: instituaturn itaque progressio arithmetica simplex, nempe 1. 2. 3. 4. 5. & sic in infinitum, hoc posito, sic argumentor: vel sunt infiniti termini, quorum quilibet constet finitis unitatibus, vel sunt numero finiti: sed neutrum dici potest: ergo, &c. Min. prob. Nam 1. prædicti termini nequeunt dici numero finiti; alioquin daretur ultimus, quod dici non potest: esset enim ultimus ex suppositione; & non esset ultimus, quia ab ulteriori termino una tantum unitate addita superabitur: & consequenter, cum hic etiam esset finitus, certè ipsum præcedens, non esset finitorum ultimus. Neque dici potest prædictos terminos esse infinitos, quia cum tot sint unitates additæ, quot sunt termi-

ni, aliquis terminus, imò infiniti termini infinitis unitatibus constarent: sed hic tantum agitur de his qui solum finitis unitatibus constant: ergo nec essent infiniti, nec finiti, quod implicat. Hoc idem clarius adhuc modo sequenti proponitur.

Prob. 4. Sint duæ lineæ AG, AD constituentes angulum A 60. gr. (fig.) Utraque autem linea in infinitum supponatur porrecta, altera ab A versus G; altera ab A versus D: cumque utraque infinita sit, utraque infinitis palmis constabit: à singulis itaque palmis in utraque sumptis, ducantur parallele BE, CF, &c. in infinitum:



eritque BE (4.6. Euc.) unius palmi, quemadmodum AE: tum CF duorum palmorum, quemadmodum AF. Ubi vides has lineas, aliasque per multas, esse in extensione finitas, nempe BE, CF, &c. Quæro itaque de his lineis in extensione finitis, an sint numero finitæ, vel infinitæ: neutrum autem dici potest: non quidem esse numero finitas, daretur enim ultima, quod est impossibile; nam quæ hanc sequitur, illam uno solum palmo superat: & consequenter nõ est infinita: ergo illam præcedens non est ultima finitarum. Neque dici potest esse numero infinitas, quia cum tot palmi addantur, quot lineæ, alicui lineæ, imò & infinitis lineis infiniti palmi adderentur, & consequenter essent extensione infinitæ, cum infinitis palmis constarent, contra suppositum: ergo neque essent finitæ, nec infinitæ. Hoc argumentum in idem recidit, ac duo præcedentia, quæ sic, aliisque adhuc modis à Mousnerio proponuntur.

Prob.

Prob. 5. Detur, si fieri potest, numerus actu infinitus: certè hic numerus esset quadratus: sed hoc implicat: ergo & numerus actu infinitus. Utraque præmissa probanda est. Probatur itaque maj. Nam numerus quadratus est ille, qui oritur ex multiplicatione alterius numeri per se ipsum, qui idcirco illius radix appellatur: sic 9. est numerus quadratus, quia ex multiplicatione 3. per 3. procedit: ipse autem 3. dicitur illius radix: nunc sic: sed numerus infinitus procedit ex multiplicatione infinitarum unitatum per unitates infinitas: ergo numerus actu infinitus esset numerus quadratus. Min. autem illa, nempe numerum actu infinitum non posse esse quadratum, probatur: nam subduplus numerus numeri quadrati, nequit esse quadratus, ut constat ex *prop. ult. lib. 10. Euc.* Sed dimidium numeri actu infiniti, esset numerus quadratus: esset enim numerus infinitus, qui ut dixi, eo quod infinitus est, est quadratus: ergo numerus actu infinitus nequit esse numerus quadratus: non ergo est possibilis numerus actu infinitus.

Prob. 6. In numero actu infinito essent plures radices, quam quadrati, simulque non plures: sed hoc implicat: ergo, &c. Ad majoris probationem supponendum est, numeros quadratos, ut dixi, tantum esse illos, qui ex aliquo numero per se ipsum multiplicato nascuntur: unde quamplurimi sunt numeri, qui ex aliis per se ipsos multiplicatis non nascuntur, & consequenter non sunt quadrati; ut numeri 3. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 13. &c. adeò ut ab unitate usque ad 100. sint nonaginta non quadrati, & solum decem sint numeri quadrati. Hoc posito, probatur contradictio in majori proposita, nempe in numero actu infinito fore plures radices, quam quadrati, simulque non plures. Nam in

præfato numero infinito, nullus esset numerus quadratus, cui sua radix non corresponderet: item nulla radix, cui pariter suus non corresponderet quadratus: ergo numerus radicum equalis esset numero quadratorum: & consequenter non essent plures, quam quadrata. Deinde essent plures, quia omnis numerus quadratus est simul alterius radix; plurimæ tamen sunt radices, quæ quadrata non sunt, quia radice carent, ut vidimus: ergo in numero actu infinito plures essent radices, quam quadrata, similique non plures, quod implicat.

Confirmatur: nam in collectione actu infinita, tot sunt radices in tota collectione, quot numeri: nullus est enim, qui per se multiplicatus, alium non producat: sed numeri quadrati non sunt tot quot numeri in eadem collectione prædicta, cum sint quamplurimi numeri, qui quadrati non sunt: ergo plures sunt radices, quàm quadrati. Deinde est essent tot quadrati, quot radices, cum singulis radicibus suis corresponderet quadratus: ergo tot essent quadrati quot radices, simulque non tot quot radices, quod est impossibile: ergo & numerus actu infinitus impossibilis est. Hoc argumentum semper torfit adversariorum ingenia; eique aliquas solutiones adhibere conati sunt, easque satis difficiles, in quarum impugnatione non immoror, cum certum sit Galilæi monitum, *eo scilicet magis te recedere ab infinito, quo magis ad illud te putas accedere.* Sed jam obiectiones, quæ contra nostram sententiam fieri solent, dissolvamus.

Objicies 1. Potest Deus producere collectionem omnium creaturarum possibilem: sed talis collectio esset actu, & cathegorematicè quoad numerum infinita: ergo potest dari numerus actu infinitus. Major prob.



prob. nam collectio omnium creaturarum possibilium nullum includit impossibile : ergo est possibilis ; & consequenter potest Deus illam actu producere. Resp. negans majorem. Ad ejus probationem distinguo antecedit. Nullum includit impossibile pro materiali ; id est, omnes creaturæ in eo contentæ sunt posibles , concedo : nullum includit impossibile pro formali, seu quatenus collectio est, aut numerus infinitus, nego : importat enim ea impossibilia, quæ supra adduximus : quod nempe numerus ille major esset, & minor se ipso : æqualis, & inæqualis, &c. Sed inflas, Deus potest ponere in actu quidquid potest : sed Deus potest omnia possibilis : ergo potest ponere in actu omnia possibilis : sed hæc sunt infinita : ergo potest ponere in actu infinita. Resp. distinguens majorem, Deus potest ponere in actu collectivè quidquid potest, nego ; distributivè, concedo. Similiter distinguo min. Deus potest omnia possibilis, distributivè, concedo ; collectivè, nego : & consequentiam. Potest itaque Deus ponere possibilis, eaque sine termino, distributivè tantum ; id est, potest ponere in actu plura, & plura, & nunquam tot, quin plura : non tamen potest ea ponere, aut producere collectivè ; ita ut tota collectio dici possit producta.

Objicies 2. Deus videt simul, seu collectivè omnia possibilis : ergo omnia possibilis sunt de facto in actu obiectivo, sed sunt infinita : ergo datur infinitum in actu saltim obiectivo. Resp. distinguens maj. Deus videt simul, seu collectivè omnia possibilis, illa similitate appellante supra possibilis ; id est, videt omnia collectivè possibilis, nego : sic enim, ut dixi, sunt impossibilia : videt simul omnia possibilis similitate appellante supra Deum ; id est, Deus simul illa possibilis videt, seu

seu non unum post aliud, concedo. Et distinguo consequentiam. Omnia possibilis sunt de facto in actu obiectivo collectivè, nego ; distributivè, concedo : & nego consequentiam. Deus itaque videt simul, id est, unico simplici intuitu omnia possibilis, eò tamen modo, quo sunt possibilis : cumque omnia non sint possibilis collectivè, seu non possint omnia existere simul, ideò nec videt Deus omnia collectivè possibilis : videt tamen simplici intuitu illa omnia infinita distributivè ; id est, videt non tot posse existere, quin plura, & plura sine fine existere possint : videt itaque infinitum potentia, cum finito semper actu : aut finitum semper, & semper actu, cum infinito potentia.

Totum insuper hoc argumentum instari potest in æternitate à parte post, seu in collectione omnium durationum futurarum sine fine : potest enim Deus omnes durationes futuras producere : nec hinc licet inferre, posse producere omnem collectionem illarum : alias enim posita esset tota æternitas, ita ut jam nulla ulterius futura esset duratio. Quemadmodum itaque nunquam futura est tota illa creata æternitas : neque possibile est posse aliquando dici fluxisse infinitas durationes ; sed semper fluxisse finitas ; & infinitas adhuc esse futuras ; taliter ut detur semper ultima præteritarum ; nunquam tamen ultima futurarum : ita nec poni potest actu tota collectio possibilium ; sed solum creaturæ actu finitæ ; infinita verò semper in potentia. Hinc facillimè cetera, quæ objici possunt, resolventur.

(\*\*\*) (\*\*\*)  
(\*\*\*)

## PROPOSITIO VIII.

*Repugnat infinitum in actu secundum magnitudinem,  
seu extensionem.*

**I**Ta S. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 3. quem sequuntur omnes, quos præced. prop. citavimus. Prob. 1. ratione, quam adfert Subt. Doctor; quia corpus infinitum aliquam haberet figuram: non enim imaginari potest corpus, nisi figuratum: est enim figura forma corporis quanti, sed corpus infinitum nullam posset habere figuram: est enim figura quantitas terminata; & infinitum est interminatum: ergo impossibile est corpus actu infinitum, seu infinita magnitudo in actu. Respondent adversarii, possibile esse infinitum terminatū, seu clausum terminis: verū hoc impossibile esse, postea patebit. Probatur 2. Quia magnitudo, seu extensio infinita dicit infinitos palmos, ver. gr. ergo dicit numerum infinitum; sed (7.) repugnat numerus actu infinitus: ergo & magnitudo, seu extensio actu infinita. Similiter ostendetur implicare infinitum in actu secundum durationem saltim successivam: contineret enim actu numerum infinitum annorum, dierum, instantium, &c. Contra hanc conclusionem nihil obijci potest, quod ex dictis non maneat solutum.



## PROPOSITIO IX.

*Repugnat infinitum clausum terminis.*

**P**Robatur. Si daretur infinitum clausum terminis, sequeretur posse dari infinitum, quod non superaret finitum nisi in uno palmo; sed hoc est absurdum: ergo, &c. Maj. prob. Nam sint, ut in prop. 7. duæ lineæ AG, AD ab eodem puncto A procedentes, & angulum A 60. gr. comprehendentes, quæ in infinitum excurrant: ducanturque continuo lineæ transversæ parallelæ BE, CF per singulos palmos linearum AG, AD: unde prima transversalium habet unum palmum in longitudinem; secunda, duos; tertia, tres, &c. Cumque lineæ AG, AD in infinitum procedant, etiam transversales pervenient ad longitudinem infinitam: ergo Deus videt alias transversales esse finitas; alias verò infinitas, omnesque consequenter positas: sed videt aliquam infinitam, quæ aliam finitam juxta se positam solo unico palmo superat: ergo, &c. Min. prob. nam illa linea ex transversalibus, quæ sequitur ultimam finitarum, est infinita; alioquin ipsam præcedens non esset finitarum ultima: sed illa infinita non superat prædictam sibi vicinam, nisi in uno palmo: omnes enim transversæ non nisi uno tantum palmo sese possunt superare posito quod angulus A sit gr. 60. ergo si daretur actu infinitum clausum terminis, una transversa infinita, non superaret aliam finitam, nisi in uno palmo. Auctores defendentes possibile esse infinitum actu, etiam infinitum clausum terminis admittunt coguntur, ac prædicto argumento, aliisque similibus, aliqua respondere conantur, quæ facile ex dictis possunt explodi: ideoque

326 TRACT. II. DE METAPHYSICA INTENT.  
 que satius semper judicavi negare possibilitatem infiniti actualis creati, quam in has angustias devenire. Si aliqua supersint circa infinitum discutienda, suis locis opportunius exponentur: nunc autem Metaphysicæ intentionali finem impono.

FINIS.



INDEX

RERUM NOTABILIUM,  
 ordine Alphabetico digestus.

A

- A**ccidens prædicabile quid sit. Pagina 53.  
*Accidens physicum* quid sit juxta Peripateticos. 348.  
 Ejusdem notio, & species. 354. Accidentia modalia explicantur. 356. Entitativa quid sint. 360. Accidentium unio cum subiecto. 364.  
*Actio* quomodo ab agente & termino distinguatur. 477. Ejus species. 479. Creativa quid. 480.  
*Aequivoca* quæ, & quot sint. 55.  
*Ampliatio* termini. 29.  
*Analogæ* quid sint, & quotuplicia. 57.  
*Appellatio* terminorum. 29.  
*Apprehensio* quid, & quotuplex. 12. In aliquo sensu est veras in nullo falsa. 277.  
*Argumentatio*, ejusque species. 111. Istæ revocantur ad syllogismum. 115.  
*Aristoteles* quis, & qualis fuerit. 4.  
*Axiomata* generalissima recensentur. 217.

B

*Bonitas* quid, & quotuplex. 278.

C

- Categoriae*, seu Prædicamenta Aristotelis. 54.  
*Causa* quid. 424. Ejus quatuor genera. 427. Quotuplex sit. 431. Causæ in eodem genere nequeunt invicem causari. 434. Causa materialis, & formalis. 436. Finalis, ejusque species. 446. Exemplaris. 453. Efficiens. 459. Ejusdem divisiones. 460. Causæ efficientes creatæ aliquid agunt. 461. Agunt per potentias à se realiter indistinctas. 465. Non agunt in distans, quin agant in medio. 471. Nihil entitativum simplex producere. 491. Causa, ut agat, debet esse determinata. 497. A quo determinetur. 499. Efficiens, nequit se secundum idem esse causare; bene verò secundum diversum. 475. Necessaria agit quantum

## INDEX

- tum potest. 501. Huic proportionatur effectus, *ibidem*.  
*Certitudo* quotuplex. 161.  
*Concretum* quid sit. 20.  
*Conversio* propositionum, ejusque regulæ. 107.  
*Conceptus* obiectivi, & mentales sunt obiectum Logicæ. 203.  
*Conservatio* rerum exponitur. 494.  
*Corpora* solùm agunt per motum localem. 492.  
*Creatio* quid sit. 480. Qualiter à generatione distinguatur. 485.  
*Creare* solus Deus potest. 489.  
*Creatura* omnium possibilium perfectissima, impossibilis. 513.

## D

- Definitio* quid, & quotuplex. 75. Ejus regulæ. 76.  
*Demonstratio* quid, & quotuplex sit. 166.  
*Denominativa*, & denominationes. 36.  
*Dependentia* causæ secundæ a prima. 497.  
*Destructio* quid sit. 496.  
*Dialectica* qualiter fit utendum. 9.  
*Differentia* quid, & quotuplex. 49.  
*Discursus* quid sit. 12.  
*Distinctio* specifica quid sit. 41. *Distinctio* quid & quotuplex. 284. Ejus signa. 287. *Virtualis* datur. 290. *Rationis*, in quo stet. 291.  
*Divisio* quid, & quotuplex. 78. Ejus regulæ. 79.  
*Duratio* creata omnium maxima impossibilis. 512.

## E

- Effectus* qualiter cum causis proportionentur. 501.  
*Ens* quid, & quotuplex. 215. Quomodo transcendat differentias. 240. Non positivum exponitur. 259. *Ens* rationis quid & quotuplex. 260. Dividitur *ens* in substantiam & accidens. 318. *Entis* conceptus qualiter sit unus. 231. In ordine ad Deum & creaturas non est proprie univocus. 233. *Entis* possibilitas qualiter exponatur. 243. *Entis* proprietates. 262.  
*Essentie* qualiter dicantur æternæ, ingenerabiles, & incorruptibiles. 245. *Essentia*, & *existentia* non distinguuntur realiter. 249.  
*Existentia* quid sit, & quotuplex. 216.  
*Extensio* omnium maxima, impossibilis, 512.

## RERUM.

- Figura* syllogistica est tantum triplex. 120.  
*Finis*, quid sit, & quotuplex. 446. *Ejus* causalitas. 450.  
*Formalitates*, quomodo dentur. 289.  
*Generatio*, quid sit, & quomodo à creatione distinguatur. 485. Idem est, ac quædam compositio, & permixtio. 487. *Solis* compositis convenit. *ibid*.  
*Genus*, quid sit. 42.  
*Gratus metaphysici*, quid sint. 305. Quomodo ab invicem præcendantur. 307. Quomodo distinguantur. 312.

## I

- Idea*, quid, & quotuplex. 453. Quænam sit causa exemplaris. 454.  
*Impossibile*, non potest cognosci. 266.  
*Individuum*, quid sit. 46. *Individui* ratio universalis respectu individuorum. 48. *Individuationis* principium. 315.  
*Indivisibile* physicum, & mathematicum quid. 370. *Indivisibile* actu potentia divisibile admittitur. 372. *Indivisibilia* solum per creationem producibilia. 488.  
*Infinicum*, quid, & quotuplex. 505. *Syntheticum* mathematicum, possibile. 509. *Cathegorematicum* creatum, impossibile. 516. *Clasum terminis*, impossibile. 524.  
*Intellectus* operationes. 10. *Ejusdem* progressus in illis. 13.  
*Judicii* essentia. 12. & 81.

## L

- Leger* consequentiz. 148.  
*Loci* dialectici. 152.  
*Logica*, quid sit, & quotuplex. 7. & 8. Quam necessaria. 8. Est scientia practica, & ars. 208.

## M

- Medium* probativum reperire. 150.  
*Metaphysica*, quid, & quotuplex. 211. *Ejus* obiectum. 212. Est scientia speculativa. 214.  
*Methodus* in discendis, & docendis scientiis. 189. Pro arguente, & respondente. 200.  
*Modi*, seu *instrumenta sciendi*. 74.  
*Modi syllogismorum*. 122. Illi modi determinantur. 139.  
*Modus* non est simpliciter *ens*. 357. *Ejus* notio. 358. Quæ Comp. Phil. Tom. 1. liter



## INDEX

liter á re modificata distinguitur. 358.

**Numerus** omnium maximus, impossibilis, 511.

### O

**Obiectum scientiarum**, ejusque condiciones. 175. Quotuplex sit. 176.

**Obiectum Logicæ**, quid sit. 203.

**Operationes intellectus**, quid, & quot. 11.

**Oppositio**, quid, & quotuplex. 419. **Oppositio Propositionum**, 95. **Contradictoria** est omnium maxima. 105.

**Opposita**, quotupliciter dividantur. 73.

### P

**Philosophia**, quid sit, ejusque origo, & progressus. 2. Ejus utilitas, & necessitas. 4. Ejusdem partes, & divisio. 5.

**Plato**, quis, & qualis fuerit. 4.

**Porphyrus**, quis, & qualis; ejusque **Ilagoge ad quid instituta**. 31.

**Possibilitas** in quo consistat. 242.

**Post prædicamenta**, quid, & quot. 72. Exponuntur. 419.

**Præcisio**, quid, & quotuplex. 218. **Obiectivæ præcisiones** an dentur. 221. **An formales**. 218.

**Prædicamenta Aristotelis**. 54. **Quid, & quot sint**. 58.

**Præteritum**, & posterius quotupliciter sit. 73.

**Principia Artis syllogisticæ**. 129.

**Proprium** quartum prædicabile, quid sit. 51.

**Propositio**, quid, & quotuplex sit. 81. Ejus materia, forma, qualitas, & quantitas. 82. Ejusdem species. 85. **Propositiones modales**. 88. **Propositionum conversio**, ejusque regula. 107. **Propositio** nequit de vera in falsam transire. 272. **Propositiones de futuro contingenti** sunt determinatæ veræ, aut falsæ. 276.

**Propositio effectuum cum suis causis**. 501.

**Punctum mathematicum** physicè non existit. 370.

**Puncta physica** actû indivisibilia; potentia tamen divisibilia admittuntur. 372. **Punctum physicum**, & extensum. 373. **Punctum physicum corporeum** est impenetrabiliter extensum. 375.

### Q

**Qualitas**, quid sit. 65. & 389. Ejus species. 66. **Quotuplex**

## RERUM.

**plex sit**. 394. **Distribuitur** in quatuor classes. 395. **Ejus proprietates**. 397.

**Quantitas**, ejusque categoria. 64. **Quid physicè sit**. 360. **In quo physicè consistat**. 380. **Non est accidens entitativum**, sed modale. 386. **Ejus species exponuntur**. 386.

**Ejusdem proprietates**. 388.

### R

**Reductio syllogismorum**. 155.

**Regule communes syllogismorum**. 132.

**Regule speciales** pro eisdem. 137.

**Relatio**, quid sit, & quotuplex. 67. & 398. **In quo consistat**. 401. **Ejus species**. 69. & 417.

**Restrictio terminorum**. 29.

### S

**Scientia**, quid, & quotuplex. 174.

**Scientiarum obiectum**, ejusque condiciones. 175. **Earundem divisio**, unitas, & distinctio. 183. **Subalternatio**. 185. **Methodus**. 188.

**Signum**, quid, & quotuplex. 22.

**Simplicia** solum per creationem produci possunt. 488.

**Species**, quid, & quotuplex. 43.

**Status terminorum**. 29.

**Subsistentia**, in quo consistat. 327. **Substantia**, & **suppositum** in materiis Fidei explicantur. 342.

**Substantia**, quid, & quotuplex. 62. & 320. **Ejus proprietates**. 325. **Est immediatè operativa**. 465.

**Syllogismi**, materia, & forma. 116. **Syllogismorum figura**. 120. **Modi syllogismorum**. 122. **Tales modi determinantur**. 139. **Syllogismorum leges**. 127. **Regula**. 132.

**Reductio**. 155. **Species**. 156. **Syllogismus topicus**, seu **probabilis**. 162.

**Syllogisticæ artis**, **principia**. 129.

### T

**Termini dialectici**, eorumque diversitas. 14. **An per actû componere constituantur**. 18. **Eorum divisiones**. 19. **Eorum proprietates**. 27.

**Termini syllogismorum**. 118.

### V

**Veritas**, quid, & quotuplex. 262. **Formalis**, in quo fiet.

269. Unité

## INDEX

- Unitio accidentium cum subiecto.* 364.  
*Unitas*, quid, & quoduplex. 250. *Unitas logica in quo consistat.* 35. *Essentia unitatis universalis.* 293. *Unitas numerica* exponitur. 314.  
*Universale*, quid, & quoduplex. 30. & 32: *In suas species dividitur.* 38. & 297. *Qualiter sit unum, & multiplex.* 295. *Universale Platonicum.* 302. *Nominalium, & Stoicorum.* 304.  
*Univocum*, quid. 55.  
*Univocatio entis.* 233.  
*Unum per se, & per accidens.* 283.  
*Voces*, quid significant immediate. 23. *Sunt obiectum materiale Logica.* 205.

FINIS.



INDEX

Calculus, 100  
Differential, 100  
Integral, 100  
Algebra, 100  
Geometry, 100  
Trigonometry, 100  
Statistics, 100  
Probability, 100  
Logic, 100

INDEX

150

2

54

120

2

30